2385

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
LXIII
A
28
NAPOLI

Digitized by Google

LXIIIA28

Digitized by Google

Digitized by Google

S XIII A 20

CLEMENTINA, UNIGENITUS,

A nuperis Anonymi Auctoris dubiis

VINDICATA.

Hoc eſt,

THEOLOGIA SUPPLEX REFUTATA,

Brevi, ſed clara 101. *Propoſitionum*

PASCHASII QUESNELLI

Ex ipſiſmet damnati Auctoris verbis plerumque deſumpta explicatione.

PER

FR. PIUM VANDEN DYCK

Ord. Præd. Sac. Theol. Mag. in Univerſitate Lovanien. Licentiatum, Theologum Caſanatenſem, Belgam.

Ad Usum R. P. Archangeli a Bruno

[redacted] Conv. S. M. Carmeli

S. Anchini

ROMÆ, M. DCC. XXXVIII.

Ex Typographia Joannis Zempel Auſtriaci.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

[illegible] [illegible]

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

THOMÆ RIPOLL

ORDINIS PRÆDICATORUM

MAGISTRO GENERALI.

FR. PIUS VANDEN DYCK ORD. PRÆD.

Perpetuam Felicitatem.

SI, Opuſculo hoc ad umbilicum perducto, ſtatim mi-
i ſuboluiſſe dixero neceſſitatem longe
aximam, eidem potentem procurandi
atronum; eaque de cauſa ambiiſſe, ut no-

men Tuum frontem illius exornaret, veritatem quidem dicam, verumtamen non totam. Eſt aliud, quod me non minus ad id audendum impulit. Innumeris Tibi obſtrictus titulis, nec fortuna Tua deſiderante remunerandi vicem, nec mea ſuggerente reſtituendi facultatem, cogebar gratitudinem meam hiſce includere Auſonii verbis, AGO TIBI GRATIAS, IMPERATOR AUGUSTE. Sed quid eſt tenuem *gratias ago* exhalaſſe vocem? Fugacem reddidiſſe perennibus beneficiis ſonum? Tinnitum pro ſolidis benefactis? Quid ni eum, omnium laudibus celebratum, teneris arborum corticibus ac foliis affectus ſuos inſcribentem, tenuibus chartis gratitudinem tuam committendo, inquiebam ipſe mihi, imitaris? Placuit, ſtetitque conſilium; eo firmius, quod crederem Opuſculum hoc quale quale, quo aurum optimum a paleis, Doctrinam, inquam, S. Thomæ ab uſtulatis Queſnelli extravagantiis, pro modulo meo, conatus ſum diſcernere, Tibi non diſpliciturum. Is enim es, cui nihil gratius extitit unquam, ac ſi Filios tuos, ea qua par eſt reverentia Conſtitutioni UNIGENITUS ſubmiſſos, pro S. Thomæ dogmatibus, ve-

lut

lut pro ſacratiori Palladio decertantes; nova caventes, avitam doctrinam ſtrenue propugnantes videas. Is es, cui nihil æque jucundum, quam ſi in Ordine, quem ſumma prudentia gubernas, ſtudium atque devotio, quæ animam Ordinis Prædicatorum conflant, floreat, ferveatque. Et quid non excogitavit ardens tuum, hæc excolendi, ſtudium? Talia quæ meritiſſimo jure non auribus ſolo viventium, ſed oculis quoque nondum natorum Dominicanorum narrentur. Pauca referam, ſed ſingularia, ac Tibi ita propria, ut quicumque Dominicanam hiſtoriam vel extremis labris deguſtaverit, illico Te ex iis, non ſecus ac Alexandrum Magnum ex Apellis imaginibus, ſit agniturus. Ut ſtudiorum amorem in animis noſtris excitares, ſciens nihil æque efficax, quam majorum exempla; magnum illud Ordinis Bullarium expoliri, adornari, elegantiſſimisq; typis edi curaſti; perpetui commentarii loco: in quo, quid Ordo noſter in Rempublicam Chriſtianam contulerit: quales viros Eccleſiæ dederit: quot labores exantlaverit: quot tædia devoraverit, quaſi in publicis tabulis, auctoritate Summa in terris, variorum conceſſione privi-

legiorum roboratis & authenticatis videre eſt. Quid vero efficacius excogitari potuit, ad accendendum in cordibus noſtris devotionis ignem, regularis diſciplinæ obſervantiam, ſtudium perfectionis, quam iiſdem imprimere ſummi viri, nobiliſſima ſtirpe nati, divitiis affluentis quondam, in delitiis nutriti, qui omnibus his prætulit abjectus eſſe in Domo Dei; ſummi demum Dei in terris Vicaria Majeſtate induti, qui fraternitatem noſtram uſque eo dilexit, ut ab illa nec in vita, nec poſt mortem voluerit aut potuerit ſepararari, Benedicti XIII., inquam, Summi Pontificis exemplum? Hoc ut continuo oculis noſtris obvolveretur, ſingulari prudentia, dexteritate ſumma, infatigabili zelo obtinuiſti, ut Benedicti XIII. mortales exuviæ e D. Petri Baſilica ad noſtrum Minervæ Templum transferrentur: tanta cum pompa, quanta non ego tantum, qui interfui, ſed nullus, credo, mortalium majorem vidit, aut videbit unquam. Quatuor Eccleſiæ indubitatos Summos Pontifices Ordo Prædicatorum enutrivit: Innocentium V. Beatum Benedictum XI. Sanctum Pium V & Benedictum XIII. (non annumero Joannem

nem Vercellenſem Ordinis noſtri Generalem Magiſtrum; quod dubitent aliqui, an vere, quod alii affirmant, in Papam electus fuerit: neque Joannem Petrum Caraffa Neapolitanum, Paulum IV. dictum; qui ante profeſſionem a Parentibus Ordini ereptus, eidem poſt mortem reſtitutus eſt; quieſcitque ad Minervæ, in Sacello Beatiſſimæ Virgini Annuntiatæ, ac D. Thomæ Sacro) Sed ne unius quidem, quod hîc geſſit mortale oſtendere valeremus, niſi prudentia tua circa Benedictum aliud providiſſet. Ex quo quid nobis acceſſerit, ex verbis Cl. Aſſemani ad Venerabile D. Petri Capitulum colligi poterit. Relatis variis a Benedicto Baſilicæ Divi Petri præſtitis beneficiis, ſubjungit: „ Sed hæc inania ſunt, ac „ vana: neque in noſtris, & poſterorum „ animis eum amplius excitabunt pietatis ac religionis ardorem, quo, cum „ ad Chorum accederemus, Tumulum, „ in quo Corpus Tuum venerandum, „ Pontifex Beatiſſime, jacebat, ſuſpicientes, vehementiſſime incendebamur. Nunc, proh dolor! tanto pignore orbati, hoc quoque ſolatio deſtituimur. „ Nos vero, per Te, Pater

Ita Petr. Matth. in Summa Conſtit. Sum. Pōtificum pag. 567.

Orat. nabita 22. Feb. 1733 antequā Ben. XIII corpus ad Minervā transferretur.

Reverendiſſime, perfruimur; & quoties Minervæ fanum accedimus, viſo ſuperbo Benedicti Mauſolæo, accendimur ad devotionem, animamur ac pietatem. Illi etiam qui Roma abſunt, non omnino hac conſolatione deſtituuntur, dum Tua cura idem Mauſolæum æri inciſum eis datum eſt. Reſtat nunc tertium, ut ſit trinum perfectum, ex omnibus illis tuis factis mirabilibus, quod inſcribendum his chartis prælegeram: & illud adeo mirabile, ut non dubitaſſem miraculum dicere, ſi huic voci ſalvum conductum obtinere potuiſſem. Enim vero, quo attentius illud conſidero, eo clarius videre mihi videor, mirabilem illam Jonathæ victoriam 1. Reg. cap. 14. deſcriptam. Notum eſt cuilibet quas ad anguſtias Schola Thomiſtica fuerit a paucis redacta: de quo ne quis miretur, cogitet veritatem ipſam ſæpius depreſſam, nuſquam oppreſſam fuiſſe. Vellemus, nollemus, Thomiſtam inter & Queſnelliſtam, ſola erat differentia nominis. Nec ſoli id hæretici blaterabant, erant & inter catholicos quidam audaculi, oraculis Vaticanis necquidquam obſtantibus aſſerentes, non ovum ovo ſimilius, ac una & altera do-

ctri-

ctrina. Aderant quoque & alia infelicis augurii ſimptomata, quibus attentis dixiſſes Thomiſmum jam jam expiraturum. Demiſſis oculis, prompta manu per vicos & plateas, videbantur Thomiſtæ quaſi veniam a ſuis deprecari adverſariis: ita ſcilicet quidam ſibi imaginabantur, ſed fallebantur egregie. Ut enim Leo viſo periculo, terram ac latera ſibi flagellans, vires colligit & accendit, ita Tu, viſa adverſariorum inſolentia, animum tuum recolligendo accendebas, ad res noſtras priſtino decori reſtituendas. Nec fefellit eventus; motibus ſiquidem arcanis, & acutiſſimis lyncibus inobſervabilibus, dum triumphato quaſi Thomiſmo ſecurius indormiunt adverſarii, a Vaticana Arce deducis auxiliares copias, unicum, inquam, BREVE, VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO &c. quam nobis gratum, tam hoſtibus terribile; & tacendo reſtituis rem. Quid autem quantaque contineat iſtud, non eſt paucarum horarum, aut linearum negotium deſcribere. Dicam compendioſe quod cogito. Quod Ordo noſter quantus quantus eſt, non una, ſed pluribus ſupplex flagitavit vicibus, id tu modo ſolus a

CLE-

CLEMENTE XII., per NEREUM CARDINALEM CORSINUM, Sanctiſſimi Nepotem, Ordinis noſtri Protectorem obtinuiſti: & plus etiam, quam Prædeceſſores Tui ſperare unquam fuerint auſi: nempe magnum illud & memorabile, ad omnes Ordinis Scholas, Collegia, & Seminaria extenſum privilegium, Laureandi, honoreſque Academicos conferendi ingenuis adoleſcentibus, qui Sancti Thomæ Doctrinam, tutiſſimam atque inconcuſſam ibidem potaverint: cujus fructum jam inde cernere incipimus, cum Scholarum noſtrarum ſcamna diſcipulos non capiant. Ite nunc Thomiſtæ, ac ſub talibus auſpiciis, irretortis oculis, quantum religioſa permittit modeſtia, adverſarios veſtros menſurate: non quantum credi vellent, ſunt formidabiles: potius palantes, ac pallentes videbitis. Tu potius Minerva, vade, galea tecta caput, haſta armata manum; nobis enim, etiam rogantibus, præſto non erunt, qui non ita pridem terram mari, mareque cælo miſcebant venti. Eurum ad te, Zephyrumque voca, dehinc talia fare.

Tantane vos generis tenuit fiducia
Veſtri?

Quos

Quos ego! Sed motos præſtat componere fluctus. Virgil. lib. 1. Eneid.

Maturate fugam: Requique hæc dicite veſtro:

Non illi imperium Sophiæ, &c.

Sed hæc otioſior me poëta proſequatur. Tempus eſt manum de tabula tollere: ſi prius & CLEMENTI XII., & Corſino Cardinali, vere Nereo, tumidum juſſit qui ſiſtere pontum, & Tibi, P. Reverendiſſime, cuilibet in ſolidum, hiſce chartis quaquaverſum, ut ſpero, diſpergendis, ſi non liceat totius Ordinis, aut Provinciæ meæ Germaniæ inferioris, ſaltem meo privato nomine inſcripſero Auſonii ad Gratianum Imperatorem verba.
„ Ago tibi gratias, Imperator Auguſte,
„ ſi poſſem, etiam referrem. Sed nec tua
„ fortuna deſiderat remunerandi vicem,
„ nec noſtra ſuggerit reſtituendi facul-
„ tatem. Privatorum iſta copia eſt, in-
„ ter ſe eſſe munificos. Quod ſolum ergo
„ noſtræ opis eſt, gratias ago: verum ita,
„ ut apud Deum fieri amat, ſentiendo co-
„ pioſius, quam loquendo. Atque non in
„ Sacrario modo imperialis oraculi . . .
„ Sed uſquequaque, gratias ago, tum
„ tacens, tum loquens; tum in cætu ho-

„ mi-

„ minum, tum ipſe mecum: & quum vo-
„ ce patens, & quum meditatione ſeceſſi;
„ omni loco, habitu, & tempore. Nec
„ mirum ſi ego terminum non ſtatuo pro-
„ fitendi, cum tu finem facere neſcias
„ honorandi. „ Hiſce contentus eſſe
cogor, alias etiam ſtatuam Tibi erectu-
rus marmoream, hac cum inſcriptione,
quæ nunc hujus libri eſto.

POST THOMAM ALTERUM,

SCHOLÆ THOMISTICÆ

COLUMINI

THOMÆ RIPOLL

O. P. M. G. D.

A P.

APPROBATIO
ADM. REV. PAT. MAGISTRI
RAYMUNDI MAFFETONE

Sac. Theol. Magiſtri, & Socii Reverendiſſimi Patris Generalis Ord. Prædicatorum.

Librum, cui titulus: *Clementina Unigenitus a nuperis Anonymi Auctoris Dubiis vindicata &c.* A R.P.M.Pio Vanden Dyck Theologo Caſanatenſi, Belga, compoſitum, attente & mature perlegi, & recte rationi conſentaneum inveni, nec aliquid contra Catholicam fidem, bonoſque mores continere: imo conformem eſse Doctrinæ Angelici noſtri Sancti Doctoris, & nihil ei diſsonum habere. Unde typis eſse mandandum, ob communem utilitatem cenſeo. Romæ apud Sanctam Mariam ſuper Minervam die 3. Septembris 1737.

Fr. Raymundus Maſſetone
Ord. Prædic.

Digitized by Google

APPROBATIO

REVERENDISSIMI PAT. MAG.

CAJETANI BENITEZ

DE LUGO

Sac. Theol. Magiſtri, SS. Congregationum, S. Officii Qualificatoris, & Rituum Conſultoris, & Reverendiſſimi Patris Generalis Ord. Prædicatorum Socii.

OPus R.P.M.Pii Vanden Dyck Theol.Caſanatenſis,Belgæ,cujus titulus eſt; *Clementina Unigenitus a nuperis Anonymi Auctoris dubiis vindicata &c.* Attentiſſime legi, ſancteque atteſtor nihil a me fuiſse deprehenſum, quod Fidei Catholicæ, boniſque moribus adverſetur; aut minus conſentaneum ſit conſtanti Eccleſiæ & Thomiſtarum Doctrinæ; quin potius Librum hunç utiliſſimum eſse cenſeo, typiſque mandandum. In hoc Conventu S. Mariæ ſuper Minervam, die 17. Septembris 1737.

F. Cajetanus Benitez de Lugo
Ord. Prædic.

NOS

NOS

F. THOMAS RIPOLL

Sac. Theol. Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

HArum ſerie, Noſtrique auctoritate Officii facultatem, quantùm in Nobis eſt, concedimus tibi R. Adm. Patri Magiſtro Fratri Pio Vanden Dyck Provinciæ Germaniæ Inferioris, Theologo Caſanatenſi, ut typis mandare poſſis Opus, cui titulus: *Clementina Unigenitus a nuperis Anonymi Auctoris dubiis vindicata &c.* A te compoſitum, de mandato noſtro reviſum, & approbatum a duobus Theologis Ordinis noſtri RR. AA. PP. Magiſtris, Fratre Raymundo Maſſetone, & Fratre Cajetano Benitez de Lugo, ſervatis de jure ſervandis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. In quorum fidem his propria manu ſubſcriptis Sigillum Officii Noſtri apponi juſſimus. Romæ in Conventu Noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 20. Septembris anni 1737.

Fr. Thomas Ripoll
Mag. Ordinis.

Loco ✝ Sigilli.

Regiſtr. pag. 8.
Fr. Emericus Langenwalter Mag. & Soc.

I M-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Viceſg.

APPROBATIO

REVERENDISSIMI DOMINI

JOSEPHI MARIÆ DE PETIO

Cler. Reg. SS. Congr. Indicis, & Indul. Sacrarumq; Reliquiarum Conſultoris, in Urbe Examinator. Apoſt. atq; Sereniſs. Auguſti III. Reg. Pol. Electoris Saxoniæ &c. Theologi.

OPus inſcriptum: *Clementina Unigenitus a nuperis Anonymi Auctoris dubiis vindicata &c.* Juſſu Reverendiſſimi P. Jo: Benedicti Zuanelli, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, accuratè perlegi: & nihil in eo ſanæ doctrinæ, ac bonis moribus diſſonum offendi. Imo omnia mira claritate, ac ſoliditate digeſta, prælucentibus paſſim Maximorum Eccleſiæ Doctorum SS. Auguſtini, & Thomæ Aquinatis ſententiis, perſpexi. Quare præfatam lucubrationem publica luce digniſſimam cenſeo. Datum Romæ, ex Ædibus S. Andreæ de Valle v. Kal. Novembris 1737.

D. Joſephus Maria de Petio Clericus Regularis.

AP.

APPROBATIO

ADMODUM REV. PATRIS

SYMPHORIANI A S. ANDREA

Definitoris Generalis RR. PP. Carmelitarum Diſcalceatorum, olim Sac. Theologiæ Profeſſoris.

POſt accuratam de mandato Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Lectionem Operis, cui Titulus: *Clementina Unigenitus a nuperis Anonymi Auctoris dubiis vindicata &c.* Auctore Rev. P. Mag. Pio Vanden Dyck Ordinis Prædicatorum, Theologo Caſanatenſi, Belga &c. non ſolum nihil in illo vel Fidei Catholicæ veritatibus, vel morum puritati contrarium; quin e contrario Conſtitutionem *Unigenitus Dei Filius* a Clemente XI. anno 1713. contra errores Paſchaſii Queſnelli editam, efficaciter vindicare, & veritatem Catholicam contra propoſitiones Queſnelli condemnatas, apprime, & luculenter aſtruere reperi; juxta ſolida & inconcuſſa SS. Auguſtini & Thomæ dogmata: ideoque & legentibus maxime profuturum, & hoc tempore typis mandari digniſſimum cenſeo. Salvo ſemper &c.

Datum Romæ in Conventu noſtro SS. Thereſiæ & Joannis a Cruce Ord. FF. Carmelitarum Diſcalceatorum hac die 3. Octobris 1737.

Fr. Symphorianus a S. Andrea.

APPROBATIO ADM. R. PAT.
BENIGNI A JESU

RR. PP. Carmelit. Excalceatorum Defin. Gen. quondam in Univerſitate Lovanienſi Sac. Theol. ac Sac. Scripturæ Profeſſoris.

De mandato Rm̄i P. Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri, exacte & magna cū voluptate perlegi Opus cui Titulus: *Clementina Unigenitus a nuperis Anonymi Auctoris Dubiis vindicata &c.* Auctore Fr. Pio Vanden Dyck Ord. Præd. Theologo Caſanatenſi Belga, nihilque in eo inveni Ortodoxæ Fidei dogmatibus, aut morum rectitudini contrarium; aut aliquid, quod ulla cenſura mereretur inuri, adverti. Quin imo, in eodem ingenioſe demonſtrat Auctor præfatus, contra Auctorem *Theologiæ Supplicis*, Queſnelli propoſitiones, Conſtitutione Apoſtolica *Unigenitus* damnatas, non tantum omnino alienas eſſe a Doctrina SS. Patrum & Eccleſiæ Doctorum Auguſtini & Thomæ: ſed vix unum eſſe, qui cum Baii, Janſenii, Lutheri & Calvini, aut cum Wicleffi, Huſſii, Eraſmi &c. non incidat erroribus & doctrinis. Ne igitur Lectores utilitate, quam ex hujuſmodi libri Lectione ſunt relaturi, fraudentur, ideo Opus hoc publica luce præloque dignum exiſtimo, ſalvo meliori &c. Datum Romæ in Conventu noſtro SS. Thereſiæ, & Joannis a Cruce die 3. Octobris 1737.

Fr. Benignus a Jeſu.

IMPRIMATUR,

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſtolici Magiſter.

IN-

Index Prop. juxta ordinem Bullæ Unigenitus.

Prop.	*Pag.*	*Prop.*	*Pag.*	*Prop.*	*Pag.*
1	295.	35	75.	69	271.
2	186.	36	94.	70	540.
3	201.	37	102.	71	495.
4	ibidem.	38	219.	72	395.
5	208.	39	ibidem.	73	ibidem.
6	379.	40	ibidem.	74	ibidem.
7	ibidem.	41	208.	75	ibidem.
8	387.	42	280.	76	405.
9	186.	43	414.	77	ibidem.
10	170.	44	318.	78	ibidem.
11	158.	45	ibidem.	79	435.
12	111.	46	ibidem.	80	ibidem.
13	ibidem.	47	319.	81	ibidem.
14	178.	48	315.	82	451.
15	ibidem.	49	319.	83	ibidem.
16	ibidem.	50	308.	84	445.
17	179.	51	284.	85	ibidem.
18	ibidem.	52	248.	86	473.
19	158.	53	332.	87	484.
20	ibidem.	54	308.	88	ibidem.
21	162.	55	301.	89	489.
22	ibidem.	56	ibidem.	90	202.
23	ibidem.	57	289.	91	512.
24	163.	58	392.	92	519.
25	ibidem.	59	343.	93	530.
26	248:	60	350.	94	423.
27	255.	61	357.	95	467.
28	ibidem.	62	ibidem.	96	471.
29	387.	63	364.	97	ibidem.
30	111.	64	ibidem.	98	472.
31	117.	65	384.	99	ibidem.
32	132.	66	369.	100	ibidem.
33	140.	67	370.	101	428.
34	85.	68	233.		

FINIS.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
ET MATERIARUM.

CAput Primum. *Præfatio & Supplicatio ad CLEMENTEM XII. ab Auctore Theol. Suppl. directa examinatur & corrigitur.* Pag. 1.
Cap. II. *De damnatarum propoſitionum ſenſu, earumque Auctore.* Pag. 35.
Cap. III. *De gratia Adami ante peccatum,* Pag. 75.
Cap. IV. *De voluntate ſalutis omnium, deque Chriſti morte pro omnibus oppetita.* Pag. 111.
Cap. V. *De gratia hominis lapſi.* Pag. 158.
Cap. VI. *De virtutibus Theologicis.* Pag. 248.
Cap. VII. *De oratione impiorũ & timore.* Pag. 343.
Cap. VIII. *De diſcrimine veteris ac novi fæderis.* Pag. 379.
Cap. IX. *De Eccleſia.* Pag. 395.
Cap. X. *De efficacia gratiæ Baptiſmalis.* Pag. 414.
Cap. XI. *De cenſurarum & juramentorum uſu.* Pag. 423.
Cap. XII. *De Lectione Sacræ Scripturæ.* Pag. 435.
Cap. XIII. *De prædicatione Verbi Dei, & Divinorum Officiorum celebratione.* Pag. 467.
Cap. XIV. *De adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ.* Pag. 484.
Cap. XV. *De poteſtate diſpenſandi in legibus, & excommunicandi.* Pag. 495.
Cap. XVI. *De Afflictionibus.* Pag. 540.

MUTA FIANT LABIA DOLOSA, QUÆ LOQUUNTUR ADVERSUS JUSTUM INIQUITATEM, IN SUPERBIA ET IN ABUSIONE. Pſ. 30. v. 21. & 22.

CLE-

CLEMENTINA, UNIGENITUS,

A nuperis Anonymi Auctoris dubiis VINDICATA

Hoc eſt,

THEOLOGIA SUPPLEX REFUTATA &c.

PRÆFATIO.

I. PRodiit non ita pridem libellus Anonymus ſpecioſo hoc inſignitus titulo: *Theologia Supplex coram Clemente XII. Pontif. Max. Clementinæ Conſtitutionis, Unigenitus Dei Filius &c Explicationem atque intelligentiam ſubmiſſe rogans &c.* Coloniæ MDCCXXXVI. Tam ſpecioſum titulum huic operi minus apte congruere, indicare nobis illius Auctor voluiſſe videri poteſt, cum nomen ſuum frontiſpicio ſubtraxit. Enim vero, qui ſupplicat, & eo modo quo decet, id eſt humiliter, ſincere, venerabunde ſupplicat, non habet, cur nomen occultet ſuum. At qui male agit, odit lucem: unde ſubtractio illa nominis, quaſi indicium eſt delinquentis. Et vere talem potius inveni Auctorem, quam Supplicem. Vix enim paginam percurrere eſt, quin ad quemlibet paſſum offendas dubitan-

tem, ſitne per Conſtitutionem *Unigenitus* damnata ſententia aliqua Sacræ Scripturæ, aut Sacrorum Conciliorum, aut SS. Patrum, præſertim clariſſimorum Scholæ, quin & Eccleſiæ Luminum, hodiernæ novitatis fulminum, Auguſtini & Thomæ; aut purioris Moralis profeſſorum? Quod quid aliud eſt (uti recte obſervatum Clementi XI. in Brevi *Paſtoralis Officii &c.*) quam dubitare, Erraveritne Sedes Petri in Clemente, Romana Eccleſia particularis, quin & Eccleſia Catholica Univerſalis, Conſtitutioni *Unigenitus* adhærens? Et talem libellum vocabimus Supplicem?

Nondum videram Colloquia Patavina.

II. Ea propter ſperavi fore, ut quiſpiam e tot nobiliſſimis ingeniis, quibus Italia, præſertim Roma abundat, libellum hunc merita reſponſione refutaret. Verum huc uſque, cum nihil, quod ſciam, comparuerit, quidpiam huic libello, non meis viribus, qui omnium ſum Theologorum infimus, ſed bonitati cauſæ, quam defendo, fretus, reſponſi dare conſtitui. Hoc tanto alacrius aggreſſus ſum, quod Conſtitutionem *Unigenitus*, tum ex ſe ipſam, tum ex eis quæ hac occaſione a Romana Cathedra proceſsêre oracula, ſumme honorificã ac proficuam Scholæ Auguſtino-Thomiſticæ dudum exiſtimaverim. Notum quippe omnibus eſt, Queſnellum erroribus ſuis larvam Thomiſmi conatum imponere. Detraxit hanc Conſtitutio *Unigenitus*, dum articulos in variarum olim damnatarum Hæreſeon, non in Thomiſtarum, ſed Janſenii præſertim ſenſu damnatos, clariſſimis verbis affirmat: ***Omnes & ſingulas propoſitiones præinſertas***, verba ſunt Conſt. Unigenitus, ***tamquam falſas .... ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimum illas, quæ in famo-***

ſis

Digitized by Google

ſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ ſunt, manifeſte innovantes ..... damnamus & reprobamus. Diſplicuit non modicum Queſnello, ac ſequacibus ejus, tam apertè a Clemente XI. fuiſſe diviſam lucem a tenebris. Nube parvarum gratiarum, vocetenus ſufficientium; voluntatis antecedentis, ſed ſterilis, & neſcio quibus aliis umbris doctrinam ſuam obtegere: ſi forte quiſpiam Ixion pro Junone eam amplecti dignaretur. Succeſſit illi aſtuta fraus quadamtenus. Sed advertit id illico Clemens, nec parum indoluit; promptoque remedio graſſanti malo occurrit, edita Conſtitutione *Paſtoralis Officii &c.*

III. In hac non contentus dixiſſe, ſe Janſenianam, Queſnellianamque doctrinam ex orbe catholico proſcripſiſſe; Thomiſticam vero etiamnum tutè in Orbe, & Urbe commorari; id inſuper addit: Queſnellum, ejuſque gregales, ipſos ſe jam olim ab illis, quas advocabant Scholis, eorumque Principibus ſegreges feciſſe: falſoque tali in nomine gloriari: *Niſi ab antiquis ſemitis, Sanctorumque Patrum veſtigiis, immo ab EARUNDEM SCHOLARUM INSTITUTO, QUOD VERBIS* profitentur, RE IPSA RECESSISSENT &c. Quid, quod ipſe Clemens, poſt editam Sacroſanctam Conſtitutionem, Thomiſtam ſe profeſſus ſit? Lege ſi lubet Epiſtolam Archiepp. & Epiſcopis Galliarum ſcriptam, fatebere, quod dico: *Cum vero*, ait, *ſufficientiam noſtram EX DEO eſſe probe agnoſcamus*(en gratiam Thomiſtice ſufficientem) *effundamus primum coram illo corda noſtra, jugibus lacrymis & precationibus clamantes, ut reſpiciens de cœlo, & viſitans vineas iſtas, superſeminata inibi diſſidiorum zizania penitus evellat,* 20. Novembris 1716.

detque voci veſtræ vocem virtutis : renitentes autem Fratres Spiritus ſui dulcedine perfuſos ad concordiam **FLECTAT**, *atque ad obedientiam* **ADDUCAT** (en gratiam Thomiſticè efficacem) *in laudem gloriæ* **GRATIÆ SUÆ** *&c.* Adde his eam phraſim, quâ Clemens XI. Epiſt. ad Ducem Aurelianenſem, Galliæ Regentem, uſus eſt : *Conſcii enim*, inquit, *probe ſumus, & fiduciam habemus ad Deum, quamdiu catholicæ fidei veritatem, & Eccleſiæ unitatem ſervandam unice ante oculos habuerimus, nullis Nos debere, nec* **POSSE** *aut perturbationibus concuti, aut periculis deterreri*. An aliter loqueretur Thomiſta juratus ? Quid hic commemorem alia, quæ ſcholæ noſtræ Auguſtino-Thomiſticæ ex Conſtitutionibus, ab Apoſtolatus Specula emiſſis per Benedictum XIII. ac Clementem XII. fel. regn. acceſsêre decora? Adeat harum rerum cupidus inſigne opus, quinque conſtans tomis, Revmi ac Sapientiſſimi S. Theol. Doctoris, M. Cajetani Benitez De Lugo, Conſultoris in Congreg. Sacrorum Rituum, ac S. Romanæ, ac Univerſalis Inquiſitionis Romanæ Qualificatoris : inveniet luce meridiana clarius demonſtratum, Caracteriſtica puncta Scholæ noſtræ Auguſtino-Thomiſticæ tantum non tranſiiſſe in canonem &c. Hæc ſufficienter, ni fallar, oſtendunt, Conſtitutionem *Unigenitus* honorificentiſſimam accidiſſe Scholæ noſtræ. Fuit etiam maxime proficua : quod hac fortaſſis occaſione inſigne privilegium conferendi Academicos gradus, etiam Secularibus Adoleſcentibus, Scholas noſtras frequentantibus, olim a Gregorio XIII. R. P. Provinciæ S. Antonini de Novo Regno in Civitate S. Fidei conceſſum, Clemens XII.

Die 23. Novem. 1716.

quem

quem diu ſoſpitet Deus, ad omnia ſtudia, Conventus, & Univerſitates præfati Ordinis Noſtri, de novo extenderit & conceſſerit: uti latius patet in Brevi ac de re expedito 5. Kal. Sept. 1733.

Verbo Dei ſcripto & tradito innixam ſcientiá.

IV. Movit me quoque, quod Auctor *Theologiæ Supplicis*, SS. Eccleſiæ Patres ac Doctores Auguſtinum & Thomam, quaſi Queſnello faventes exhibeat, dubitetque, fuerintne illi una cum Queſnello per Clementis XI. Conſtitutionem proſcripti. Aſtutum calumniandi artificinm, recentiſſime a Clemente XII. fel. Reg. ſub cenſuris eccleſiaſticis vetitum. *Magnopere dolemus*, inquit Pontifex, in Brevi *Apoſtolicæ providentiæ*, Dato 2. Octob. 1733., *tenebras a diſſenſionis filiis offuſas nondũ ex quorundã mentibus ſatis eſſe diſcuſſas; ſed pleroſque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere cenſuris laudatæ Conſtitutionis doctrinam Sanctorum Auguſtini & Thomæ de divinæ gratiæ efficacia eſſe perſtrictam. Ut igitur nullas caritatis partes ad revocandos errantes Nobis reliquas faciamus, univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus quacumque dignitate, etiam Epiſcopali, & majori fulgentibus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, & ſub canonicis pœnis mandamus, ne diſputantes, aut docentes, ſive in ſcholis, ſive in concionibus, ſive ſcriptis editis, ſive aliter propoſitiones defendant, aut enuncient, quæ antedictas novatorum calumnias FIRMARE, AC PROMOVERE POSSINT &c.*
Præcipuum tamen quod me impulit, hoc fuit: præparare quoddam antidotum, contra venenum quod adflat lectoribus ſuis Pſeudo-*Theologia Supplex*. His de cauſis, alacri animo, huic tutandæ Sacroſanctæ Conſtitutioni, quantum exiguæ meæ vires permitterent, acceſſi. Tutendæ, dico,

non

non contra alicujus momenti rationes, ſed fictos ſcrupulos, ſeu mavis, vitilitigationes, imo dolos ac fraudes Anonymi Auctoris. Qualiter autem proceſſerim, non erit inconveniens hic Lectori indicare.

V. Prius ergo quam perges, Lector, & ſequentes lineas, atque tum poſtea caput primum ac ſecundum, priuſquam ulterius progrediare, evolves, ac attente conſiderabis: non, puto, te poenitebit. Licet apud omnes catholicos certum ſit, doctrinam SS. PP. ac Eccleſiæ Doctorum Auguſtini & Thomæ immani a damnatis erroribus Queſnelli tutam eſſe diſcrimine; illudque ipſum demonſtratum ſit innumeris doctiſſimorum virorum ſcriptis; quos inter ex Ordine noſtro computare poſſumus Dujardinios, Van Bilſios, Ranſtios, Poelmannos, Nicolios, viros in Ordine ac Lovanienſi Univerſitate gradibus Academicis (ultimus ad Duacenſem ſpectat) ac geſtis præclare Provincialatus, ac Vicariatus Apoſtolici officiis, inſignes; idem quoque declaraverint Romani Pontifices omnino quatuor, Clemens XI. Innocentius XIII. in epiſtola ad Ludovicum XV. Galliæ Regem declarans ſe inhærere menti prædeceſſoris ſui, Benedictus XIII. ac Clemens XII. feliciter regnans, quia tamen Auctor *Theologiæ Supplicis* etiamnum circa hoc angi videtur, oſtendendum fuit, timorem ejus, ſi fictus non eſt, panicum omnino eſſe. Quapropter, ubi ipſi videtur cum his Patribus Queſnellus convenire, oſtendo longiſſime recedere ab iiſdem; atque damnatis pridem ab univerſa Eccleſia hæreticis accedere: imo eorumdem hæreſes reſuſcitare. Hoc enim pacto, putavi, me, & Conſtitutio-

24. Martii 1722.

tio-

tionem Clementinam egregie defenſurum, Auctori *Theol. Supplicis* omnem timorem adempturum, Auguſtinum & Thomam, eorumque inſignem ſcholam abunde vindicaturum: id eſt, una fidelia plures dealbaturum parietes. Enimvero ſi Queſnellus veteres errores & hæreſes ſuſcitat, jam ſe ipſe, priuſquam a Clemente XI. damnaretur, damnationi involvit; nec poterunt Queſnelliani evadere, iiſdem retibus involuti, niſi reſipiſcant: conſtabit Auctori *Theol. Suppl.* non SS. damnari Patres, ſed veteres hæreticos, in Queſnello redivivos: Auguſtinus, quem (verba ſunt Cæleſtini R. P. ad Epiſcopos Galliæ) *in noſtra ſemper communione habuimus, nec UNQUAM ſiniſtræ ſuſpicionis SALTEM rumor aſperſit*; & Thomas, qui *Verbo Dei Scripto & Tradito innixam ſcientiam* tradidiſſe aſſeritur recentiſſimè a Clemente XII. atque omnes hæreſes *ad hæc uſque tempora* prædamnaſſe, confirmatur: eorumque Schola, vulgo *Thomiſtica*, ampliſſimo privilegio, & vetuſtis Magiſtrorum ſuorum confirmatis laudibus ab eodem Pontifice Clemente XII. illuſtrior & commendabilior reddita, ab omni prorſus ſuſpicionis umbra pravæ immunes erunt.

VI. Huic ergo rei quaſi principalius inſiſto. Non quod SS. Auguſtinum & Thomam nunquam oſtendam Queſnello adverſos; ſed quod id faciam fere occaſionaliter: nec omnia ſcripſerim quæ potuiſſem circa hoc punctum adducere. Non tamen nihil ſcripſi; quantum ſcilicet, meo judicio, adducendis aut reducendis a contraria opinione non omnino protervis ſufficere poſſit. Illud vero quod dixi principale propoſitium, hac breviſſima via me conſecuturum ſperayi; ſi nem-

pe

pe ſenſum naturalem & obvium propoſitionum Queſnelli ſollicite indagarem, & Lectori nitide & clarè, quantum poſſem, & tenebræ illæ patiuntur, ob oculos ponerem. Sic olim S. Fulgentium
Cap. 28. contra Fauſtum feciſſe Felicianus in ejus vita nobis auctor eſt. Cum *eos libros*, inquit, *Fauſtus ſubdolo ſermone compoſuerit, favens occultè Semipelagianis, ſed catholicus tamen videri volens*, Fulgentium ait, *plus laboraſſe exponere quam convincere: quia dubios ſermones ejus exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere*.

VII. Ut autem in ſenſu illo indagando certius procederem, non parum operarum impendi, in præſcribendis mihi ipſi certis regulis: volvendoque varias Romanorum Pontificum Bullas, opus etiam S Auguſtini De Gratia Chriſti contra Pelagium, deprehendi ſummos illos viros vel ex connexione propoſitionum aliquarum ejuſdem auctoris inter ſe, vel ex circumſtantiis perſonæ loci & temporis, vel ex aliis ejuſdem auctoris operibus, aut ex ejus diſcipulis, vel aſſociatis &c. ſenſum propoſitionum quas damnabant collegiſſe. Horum ſtatui ſequi exemplum: *Auctores imitare bonos, hæc regula certa eſt*.

VIII. Quoad Auctorem *Theologiæ Supplicis*, illum qua potui lenitate tractavi, in votis habens eum lucri facere, non irritare. Et quamquam hinc inde forte verbum aliquod duriuſculum mihi exciderit, id infirmitati meæ velim adſcribat, non rancori, aut vindicandi libidini, aut eum exacerbandi. Nec dubito, ſi cordatus eſt, quin id mihi facile ſit condonaturus; cum ignorare non poſſit, meritum ſe eſſe acriori lixivia perfricari: utpote, cujus libellus ſupplex eo modo ſcriptus ſit, ut

ne

ne a patientiſſimo quidem ſine indignatione evolvi poſſit. Ecquis enim patienter legat privatum Theologū, nomine totius ordinis Theologici dubitantem, fuerintne per Conſtitutionem ab univer. Eccl. acceptatam, eamque dogmaticam, damnatæ Sacræ Paginæ, proſcripta Concilia, cenſurati Patres, cauterio inuſti purioris moralis magiſtri? Ne David quidem cum tota ſua manſuetudine inſultantem caſtris Dei viventis Goliath ferre patienter potuit. Quis, objicientem truncationem, falſationem, truncatorem ipſum & falſarium? Hoc ipſi manſuetudini extorſit formidabilia verba illa: *Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & parapſidis; ut fiat & id quod deforis eſt, mundum*. Quis SS. Patrum ſententias mutilantem, ut invitos in damnatos ſenſus trahat? *Quaſi*, inquit alibi Hieronymus, *grande ſit, & non vitioſiſſimum dicendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Sacram Scripturam*, Sanctos Patres, *trahere repugnantem*, repugnantes. Quis toleret promittentem *puram, nitidam, caſtam explicationem per ſingulos articulos*, ſæpe tamen naturalem ſenſum omittentem, & exoticos, fictitios, quorum nec vola reperitur nec veſtigium, obtrudentem? Hæc tamen & alia commiſiſſe Auctorem *Theologiæ Supplicis*, vel ipſe, ſi hoc opuſculum mente ſerena legere voluerit, & quicumque alius, facile deprehendet. Non dico illum ſtudio & dedita opera ſimilia perpetraſſe, abſit: malo interpretari ei fuiſſe ſub vel obreptum. Scilicet, evolverit aliqua damnata opuſcula, olim in Queſnelli defenſionem ſcripta, quibus ille nimiam fidem adhibuerit. Quod ſi ita eſt, aperiat tandem oculos, nubemque ſibi objectam depellat: melius eſt ſero ſapere quam nunquam.

VIII.

IX. Licet vero hinc inde occurrerent quæſtiones non contemnendæ, quia tamen ad præſens intentum meum parum aut nihil faciebant, eas præterii & omiſi: quod & Auguſtinum aliquando feciſſe deprehendo, uti teſtatur ipſe *de dono perſeve. cap. 11. ideo*, Inquit, *quæſtiones operoſiſſimas incidentes enucleate ſolvere nolui, ne nimium longum opus eſſet &c.*

X. Habes hic, benigne Lector, rudem hujus opuſculi ideam. Eo tu utere, & pro me ora: præſertim ſi deprehendas me alibi erraſſe; ut errorem quam citiſſime agnoſcere & corrigere valeam. Errare me poſſe ſcio, ut ne hæreticus fiam proderunt preces tuæ. Interim vero quidquid ſcripſi emendationi & correctioni Romani Pontificis, id eſt, Cathedræ S. Petri ſubjicio; dicens cum S. Hieronymo Epiſt. ad Damaſum: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, BEATITUDINI TUÆ, id eſt, CATHEDRÆ PETRI, communione conſocior: ſuper hanc Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum commederit, profanus eſt: Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio.*

XI. Prius tamen quam finiam, monendus Lector 1. ne Auctorem *Theologiæ Suppl.* habeat pro Thomiſta. Nempe Thomiſmi, inter alia, character eſt, indiſſolubilis adhæſio, & ſumma veneratio erga S. Sedem Apoſtolicam, in quam Auctor ille haud leviter injurius eſt. Quin S. Thomas ſi in terris etiamnum degeret, ſimilemque virum ſe diſcipulum ſuum jactantem audiret, nullus dubito, in eum vibraret, quod in janos & & fictos homines, non ſine ſancta indignatione ſolebat, *Aut eſto quod appares, aut appare quod es.*

Ni-

Nihilo magis Auguſtinianus eſt, quidquid jactet: niſi Iprenſem, non Hipponenſem Auguſtinum intelligat. Huic enim ſat olim erat, Romà reſcripta veniſſent, ut cauſam, quæ ventilabatur, finitam diceret: Lupoſque appellabat ubique invenirentur conterendos, qui contra auſi fuiſſent muſſitare. Hæc ſemper inviolabiliter obſervarunt veri Thomiſtæ, S. Dominici filii: cujus rei non modo exempla innumera, ſed ſuperſtites etiam cicatrices, ſi opus foret, poſſumus demonſtrare. Ut ille nec Dominicanus, ſive Ordinis Prædicatorum Profeſſor, & SS. Auguſtini & Thomæ diſcipulus haberi debeat, aut poſſit, qui, quidquid dicat, aut forinſecus appareat, hanc regulam inviolabiliter non ſequitur.

XI. Secundo, ſæpius in hoc opuſculo contingit, ut allatæ in uno §. auctoritates, qua Sacræ Scripturæ, qua SS. Patrum, deſerviant ad confirmanda dicta in aliis §§. Id hoc conſilio factum arbitrari dignabitur 1. ne, ſi omnia quæ in confirmandis dictis quolibet §. in ſingulis adducta fuiſſent, volumen nimium excreſſeret, atque ex opuſculo evaderet opus. 2. Ne eadem ſæpius repetendo, tædio lector afficiatur 3. ut unus §. alterius confirmationi deſerviat, ſolidiuſque inter ſeſe cohæreant. 4. Ut Lectoris ipſius induſtriæ aliquid relinquatur; ſolent enim quæ ipſi reperimus ultro oblatis eſſe gratiora. Eandem ob cauſam hinc inde certas omiſi reflexiones, quæ ex dictis naturaliter ſequebantur. 5. Tandem, ut inde ſtimuletur ad totum opuſculum a capite ad calcem evolvendum.

XII. Quod ſi aliquando eidem propoſitioni varios ſenſus, ac diverſos aſſignem, quam alii Auc-

Auctores hac de materia tractantes : nullum inde pro Queſnello commodum erui poteſt : quippe id , illius propoſitiones variis erroribus gravidos, minime innocentes eſſe , ſignum eſt evidentiſſimum : præſertim ſi attendatur , omnes illos ſenſus , a me aſſignatos , ex ipſis met Queſnelli verbis , ſatis evidenter, ut puto, deductos eſſe. Vale.

CAPUT I.

In quo Præfatio, & Supplicatio ad CLEMENTEM PP. XII. *directa ab Auctore Theologiæ Supplicis, examinatur & corrigitur.*

I. ORditur telam ſuam Auctor Theologiæ Supplicis a deſcriptione duplicis generis refractariorum Conſtitutioni *Unigenitus*: quorum unum aperto marte, alterum tecte & per cuniculos, licet eam religioſe videri velit accipere, irreligioſe tamen & irreverenter adulterat. Ea propter voluiſſe opportunam congruentemque Conſtitutionis Clementinæ defenſionem ſuſcipere; qua illius oppugnatores exarmet, hoſtileſque conatus infringat: puram nitidamque, & caſtam explicationem per ſingulos illos articulos edendo &c. Duplex eſſe genus adverſariorum Clementinæ Conſtitutionis, ac utrumque ejuſdem puræ & ſimplici receptioni non parvam attuliſſe remoram, negare etſi velim, non poſſum: poſtquam id etiam expreſſum video in Vita Clementis XI. edita Urbini anno 1727: Opere ſcilicet publica fide digniſſimo; cujus auctori; ***Benedictus XIII. P. M. omnia prorſus, etiam arcanis mandata litte-*** Præf. n. 3.

ris

ris documenta, quæ ſcriptioni prodeſſe poſſent, ab Archivorum Apoſtolicæ Sedis Cuſtodibus, ſingulari humanitate, atque beneficentia communicari juſſit. De primo adverſariorum genere nulli dubium eſſe poteſt: de ſecundo vero in opere cit.

Lib. 4. n. 37. ita lego: *Neque defuerunt, qui tametſi Queſnellianis, ut Catholicos decebat homines, eſſent adverſi, & Clementinæ Sanctioni obſequerentur, licentia nihilominus pari illuſtres utriuſque Sanctiſſimi Doctoris* (Auguſtini & Thomæ) *ſcholas criminabantur: ſua alia de cauſa intereſſe rati, id calumniæ genus vulgo alere. At horum hoc item Pontificium diploma* (Paſtoralis Officii) *tempeſtivè compreſſit audaciam.*

II. Hujuſmodi calumniam, prætexebant primi generis refractarii ſuæ inobedientiæ; prout

Lib. 4. n. 37. in Vita Clementis XI. & in Conſtitut. *Paſtoralis officii*, videri poteſt; quæ dein confirmata ab iis qui Conſtitutionem *Unigenitus* ſe admittere aſſerebant, non poterat non retardare debitam hujus acceptationem. Quapropter non Clemens XI. tantum, ſed ſequentes etiam Pontifices hujuſcemodi calumniam ſollicite; uti mox dicetur; diſſipare ſunt conati. An vero Auctor *Theol. Suppl.* contra utroſque Conſtitutionis adverſarios *opportunam congruentemque defenſionem*, uti

Pag. 5. ait, *puram nitidamque & caſtam explicationem per ſingulos illos articulos edendo* ſuſcipiat, ex dicendis tota hac ſcriptione, Lector prudens judicabit. Mihi omninò idem ſtatuendum de explicationibus *Theologiæ Supplicis* videtur, quod

Lib. 4. n. 37. Auctor Vitæ Clementis XI. de explicationibus cujuſdam Prælati Comitiis generalibus Gallicanis anni 1714. exhibitis, ſtatuit, nimirum:

Ob-

Objectæ ſæpius expoſitionis rogantibus exemplum ; . . id tandem exhibuit ſpecimen , quod Apoſtolicam Conſtitutionem , non jam tueri , munire , ſervare integram ; ſed eludere , oppugnare , evertere : tum etiam proſcriptas in ea aſſertiones palpare , firmare , ac veluti ſubſidiario umbone tegere videbatur .

III. Deinde convertit orationem ad Clementem XII. fel. reg. *Theologia Supplex* ,, Tametſi , ,, *inquit*, Pontificiæ dignitatis injuria videri poſ- Pag. 9.
,, ſit , factam in *Petri* ſede deciſionem aliquam , ,, niſi prius ab ipſo explicetur judice , accipere ,, nolle ; nulla tamen injuria fuerit , ſed cultus ,, potius , obſequium , obſervantia , cum ſemel ,, deciſionem Pontificiam reverenter receperis, ,, illius demum explicationem , ut & obſervari ,, religioſius , & contra oppugnantes defendi ,, validius poſſit ſuppliciter poſtulare. ,,

IV. Sed cui credidit Auctor ille , impoſiturum ſe , quod Conſtitutionem Pontificiam reverenter receperit , dum in eodem libello poſtulat ſibi aperiri, fuerintne S. Scripturæ, Conciliorum, SS. Patrum ſententiæ; an vero ſenſus aliqui , qui *Queſnelli* fuerint *viſi* , *putati* , *crediti* per Sanctionem *Unigenitus* damnati ? An Summo Pontifici , Eminentiſſimiſque Cardinalibus ? Non cogitavit ergo *eos eſſe Romanos* ; uti S. Cyprianus Epiſt. 55.
ait ; *ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum* ? alias 52.
Dudum cuniculum illum evertit Clemens XI. dum in Conſtit. *Paſtoralis officii* ita fatur ,, De- ,, inde ne quis Chriſtianum populum ſeducere ,, pergat inanibus verbis, vos omnes , ut neceſſe ,, eſt, monitos volumus, & certos facimus, quod ,, fruſtra , & quidem non ſine fermento malitiæ

 ,, & ne-

„ & nequitiæ, iſtiuſmodi homines nobiſcum in
„ doctrina religionis *conſentire ſe jactant*, dum
„ interim heterodoxorum exemplo præeunte,
„ editam a nobis Conſtitutionem, quam Uni-
„ verſa Eccleſia veneratione debita complecti-
„ tur, non modo alienis ab ipſo verborum te-
„ nore interpretationibus, ſed & apertis calu-
„ mniis ſuperinductis, maligne carpere audent;
„ & immanium errorum accuſatione perſtringe-
„ re: perinde ac ſi ipſi ſoli, aliis Chriſtifideli-
„ bus ubique gentium deſipientibus, ſaperent:
„ ipſi ſoli reliquis cæcutientibus, lumen verita-
„ tis aſpicerent. *Nec profecto minor eſt eorum*
„ *culpa*, qui, ut facilius incautis illudant, cum
„ hęc ipſa moliuntur, eidem Conſtitutioni noſtrę
„ nequaquam adverſari, ſed *ſolas declarationes*,
„ in rebus tamen apud cæteros omnes plane per-
„ ſpicuis, *poſtulare ſe ſimulant*: non quidem diſ-
„ cere, ſed *tentare* cupientes, ut Eccleſiam, ſi
„ poſſint, quæſtionibus *inutilibus & intermina-*
„ *tis immiſceant*, & luci catholicæ veritatis te-
„ nebras quoquo modo obſcuritatis offundant.
„ Ita ſane patientia noſtra abutentes, Apoſto-
„ licæ auctoritati obſequium, & reverentiam
„ ſe exhibere *gloriantur* illo ipſo tempore, quo
„ ei *graviſſimam* inferunt *injuriam*. Iiſdem ſi-
„ quidem explicationum petitionibus ſatis aper-
„ te oſtendunt, ideo ſe Conſtitutioni noſtræ
„ debitam obedientiam *nondum præſtitiſſe*, quia
„ verentur, *ne per illam catholica dogmata con-*
„ *vellantur: ne laudabilis, & ab hac S. Sede*
„ *probata Eccleſiaſtica diſciplina infringatur; ne-*
„ *ve demum ſalubriores Chriſtianorum morum re-*
„ *gulæ ſubvertantur*. Quod plane idem eſt ac
„ ve-

„ vereri, ne *defecerit fides Petri, totaque Chriſti*
„ *Eccleſia Magiſterio Apoſtolicæ vocis imbuta, a*
„ *via veritatis & ſalutis erraverit.* „ Quæ verba tam apte quadrant propoſito, ut applicatione noſtra non egeant.

V. Pergit idem auctor. Senſum damnatarum propoſitionum ambiguum eſſe, unde confuſio in Theologica diſciplina. Fideles quibus ſatis non eſt acuminis ut damnatum ſenſum ab indemni ſecernant, putare, SS. Patres ſub Queſnelli corio, atque Concilia vapulare. Vafros quoſdam Scribillatores, Auguſtinum tandem in ordinem redactum effutire. Epiſcopos inter ſe diviſos: unam & eandem doctrinam alibi catholicam, alibi hæreticam audire. Sublatam ſcholis catholicis libertatem. Hæreticos violatam Clementina Conſtitutione catholicam fidem, reſciſſam morum diſciplinam, inſtauratum Pelagianiſmum effutire; citato, neſcio cujus *Frichii* miniſtri *Vlmenſis* famoſo libello, queritur. Pag. 12. Huic malo non alia via occurri poſſe autumat, Pag. 14. quam ſi promiſſæ a Clemente XI. explicationes, ubi ſemel Conſtitutionem ſuam Univerſæ Eccleſiæ accepiſſent, debitamque obedientiam præſtitiſſent, promulgentur. Non ſufficere huic malo ſi generatim declaretur propoſitiones in ſenſu dumtaxat auctoris fuiſſe proſcriptas, non in ſenſu Auguſtiniano & Thomiſtico, qui ſanus ſemper & orthodoxus eſt habitus: quod inventi ſint noſtra ætate Molinianæ ſcholæ profeſſores (Liberius Gratianus, Denunciatores Herminæi & Haberti) qui gratiam ſe ipſa efficacem, qualis in Schola Thomiſtica traditur, purum putumque Calvini atque Janſenii errorem dicere,

ſcribereque non erubuerint. Quod in aliquibus ſenſus fruſtra quæratur auctoris, in quo reipſa non extant, ſed mutilæ ac detruncatæ cenſorum judicio ſubjectæ ſint; ut 29. & 59. &c.

VI. Quamquam ad hæc omnia reſpondeatur in expoſitione propoſitionum condemnatarum, omittere tamen non poſſum, quin hic aliquid obiter dicam. Quod ergo ſpectat ſimplices fideles, quibus non eſt ſatis acuminis ad diſcernendum pravum propoſitionum ſenſum; ſecuri illi eſſe poterunt adhærendo Jeſu Chriſti in terris Vicario, Succeſſori Petri, Paſtorum Paſtori Romano Pontifici: dicendo non minus confidenter quam humiliter: *Si error eſt quod ſequimur*, Domine, *a te decepti ſumus*. Sanctos Patres aut Concilia ſub Queſnelli corio vapulare, tantum abeſt ut in mentem veniat ſimplicium fidelium, quibus a juventute inculcatum eſt, *Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis, adverſus quam portæ inferi nuſquam prævalebunt*, quam, quod Deus ſit infidelis in promiſſis ſuis. De Hæreticis qui nuſquam ceſſabunt coaxare contra Eccleſiam, niſi hæc, ſi ſuperis placet, eorum errores acceptet, non tantopere eſt curandum. Auguſtinum per Conſt. *Unigenitus* in ordinem redactum, pura calumnia eſt ab ipſo Clemente ac Succeſſoribus Pontificibus abunde retuſa. Epiſcopos inter ſe diviſos; eandem doctrinam alibi catholicam, alibi hæreticam audire, plus aliquid momenti videtur habere. Si hæc conſtabant auctori, probarique poterant, non erant libello typis edito, eoque anonymo divulganda; nec Pontifici præſcribendæ leges, quibus deberet mediis hiſce occurrere malis. Scripto humili & reſpectuoſo, ut in ſimi-

libus

libus ſolebant SS. Patres, exponendo pericula, rogando ut modo bene ſibi viſo iis occurreret Pontifex, potuiſſet auctor muneri ſuo facere ſatis. Sublatam catholicis ſcholis libertatem, mera fictio eſt, quæ ex iis, indies accidunt in ſcholis & diſputationibus in Urbe & Orbe, falſitatis convincitur. Quod ſcribillatores illos ſpectat, qui Scholam Thomiſticam, Conſtitutionis *Unigenitus* obtentu, aggreſſi ſunt; ſane hi plus profuerunt ſcholæ noſtræ odio ſuo, quam potuiſſent unquam amore prodeſſe. Exinde enim habemus quatuor omnino recentiſſima Pontificia Brevia, quæ ſcholæ noſtræ doctrinam a damnata Janſeniſtica & Queſnelliana ſecreverunt: exinde confirmata omnia Encomia a Clemente XII. quæ prædeceſſores illius ſcholæ noſtræ contulerant: exinde ampliſſimum illud Privilegium conferendi gradus Academicos Sæcularibus adoleſcentibus: exinde doctrinam noſtram de gratia per ſe efficaci & prædeſtinatione gratuita ad gloriam, quam adverſarii rurſus ceperant negare eſſe SS. Auguſtini & Thomæ, horum SS. Doctorum eſſe, Pontificio Oraculo tenemus: exinde habemus ſub Canonicis pœnis vetitum, ne quis, non dico ullas cenſuras in ſcholam noſtram intorqueat, ſed quidquam doceat, ſcribat, prædicetve quod hujuſmodi cenſuras poſſit quovis modo promovere aut firmare. De quibus omnibus videnda Brevia Pontificia: ***Demiſſas preces* – *Verbo Dei ſcripto & tradito*. *Apoſtolicæ providentiæ***, reſpectivè a Benedicto XIII. & hodierno Pontifice Clemente XII. promulgata. Si his nihil obſtantibus, non ſe intra debitos cancellos contineant adverſarii, ſperamus etiam meliora.

VII. Satis porro mirari non poſſum auctorem illum non erubuiſſe objicere, aliquas propoſitiones reapſe non extare in Queſnello, ut 29. & 59. ipſum, qui auſus eſt truncare & mutilare propoſitionem 54. & 73. Quod ſpectat ad vigeſimam nonam, quî dici poſſit eam non extare in Queſnello, non video. Sic quippe lego in edit. gallica Operis Queſnell. an. 1693. & 1696. *L'Egliſe eſt la maiſon du ſalut; hors d'elle point de grace, point de gueriſon, point de vie. Lucæ* 10. *v.* 36. Quærebam a viro inſigni, natione Gallo, qui mihi edit. an. 1696. humaniſſime exhibebat, quid ſibi vellent particulæ illæ *point de grace &c.* Reſpondebat illico: *nulla gratia, nulla ſalus, nulla vita*. Et dicet propoſitionem illam non extare in Queſnello? Sed truncata eſt & mutila. An quod non ſit additum, *nulla ſalus, vita nulla*? Aut propoſitio quoad illas particulas eſt damnabilis, aut non eſt? Si poſterius, non debebant exprimi; ſi prius, ex additione illarum nihilo fiebat melior. Multa etiam alia fuiſſe omiſſa, etſi damnabilia, monet ipſa Conſtitutio *Unigenitus* §. *Cæterum*. Cur ergo propoſitio hæc mutila dicitur? Quia, inquit, *Theol. ſupp.* Pag. 94. loquitur Queſnellus *de gratia ſalutem & vitam operante*; & hoc non eſt expreſſum in Conſt. *Unigenitus*. Sed errat longiſſime a mente Queſnelli: tum quod de vita & ſalute poſtea addatur apud Queſnellum: *Nulla ſalus, vita nulla*: tum quod To *Non*, ſit ſignum univerſale negativum, totum quod poſt ſe reperit, deſtruens, ut ajunt Dialectici: denique, talis explicatio repugnet aliis Queſnelli propoſitionibus, nominatim 26. nimirum: *Nullæ dantur gratiæ niſi per fidem*:

& 27.

& 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum* : ergo extra Eccleſiam, ad quam non pertinemus niſi per fidem, juxta illa principia, *nulla datur gratia*. Nulla igitur hic detruncatio, nulla mutilatio, quæ mutet ſenſum, ſed totus & integer ſenſus propoſitionis damnabilis expreſſus eſt : maximè ſi attendamus regulam I. ſequenti capite aſſignandam.

VIII. Quoad propoſitionem 59. nihilo plus difficultatis eſt. Sic habet Conſtitutio : *Oratio impiorum eſt novum peccatum; & quod Deus illis concedit eſt novum in eos judicium*. Apud Queſnellum in verſione latina an. 1695. quam conformem eſſe edit. 1694. oſtendam, lego Joan. 10. v. 25. *Impiorum oratio novum eſt peccatum; quodque Deus eis impertit, novum eis judicium eſt*. Cedo, quæ illic detruncatio aut mutilatio? An quod termini ſint nonnihil tranſpoſiti : *Oratio impiorum, impiorum Oratio?* An quod in prima dicatur, *Et quod*, in ſecunda, *Quodque?* An quod in una, *Eſt novum in eos judicium*, in altera, *Novum eis judicium eſt*? Nugæ. Nihil mutat ea diverſitas de ſenſu. Sed, inquit, loquitur Queſnellus de oratione *iniquo, maligno, arroganti, ingrato, fallaci animo facta*. Nego ſuppoſitum, quod peccator, in principiis Queſnelli poſſit aliter orare : quippe juxta propoſitionem ejus 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo regnet carnalis cupiditas, omneſque ejus actiones* (adeoque & orationem) *corrumpat*. Gravius eſt quod addit : *Conſiderationem ſubjungit auctor his verbis expreſſam: TALIS oratio impiorum eſt novum peccatum*. Cum multæ ſint editiones libri Reflexionum Moralium, debebat auctor iſte addere Pag. 52. Pag. 53.

dere in qua editione id legerit. Expreſſe dicitur in Conſtitutione *Unigenitus* propoſitiones damnatas extractas eſſe *reſpectivè* ex editionibus anni 1693. 1694. & 1699. igitur incumbebat ei oſtendere, To *Talis* reperiri in illis editionibus. Sic lego in editione Gallica anni 1693. ***La priere des impies eſt un nouveau pechè; & ce que Dieu leur accorde, un nouveau jugement ſur eux.*** Ubi, ut vides, abeſt To *Talis*. Abeſt quoque ab editione Latina 1695. Editio alia Gallica 1699. ad manum non eſt. Fateor tamen ingenue quod invenerim editionem anni 1696. in qua legebatur: *Une telle priere*, Talis oratio. Sed hoc ad rem non facit, cum illa editio in Conſtitutione *Unigenitus* non citetur: oſtenſumque ſit, tale aſſumentum repugnare principiis Queſnelli: ipſaque additio 1696. ſatis oſtendat propoſitionem rite fuiſſe damnatam.

IX. Videamus nunc an ipſe tam confidenter aſſerens, quaſdam propoſitiones Bullæ *Unigenitus* non haberi in Queſnello; ſed eſſe detruncatas, mutilatas; nullam mutilaverit, detruncaveritve. Occurrit primo prop. 54. in Conſtit. *Unigenitus* his verbis expreſſa: ***Sola charitas eſt quæ Deo loquitur: eam ſolam Deus audit.*** Hanc media ſui parte obtruncat *Theol. ſupp.* pag. 133. ita ſcribens. Propoſitio 54. ***Sola charitas eſt, quæ Deo loquitur.*** Propoſitio 73. ſic habet in Conſtitutione *Unigenitus*: ***Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Sæculi?*** Concordant per omnia *Reflex. Morales* Queſnelli Edit. 1693. & 1696. 2. Theſſal. 1. v. 2. ubi prior

ſic

ſic habet : *Qu'eſt-ce que l'Egliſe, ſi non l'aſſemblée des enfans de Dieu, demeurans dans ſon ſein, adoptes en Jeſus-Chriſt, ſubſiſtans en ſa perſonne, r'achetes de ſon ſang, vivans de ſon eſprit, agiſſans par ſa grace, & attendans la paix du ſiecle avenir?* Secunda editio ſic habet : *Que eſt-ce que l'Egliſe, ſi non l'aſſemblée des enfans de Dieu, qui demeurent dans ſon ſein, qui ſont adoptes en Jeſu-Chriſt, ſubſiſtent en ſa perſonne, ſont r'achetes de ſon ſang, vivent en ſon eſprit, agiſſent par ſa grace, & attendent la paix du ſiecle avenir?* Edit. Latina an. 1695. *Quid aliud eſt Eccleſia quam congregatio filiorum Dei, in ſinu ejus manentium, adoptatorum in J. C. in perſona ejus ſubſiſtentium, ſanguine ejus redemptorum, ex ſpiritu ejus viventium &c.* Quid vero *Theologia ſupplex?*. Pag. 84. ſic lego : Prop. 73. *Quid eſt Eccleſia. niſi cœtus fidelium Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſeculi?* Non video hic verba illa : *ſubſiſtentium IN EJUS PERSONA, REDEMPTORUM EJUS SANGUINE, VIVENTIUM ejus ſpiritu*: Gallicè : *Subſiſtans* EN SA *PERSONNE R'ACHETES DE SON SANG, VIVANS DE ſon eſprit* : vel juxta edit. 1696. *qui ſubſiſtent EN SA PERSONNE, SONT R'ACHETES DE SON SANG, VIVENT en ſon eſprit?* Ubi, inquam, ſunt iſta? aſpicio, & iterato inſpicio, recurro ad errata, nullibi illa comparent. An hoc eſt detruncare, mutilare propoſitiones? Nonne hìc aptiſſime repeteretur illud Gregorianum *De cura paſtor. par. 2. cap. 2. Neceſſe eſt ut eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere aliorum ſordes curat, ne tacta quæ-*

quæ

quæ deterius inquinet, ſi ſordida in ſe mens lutum tenet? Suppono tamen omnia bona fide eſſe facta, Deo ſic permittente, ut auctor *Theol. ſuppl.* inde non exiguum fructum, ſi velit, capiat. Si enim in re tam obvia, tam palpabili errare potuit, & erravit; nonne prudentia dictat ut de ſe ipſe diffidat in aliis non ita obviis ac palpabilibus, puta, in ſenſu propoſitionum damnatarum dijudicando? Eja ergo, quiſquis es libelli iſtius auctor, ne innitaris prudentiæ tuæ; ſubjice potius judicium tuum, Paſtoris univerſalis, cui univerſa adhæret Eccleſia, judicio, condemnantis centum & unam propoſitiones, & earumdem condemnationem jure divinitus ſibi collato ab omnibus fidelibus exigentis. Si ſcirem te retardari noxio pudore agnoſcendi errorem tuum, proponerem exempla ſummorum Theologorum Auguſtini & Thomæ, quorum exiſtimationi & famæ nihil detractum eſt, quod ceſpitationes ſuas aliquas poſtmodum emendaverint, agnoverint, & poſteritati relegendas deſcripſerint: quin potius aucta eſt gloria ipſorum: quod nedum de aliorum, quod multis commune eſt, ſed ſuis ipſorum erroribus, quod rariſſimum, triumphaverint. Ecce, in manu tua eſt eamdem cum ipſis gloriam apud poſteritatem adipiſci.

Pag. 17. X. Proſequitur *Theol. ſupplex*, generalem illam declarationem, quâ Queſnellianæ propoſitiones, Calviniano dumtaxat ac Janſeniano, non Auguſtiniano & Thomiſtico ſenſu damnatæ dicerentur, remedium huic malo minus integrum allaturam: ***Cum earum bene multæ nihil cum Janſenianis aut Calvinianis erroribus commune habeant.*** Futilius longe eſſe multo, ſi Queſnellianæ damnatæ

natæ

natæ ſimpliciter declararentur, *in ſenſu obvio, quem verba ipſa præ ſe ferunt*: quod propoſitiones ex ipſa verborum textura ambiguæ, & æquivocæ, ſenſum per ſeſe obvium non habeant: quod in aſſignando obvio ſenſu, non omnes conveniant Theologi: ſed, prout varie ſunt affecti & diverſis imbuti principiis, alius alium ſenſum obvium experiatur; alium Thomiſta, alium Moliniſta. Aliud ergo non agnoſcit remedium, niſi quod diſtincta & individua damnatarum propoſitionum explicatione, quis in ſingulis damnatus ſit ſenſus, quæ cuique propoſitioni afficta ſit nota, Theologis innoteſcat. Calliditatis ſiquidem plenum eſſe, *quamcumque propoſitionem, cui pravus fortaſſe ſenſus ſubeſt, explicatione non egere, ut juſte damnetur; quamquam in rectum ſenſum flecti commode poſſit: ſed abſolute, nullaque ſenſuum adhibita diſtinctione configi in Eccleſia conſueviſſe*. Etſi enim ea variorum diſcretio ſenſuum in ipſis diſtrictis cenſuris facta non ſit: ubi tamen ex latis cenſuris obortæ ſunt turbæ, contentiones & rixæ, tunc certe paſtoralis charitatis fuiſſe, ne dicam, inquit, muneris & officii, varios damnatarum ſenſus exponere, & in quem cenſura ceciderit, declarare.

XI. Sic, cum anno 270. Synodus Antiochena hanc Pauli Samoſateni propoſitionem, *Chriſtus eſt* ὁμοούσιος *Patri* abſolute damnaſſet; Nicænam ſubinde Synodum, ut Arianis ea damnatione turpiter abuſis ora præcluderet, ambiguæ vocis hujus ὁμοούσιον varios ſenſus expoſuiſſe. Sic, cum hæc Eutychianorum aſſertio, *Una eſt verbi incarnati natura*, in Concilio Chalcedonenſi, abſolutè proſcripta fuiſſet; tumultuantibus poſtmo- Pag. 21.

modum Eutychianis, Gelaſium Rom. Pontif. varios ambiguæ per ſeſe propoſitionis ſenſus, libro contra Eutychen ſcripto expoſuiſſe. Sic cum Hormiſdas Scytharum Monachorum aſſertionem, *Unus de Trinitate crucifixus eſt carne*, abſolutè proſcripſiſſet, ſin minus ut hæreticam, at certe uti pro conditione temporum periculoſam; ſecutis tamen temporibus, cunctiſque fidelibus Eutychianum ſenſum rejicientibus, hanc ipſam propoſitionem in catholicum ſenſum inflexam, Joannem II. Rom. Pont. approbaſſe & catholicam dixiſſe: probatamque fuiſſe deinceps a V. Sy-
Pag. 23. nodo & a Concilio Lateranenſi ſub Martino V. Sic cum VI. Synodus Honorii ad Sergium epiſtolas, ejuſque memoriam abſolute damnaſſet; Joannem tandem IV. explicato obſcurarum Epiſtolarum ſenſu, Honorium erroris abſolviſſe. Sic cum Benedictus II. binas S. Juliani Toletani Archiepiſcopi propoſitiones abſolutè damnaſſet: turbatis ſubinde Hiſpanorum Præſulum animis, Sergium I. innoxias dixiſſe & cenſura liberas. Ita fere *Theologia Supplex*.

XII. Ut ab his me breviter expediam, reſpondeo ad primum: Quod, ſi non omnes Queſnelli aſſertiones quidquam commune, cum Calvino & Janſenio habeant; vix tamen ulla ſit, quæ non aliqualiter coincidat aut cum illorum, aut cum Lutheri, Wicleffi, Huſſii, Mar. Ant. de Dominis, Eraſmi &c. erroribus, uti poſtmodum oſtendere conabor. Cum autem fateatur Auctor ille, ſaltem tacitè, nonnihil remedii allatum iri malis præſentibus, ſi contingeret declarari, Queſnelli propoſitiones in ſenſu Calvini & Janſenii, non Auguſtini, Thomæ & Thomiſtarum da-

damnatas eſſe ; negare omnino non poteſt magnum remedium præſentibus malis jam datum eſſe ; dummodo eo uti vellent Theologi ; quandoquidem Clemens XI. ad alias etiam hæreſes, nedum ad Janſenii & Calvini nos remiſerit, dicens : *Omnes & ſingulas propoſitiones præinſertas tamquam .... variaſque hæreſes, POTISSIMUM illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus .... continentur, manifeſtè innovantes, reſpectivè .... damnamus & reprobamus* : cum in Conſt. *Paſtoralis officii* declaraverit eas non eſſe damnatas in ſenſu Thomiſtico ; idemque poſtmodum longe luculentius Summi Pontifices Benedictus XIII. piæ mem. & Clemens XII. fel.reg. denuo declaraverint, prout dictum aliqualiter eſt, ac iterato repetetur.

XIII. Quod Queſnelli propoſitiones in ſe ipſis ſpectatæ ſint ambiguæ & æquivocæ, probat difficile eſſe, ex ipſis met propoſitionibus ſenſum determinare : ſed nonne aliunde, puta, ſtatu & ſcopo auctoris, aliis ejus operibus, ex antecedentibus & conſequentibus, ex connexione unius cum altera propoſitione, ex circumſtantiis temporum, & errorum qui vexant Eccleſiam, & a certo perſonarum genere propugnari ſciuntur, aliquid haberi poteſt ? Ubi nunc Ars critica, quâ muniti Theologi hodierni illi, in ipſis remotiſſimæ antiquitatis tenebris clare vident ? Illane ad conſpectum Conſtitutionis *Unigenitus*, velut ad ſolis ortum tenebræ, ex orbe litterario ſubito evanuit ? Ubi nunc naſutuli illi Pilifiſſores, qui non ita pridem antiquos Patres, tamquam nugivendulos, artis criticæ ignaros &c. deſpiciebant? Vafer, doloſus, acutus, lubricus, tortuoſus fuit

Pelagius, fuit & Celeſtius in ſuis doctrinis; ſcivit tamen Auguſtinus Errores eorum retegere: quidni & poſſint idem, Theologorum ſaltem Primipili, circa Queſnellum, ſi oſtenſam & tritam ab Auguſtino viam; de qua aliquid capite ſequenti; velint inſiſtere? Quid dicam! Vitia ſunt clara ubi vexandus, quem invidis oculis aſpicimus: (*invidiâ nihil oculatius*) omnia ſunt obſcura, ſi ſit damnandus, quem nimio amore proſequimur. *Amore nihil cæcius*.

XIV. Jam, quod alium ſenſum experiatur *Thomiſta*, alium *Moliniſta* in Queſnelli aſſertionibus, id admitti poteſt quoad vulgum (nam Scholæ etiam vulgum ſuum habent) non quoad cordatiores & ſolidos Theologos. Unde propoſitionem illam Decimam, quam Auctor exempli causâ proponit: *Dei gratiam nihil impedire poteſt aut retardare*, nedum Thomiſtæ, ſed etiam primarii ex adverſariis, ſaltem aliquando, de gratia neceſſitante Janſeniana intelligunt. Vulgo autem iſti Theologorum, vel Queſnellianorum gregi, qui Thomiſticum gratiæ ſeipſa efficacis ac prædeterminantis ſenſum, in propoſitione illa, poſt tot Pontificum Oracula, damnatum proſcriptumque jactarunt aut etiamnum jactant, reponunt Thomiſtæ verba inter Canones Eccleſiæ relata 24. quæſt. 1. *Hæc eſt fides*, (doctrina) *Papa Beatiſſime, quam in catholica didicimus Eccleſia* (Schola Thomiſtica) *quamque ſemper tenuimus: in qua ſi minus peritè, aut parum cautè forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a Te, qui Petri Sedem & fidem tenes. Si* (cum) *autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui judicio comprobatur* (comprobata ſit) *quicumque me* (nos) *culpare voluerit*,

Pag. 18.

rit, ſe imperitum vel malevolum; non me hæreticum (nos hæreticos) *comprobabit*. Aut cum Clemente XI. in Conſt. *Paſtoralis officii* reponunt: *Niſi excæcaret eos malitia eorum, ac niſi diligerent magis tenebras quam lucem, ignorare non deberent ſententias illas, ac doctrinas, quas ipſi cum erroribus per Nos damnatis confundunt, palam, & libere in CATHOLICIS SCHOLIS, etiam poſt editam a nobis memoratam Conſtitutionem, ſub oculis noſtris doceri, atque defendi; illaſque propterea MINIME per eam fuiſſe proſcriptas.*

XV. Ad exempla explicationum olim in quibuſdam caſibus datarum, variè reſponderi poteſt. Generaliter iis omnibus reſpondeo, 1. ad hominem, ut ajunt: Quod olim (ſi credimus Neotericis) Patres & Theologi carebant arte critica, quæ hodie adeo communis eſt, ut nec femineum ſexum prætereat, velut alter ſpiritus propheticus Montani. Hinc antiqui poterant magis indigere explicatione quam moderni. 2. Priſcis temporibus utilius erat dare magis diſtinctas verborum & ſententiarum explicationes, quam modo ſoleat. Quippe Patres illi tanta cum ſubmiſſione recipiebant definitiones & reſolutiones Apoſtolicæ Sedis, ut, quantumvis ipſi exiſtimaſſent aliquid eſſe nigrum; (ut ſic dicam) ſi tamen Pontifex Romanus declaraſſet illud idem album eſſe, parati erant judicio abjecto proprio, amplecti, ac ſequi Apoſtolicum. Teſtis tam admirabilis ſubjectionis in Viris illis Sanctiſſimis & Doctiſſimis erit nobis Hieronymus ad Damaſum in hæc verba ſcribens: *Decernite ſi placet, obſecro, non timebo tres Hypoſtaſes dicere, ſi jubetis*: Epiſt. 57. exiſtimabat tamen ipſe tacendas eſſe tres hypo-

 ſtaſes,

ſtaſes, paratus ſe judicio ſubmittere Pontificis. Ratio erat, quod firmiter crederent Pontifices etiam *cogi*, ad dicendam veritatem, a Deo. Audiamus de eo Auguſtinum differentem. Poſtquam
Epi.105. alias 166. c.5.n.16. dixiſſet, Dominum providiſſe ***ne, dum ſe boni putant malorum permixtione culpari, per humanas & temerarias diſſenſiones, aut parvulos perdant, aut parvuli pereant***: (addit) ***Quod uſque adeo cæleſtis Magiſter cavendum præmonuit, ut etiam de præpoſitis malis plebem ſecuram faceret; ne propter illos doctrinæ ſalutaris CATHEDRA deſereretur: in qua COGUNTUR etiam mali bona dicere. Neque enim ſua ſunt quæ dicunt, ſed Dei; qui in CATHEDRA UNITATIS doctrinam poſuit VERITATIS.*** At vero defacto, poſtquam nova doctrina, unde, Cypriano teſte, hæreſes omnes obortæ ſunt & natæ ſchiſmata, apud quoſdam invaluit: poſtquam aliqui docere non verentur, fieri poſſe ut Romanus Pontifex toti Eccleſiæ hæreſim credendam proponat, quæ neceſſitas aut utilitas eſſe poterit petitarum declarationum; dum obedientes Eccleſiæ filii eas non exigunt; inobedientes non ſunt amplexuri? 3. Paucis illis exemplis oppono, quod incomparabiliter pluries damnatæ ſint propoſitiones erroneæ ſine explicatione ulla: uti noviſſime patet in damnatione Molinos, libri ***Maximes des Saints***, & innumerarum propoſitionum plus juſtò rigidarum & laxarum: ex prop. Wicleff & Huz in Conſtantienſi Synodo damnatis; Lutheri a Leone X. quamquam etiam Lutherus poſtularet explicationes, uti legitur Tom. 2.
Edit. Jene. 1557. f. 303. operum ejus, Bullæ Leonis X. ***Expoſtulo***, inquiebat, ***ut abſolutè non reſpectivè, diſtinctè non confuſè, clarè non obſcurè, ſingulariter non in genere di-***

cant

cant quis (ex articulis *reſpectivè* damnatis) *ſit*, & *quis non ſit hæreticus*. 4. Quod experientiâ magiſtrâ didicerit Eccleſia, explicationes hiſce temporibus parum prodeſſe; quia induratum eſt multorum jugulum. Patuit hoc in damnatione quinque propoſitionum Janſenii, quæ abſolute, diſtincte, clare & ſingulariter damnatæ fuerunt: & nihilominus uſque in hodiernum diem inveniuntur illarum defenſores. Didicit, inquam, Eccleſia quod petere explicationes, ſit hominum non diſcere, ſed tentare, & Eccleſiam interminabilibus quæſtionibus, ſi poſſent, involvere cupientium: non ut obediant, ſed ut criticæ ſuæ exercendæ materiam habeant: quod tum præſertim timendum eſt, quando Pontifici lex præſcribitur, & diſtincta, individua, claraque explicatio, ut quis in ſingulis damnatus ſit ſenſus, quis relictus indemnis, quæ cuique propoſitioni affica ſit nota, Theologis innoteſcat, poſtulatur. 5. Eæ quæ in citatis caſibus datæ ſunt explicationes, partim jam datæ ſunt in caſu Queſnelli: partim ad eum caſum faciunt nihil: nec omnia ita ſunt, uti referuntur, acta; quod per ſingula leviter diſcurrendo, oſtendam.

XVI. Nempe ὁμοούσιος *Pauli Samoſateni* in canonem tranſiit *poſtquam*, ut ſcribit Euſebius Cæſarienſis, *accurate perveſtigatum eſt* (addit *Theologia Supplex*: in collationibus atque tractatibus) *quænam his verbis ſubjecta eſſet ſententia*. Clarius Natal. Alex. in Cenſorio Suffragio poſt differt. 12. ad Sec. XIII. & XIV. par. 2. Nicæni Patres, inquit, *Vocem quidem* ὁμοούσιος *expoſuerunt, ſed in collationibus atque tractatibus, non in Symbolo, non in anathematiſmis, id ab ipſis præſtitum*.

Similis explicatio neglecta non fuit in caſu Queſnelli, etſi in anathematiſmis, dico, Conſtitutione *Unigenitus*, non fuerit inſerta. Teſtis non minori fide dignus ac Euſebius Cæſarienſis eſt ipſe Clemens PP. XI. in Conſtit. *Unigenitus* §. *Hinc adſpirante.* in Brevi *Paſtoralis officii* §.2.& iterum
20. Nov. 1716. in Epiſtola ad Archiep. & Epiſcopos Galliæ data. Teſtis eſt Auctor Vitæ Clementis XI. ex Secretioribus actis collectæ. Hic lib.4. num. 36. ita ſcribit „.... Spectata morum integritate, eru„ditione, doctrina, divinarum rerum peritia, „& ab omni partium ſtudio alieni delecti cenſo„res. Frequentes habiti conceſſus, diutiſſime „ſinguli referentes ac differentes auditi. Aliis „inſuper alii adjecti, quorum exacta, conſtan„ti, ac etiam benigniore delati voluminis cen„ſura, tantum religioſiſſime veritati tributum, „quantum ipſe met auctor in pari, ſed aliena „cauſa, vix tribuiſſet, ſi integerrimi judicii de„lectus eſſet aſſeſſor ... Poſt diligentiſſimam „ergo integro biennio continuatam aſſertorum „excuſſionem; tribus etiam, atque viginti præ„cipuis hoc anno inſtitutis Cardinalium, ac do„ctiſſimorum Theologorum conceſſibus,quibus „ipſemet Pontifex Maximus præfuit: in iiſque „libri perniciem cura longe exactiſſima inveſti„gavit, cenſoria in eumdem judicia audivit, „expenditque: Sexto Idus Septembris centum „atque unam ſententias, ex notatis libris ex„cerptas damnavit.„ Non ergo deſunt explicationes, in caſu, ſimiles explicationibus in Nicæna Synodo, *in collationibus atque tractatibus*, datis: fruſtraque hæ nobis opponuntur.

XVII. Explicationes a Gelaſio PP. ſi datæ in

cauſa

cauſa Eutychianorum, non ſunt ad propoſitum: quippe datæ ſunt a Gelaſio, non ut Pontifice, ſed ut particulari doctore. Binius ad verba illa vitæ Gelaſii: *Hic fecit quinque libros adverſus Neſtorium & Eutychetem*: „ Hoc grande & præclarum volumen fuiſſe teſtatur Gennadius de Script. Eccle. cap. 14. his verbis: *Gelaſius Urbis Romæ Epiſcopus ſcripſit adverſus Eutychetem, & Neſtorium grande & præclarum volumen, & tractatus diverſarum Scripturarum & Sacramentorum limato ſermone*. Unde patet quod libellus iſte de duabus naturis contra Eutychetem & Neſtorium, in Bibliotheca SS. Patrum extans, ſicque incipiens: *Neceſſarium quoque fuit* &c. Gelaſio R. P. attribui non poſſit; ſiquidem parvum dumtaxat Opuſculum ſit. „ Vide Poſſevinum in Apparatu V. *Gelaſius*, & Tom. V. Conc. Labbæi col. 283. Natal. Alexan. Hiſt. Eccle. Sæc. V. cap. 3. art. 19. Atque hinc fortè Gelaſius Scriptoribus Eccleſiaſticis adnumeratur. Non eſt ergo ad rem, exemplum Gelaſii, dum poſtulantur explicationes a Pontifice ut Pontifice. Quis enim a Pontifice poſtulet, ut *grande & præclarum volumen edat*?

XVIII. Hormiſdam Papam Scytharum Monachorum aſſertionem: *Unus de Trinitate crucifixus eſt carne*, abſolutè, nullaque data ſenſuum diſtinctione proſcripſiſſe, aſſerit pag. 22. hancque ipſam propoſitionem in catholicum ſenſum inflexam Joannem II. R. P. approbaſſe & catholicam dixiſſe. Labitur hic non ſemel Auctor ille, dum adeo aſſeveranter pronuntiat, Hormiſdam PP. proſcripſiſſe, & quidem *abſolutè*, nulla data ſenſuum diſtinctione propoſitionem illam: duoſque nobis

exhibet Romanos Pontifices, unam eamdemque propoſitionem modo huc, modo illuc, veluti cereum quemdam naſum, ut in proverbio eſt, inflectentes. Legat Natal. Alexandrum Hiſt. Eccl. Sæc. 6. cap. 3. art. 2. aut ſi ille diſplicet, Boſſuet in Defen. declar.Cle.Gall. par. 2. l.14. c.15. aut etiam Maxentii infenſiſſimi Hormiſdæ hoſtis ſcriptionem, reperiet Summum illum Pontificem nihil præpropere voluiſſe in cauſa Monachorum Scytharum definire; hoſque, priuſquam ſententia proferretur, Româ aufugiſſe. At vero Joannem II. propoſitionem approbaſſe ſcio: ubi vero diverſos ejuſdem propoſitionis ſenſus (de quo in præſenti agitur) dederit, nullibi reperio. Rurſus ergo exemplum hoc ad rem noſtram facit nihil. Sane ſi quidquam Hormiſdas proſcripſit & improbavit, non tam propoſitionem quam Monachorum Scytharum intempeſtivam audaciam, omnes ad eam formulam adſtrictos eſſe prætendentium, nimiumque vitilitigandi cacoëthem, improbavit; nil dogmatis: de quo nulla, ſed de verbis tandem erat altercatio; prout apud Natalem, videri poterit. Hiſt. Eccle. Sæc.6. cap.3. art.2.

XIX. Sequitur de Honorio, cujus epiſtolæ Pag. 23. ad Sergium, memoriaque abſolute, inquit, damnata fuit in Sexta Synodo; Joannes tandem IV. explicato obſcurarum epiſtolarum ſenſu, erroris abſolvit, ejuſque Apologiam ad Conſtantinum Imperatorem, Heraclii filium deſtinatam adornavit. Quidquid ſit de damnatione Honorii (id enim in præſenti diſcutere non vacat) nihil facit ad rem noſtram. Pro quo obſervatum velim, difficultatem ſeu obſcuritatem circa epiſtolas Pontificum ex duplici capite oriri poſſe: nimirum,

ex

ex ipſiſmet epiſtolis vel ſcriptis Pontificum : vel ex malitia, improbitate, iniquitate aut inſcitia repugnantium eorum ſcriptis.Si primum:æquum & juſtum videtur ut ſubſequentes Pontifices memoriam prædeceſſorum ſuorum, quoquo modo legitimo, criminis infamatione liberent. Cauſa enim S. Sedis, imo totius Eccleſiæ agitur, dum de errore Summi Paſtoris tractatur. Si vero ex ſecundo oriatur fonte, nullæ ſufficient declarationes. Quapropter non tam declarationibus, quam corrigendis pravis rebellium affectibus & paſſionibus inſudandum. In cauſa Honorii ex primo capite, ex epiſtolis dico ipſius met Honorii, & quidem ſcriptis non ad univerſam Eccleſiam, ſed perſonam particularem, obſcuritas oriebatur, fatente adverſario; quam proinde laudabiliſſime Joannes IV. Apologia edita elevavit. Verum in noſtro caſu tota confuſio, non ex Pontificio decreto, ſed ex malignitate oritur adverſariorum; qui nolunt intelligere ut bene agant; atque ad ſimilitudinem ſerpentium obturant ſibi aures, ne audiant voces incantantium, & incantantium ſapienter. Reflexio eſt Epiſcoporum Galliæ, in Vita Clementis XI. Quo tempore Card. Noaillius „ Mandatum Sextili menſe Lutetiæ pro- Lib. 5. n.46.
„ mulgavit, cujus obtentu Conſtitutionem *Uni-*
„ *genitus* excepiſſe, publicaſſe; tum etiam ab
„ aliis Diœceſano jure ſibi ſubjectis Chriſtifide-
„ libus ſuſcipi, atque ſervari videri voluit im-
„ peraſſe ...... „ Non ob id cæterorum An- Nu.47.
„ tiſtitum, pro privato ac publico bono labo-
„ rantium caritas torpuit. Quandoquidem pe-
„ titio expoſitionis Bullæ *Unigenitus* a Pontifice
„ Maximo evulgandæ conſtantiſſime rejecta eſt,

„ *QUOD TRICÆ NON EX PONTIFICIO*
„ *DECRETO, SED EX PARTIUM ARTI-*
„ *BUS ORIRENTUR, VEL INSCITIA.* „
Ecce ergo factum *Honorii* Gallorum Epiſcoporum judicio, ad præſentem caſum, juxta dicta, non ſpectat.

XX. Videamus utrum ſaltem ultimum exemplum, quo utitur, felicius adduxerit. „ Cum
Pag.23. „ Benedictus II., inquit, binas iſtas propoſitio-
„ nes abſolute damnaſſet (: *In Deo voluntas ex*
„ *voluntate procedit... Chriſtus ex tribus ſubſtan-*
„ *tiis conflatus eſt* :) turbatis ſubinde Hiſpano-
„ rum Præſulum animis, qui has ipſas propoſi-
„ tiones ab Auguſtino, Ambroſio, Cyrillo,
„ Fulgentio, recto ſenſu aſſertas, in Concilio
„ Toletano XV. judicaverant; Sergius hujus
„ nominis I. laudatorum Patrum ſenſum inno-
„ xium dixit, & ab omni cenſura liberum pro-
„ nuntiavit: ut refert Rodericus Toletanus Ar-
„ chiepiſcopus lib.3.de rebus Hiſpanicis c.14. „

XXI. Argumentum hoc olim objectum Pontificibus Romanis, diſſolvit noſter Gravina in
Lib.1. c. 5.nu.7. Cherub. Parad. item Piccinardus noſter. Sed illi ſolum referunt, ab adverſariis objectum, quod
Lib.1. de approb. doctr. D. T. q. 1. art. 2. *Liber* Juliani a Benedicto II. interdictus vel ſuſpenſus fuerit: quo ſuppoſito, reſpondet Piccinardus, huic argumento vulgari ac nota diſtinctione, agnita etiam a Caramuele occurri
Theol. Fundam. Fúdaméto 5. poſſe facillimè. „ Aliud nimirum eſſe interdi-
„ cere ſeu ſuſpendere lectionem, ſeu evulga-
„ tionem libri, quouſque ingruens hæſitatio
„ depellatur: aliud abſolute doctrinam libri
„ proſcribere, ſeu damnare. Et ſtante pri-
„ mo potuit utique poſtea Benedictus II. Juliani

„ inter-

„ interdictum antea opus, ſublatis æquivocis, re-
„ laxare, quinimo & ſuadere legendum, abſque
„ ulla in decernendo inconſtantia; quam Rode-
„ ricus injuſtè imponens Pontifici, non imme-
„ rito calumniæ culpatus eſt a Baronio ad an-
„ num 688. & a Binio in notis Concilio 15. To-
„ letano præfixis. Nec ultro aliud verba Con-
„ cilii Toletani pro ſuomet Antiſtite Juliano te-
„ ſtantur; niſi prædictam, jam ſemel admiſſam,
„ ex libri lectione, ob verba æquivoca, Ponti-
„ ficis hæſitationem: etſi vel in ipſo Roderici
„ manuſcripto nec ea verba de Benedicto II.
„ perlegantur, ſed varia longe, uti & Ambro-
„ ſius Morales obſervat lib. 12. Hiſp. cap. 58. „
Hæc Piccinardus.

XXII. Non latuiſſe iſta Auctorem *Theol. ſuppl.* ex eo colligo, quod loco libri interdicti ſeu ſuſpenſi, & poſtea relaxati; de quo procedit hæc ſolutio; exhibeat duas propoſitiones *abſolutè* damnatas prius, & poſtea approbatas in Juliani libro: ſicque eludit hanc Piccinardi ſolutionem, & ſpem ingerit refractariis futurum fortè aliquando, ut propoſitiones hiſce diebus damnatæ, poſtmodum approbentur. Res ergo illa non levis momenti eſt; adeoque paululum tractanda, ne vana ſpe quiſpiam infeliciter deludatur. Rodericus Toletanus, in quo ſe fundat Auctor *Theol. ſuppl.* aliud dicit nihil, quam: „ Liber de tribus
„ ſubſtantiis quem dudum Romam miſerat Pri-
„ mas Sanctiſſimus Julianus, & minus cautè tra-
„ ctando Benedictus Papa Romanus indixerat
„ reprobandum, ob id, quod *voluntas genuit vo-*
„ *luntatem*. Sed Sanctus Julianus veridicis teſti-
„ moniis in hoc Concilio ad exactionem præfati
„ Prin-

Cōc. Labbè T. 8. Col. 20. edit. Vē. Lib. 3. de rebus Hiſp. ca. 13.

„ Principis: (*Ægicæ Regis* :) per oracula eorum
„ quæ Romam tranſmiſerat , verum eſſe firma-
„ vit & Apologeticum fecit . . . . Quod Roma-
„ nus Pontifex Benedictus digne & pie recipiens,
„ cunctis legendum indixit atque acclamando :
„ *Laus tua Deus in fines terræ* , lectum ſæpius no-
„ tum fecit . „ Ex hiſce verbis ad ſummum extundi poſſe , librum Juliani fuiſſe ſuſpenſum aut etiam prohibitum , adverſarii , quos ſupra diximus , videntur agnoviſſe ; dum aliud nihil inde concluſerunt . Verum propoſitiones illas *abſolute damnatas* , quod aſſerit *Theol. ſuppl.* nulli eorum in mentem venit. Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. *Sæc. VII. cap.* 1. *art.* 6. *in fine* . „ Benedictus
„ Secundus . . . Hiſpanorum Epiſcoporum litte-
„ ras cum accepiſſet e Synodo Toletana XIV.
„ datas . . . . quaſdam in iis propoſitiones *expoſi-*
„ *tione indigere monuit* , quarum hæc una erat :
„ in Deo *voluntas genuit voluntatem* : Altera :
„ *Tres ſunt in Chriſto ſubſtantiæ* . Id conſtat ex
„ Conc. Tolet. XV. celebrato anno 688. Julia-
„ no Tol. Archiep. Præſide , in quo has propo-
„ ſitiones exponunt & tuentur . „ Ubi nihil de damnatione *abſoluta* harum propoſitionum . Solummodo colligi inde poteſt quædam Pontificis hæſitatio: quâ per expoſitionem ſublatâ, liber permiſſus , imo laudatus eſt .

XXIII. Longe clarius & efficacius id probatur ex ipſo Concilio Toletano XV. Ubi ſic lego: *Poſt hujus igitur piæ confeſſionis prolatam devotis vocibus regulam*(Verba ſunt Conc. Toletani XV.) *ad illa nos illico convertimus contuenda capitula , pro quibus MUNIENDIS ante hoc biennium beatæ memoriæ Romanus Papa Benedictus, nos litterarum*

Tom. 8. Concil. Labbè col. 8.

rum

rum ſuarum ſignificatione monuerat. Quæ tamen non in ſcriptis ſuis annotare CURAVIT; ſed homini noſtro VERBO renotanda injunxit: ad quod illi jam eodem anno ſufficienter, congrueque reſponſum eſt. Loquuntur PP. de duplici illa ſententia, quam *Theol. ſuppl. abſolute* fuiſſe a Benedicto II. damnatã aſſerit. Sed quæ, obſecro apparentia abſolutæ damnationis hiſce in verbis apparet? MUNIENDAS injunxerat Benedictus, aliqua explicatione, aut Patrum auctoritate, ne novi quidpiam viderentur docere. Et quidem Benedictus, *non in ſuis ſcriptis* ea *annotanda curavit*, ſed homini ipſorum *VERBO renotanda injunxit*. Nonne hæc ſonant amicabilem & paternam potius admonitionem, quam abſolutam propoſitionum proſcriptionem? Non uſque adeo incurii ſunt Romani Pontifices, ut propoſitiones a ſe *abſolutè* damnatas, nolint litteris ſuis inſerere, ut ab omnibus ſollicitius caveantur: præſertim dum iis ipſis ſcribunt, quos tangit damnatio. Nihil tamen tale fecit Benedictus; ſed verbotenus curavit eos moneri de *MUNIENDIS* illis capitulis: quod ante biennium ita obiter fecerant; ut hic rurſus idem prȩſtandum fuerit. An putamus Pontificem, ſi abſolute ſententias damnaſſet, tam exigua ſatisfactione fuiſſe placandum?

XXIV. Atque, ut dicam quod ſentio, ne librum quidem Juliani exiſtimo fuiſſe ſuſpenſum multo minus prohibitum a Benedicto: quippe & hoc merebatur, velut res non parvi momenti, litteris Pontificis inſeri ac notari, non verbotenus inſinuandum *homini* ipſorum committi. Confirmari dicta poſſunt ex iis quæ ſequuntur in Conc. Tolet. XV. *Has ſane* inquiunt PP. Toletani, *quatuor ſpecialitates*: (duas ſupradictas nimirum, & bi- Lab. T. cit. col. 14.

nas

nas alias hactenus ignotas:) *Capitulorum , quæ ut a nobis SOLIDA efficerentur HORTATI ſunt: quid a quo fuerit doctore prolatum, congeſto in uno reſponſionis noſtræ libro, catholicorum dogmate Patrum, ante hoc biennium parti illi porreximus dignoſcendum*. Si Romani ſolum eos *hortati* ſunt ut *SOLIDA* efficerentur ea capitula: nec liber fuit prohibitus, multo minus aſſertiones ipſæ; alias non eas ſolidare, ſed deſerere, & abdicare juſſi fuiſſent.

XXV. Nec illud porro eſt dicendum, quod ſub *Sergio I.* hæc difficultas demum ſublata ſit. Quamquam enim hujus tempore Pontificis Conc. Tolet. XV. fuerit celebratum, cum tamen dicant Patres, ſe ante *biennium* reſponſiones ſuas Romam miſiſſe, & eodem quo moniti erant anno *illi*, ideſt *Benedicto II. Sufficienter congrueque reſponſum* eſſe; ſequitur, tempore Benedicti difficultatem omnem ſublatam fuiſſe. Hoc indicat Garſias Loaijſa in notis ad Conc. Tolet. XV. ita legens & proferens verba Roderici Toletani: *Quod Romanus Pontifex Benedictus dignè & pie recipiens*: (primum videlicet ſcriptum:) *cunctis legendum indixit, atque acclamando: LAUS TUA DEUS IN FINES TERRÆ, lectum ſæpius notum fecit &c.* Scriptum autem ſecundum Toletani Conc. XV. ſincerum eſſe, aut fuiſſe Romam tranſmiſſum, probabile non videtur. I. quia nulla ſupererat ejus tranſmittendi neceſſitas, ſublatis jam difficultatibus ſub Benedicto II. ante biennium: II. Quod non intentione placandi ſummum Pontificem, ſed ſatisfaciendi ſuo Regi Egicæ compactum ſit, dicente Roderico Toletano:
Lib. 3. de reb. Hiſp cap. 13. *In hoc Concilio ad exactionem præfati Principis per oracula eorum quæ Romam tranſmiſerat, verum eſſe firma-*

firmavit &c. III. Quia veroſimile non eſt idem ſcriptum bis fuiſſe Romam miſſum: at Julianus ſecundo ſcripto *per oracula eorum quæ Romam miſerat*, in Concil. Tolet. XV. veras eſſe firmavit propoſitiones ſuas: ut ex verbis mox relatis Roderici patet. IV. Quia occurrunt eo in ſcripto ſecundo, certæ phraſes, quas non eſt veriſimile Hiſpanos Antiſtites voluiſſe Papæ impingere: Tales ſunt: *Hic jam quiſquis ſapiens manifeſtè intelligit non nos hic erraſſe, ſed illos forſitan incurioſæ lectionis intuitu fefelliſſe*. Et iterum: *Ad ſecundum quoque retractandum capitulum tranſeuntes, quo idem Papa incaute nos dixiſſe putavit, tres ſubſtantias in Chriſto Dei filio profiteri, ſicut nos non pudebit quæ ſunt vera defendere; ita forſitan quoſdam pudebit quæ vera ſunt ignorare*. Rurſus: *jam vero ſi poſt hæc.... in quocumque diſſentiant, non jam cum illis eſt amplius contendendum, ſed majorum directo calle inhærentes veſtigiis, erit per divinum judicium amatoribus veritatis reſponſio noſtra ſublimis; etiamſi ab ignorantibus æmulis cenſeatur indocilis*. Hoc, inquam, ſcriptum ad Papam directum, *digne & pie* Pontificem illud recepiſſe, *cunctis legendum* indixiſſe, atque *acclamando, Laus tua Deus in fines terræ, lectum ſæpius notum* feciſſe (quæ omnia de Apologetico Juliani narrat Rodericus) nunquam induci potero ut credam. Maneat ergo, Benedictum II. nec librum Juliani prohibuiſſe, multo minus binas illas propoſitiones *abſolutè* proſcripſiſſe; ſed muniendas, roborandas, ſolidandas, explanandas monuiſſe. Hoc eodem anno a Juliano factum, & a Pontifice *eodem* illi acclamatum fuiſſe. Nolim tamen huic ultimo nimium adhærere. Fieri enim potuit ut primum

Labbè l. cit. col. 10.

Labbè l. cit. col. 14.

ſcri-

ſcriptum ad Benedictum directum, eo paulo poſt defuncto, non quidem Sergio I. ſed Joanni V. ejus Succeſſori immediato traditum, ab eo illi acclamatum, totumque negotium ejus tempore ſopitum fuerit.

XXVI. Quid ergo ſibi vult, inquies, Rodericus dicens, quod librum Juliani, Benedictus II. *indixerat reprobandum?* Reſp. To *Reprobandum* idem hic valere, quod *iterato probandum*, id eſt muniendum, ſolidandum, explanandum, ut ex verbis Toletani Conc. ſupra adductis colligitur. Sic quoque PP. Concilii Tolet. dicunt: „ Ad „ ſecundum quoque *retractandum* capitulum tran„ ſeuntes„ id eſt, *iterato tractandũ*, non *revocandũ.*

XXVII. Erit tamen qui dicat, hoc exemplo conſtare, Romanos Pontifices quandoque excolare culicem; correctoreſque minus aliquando rem penetrare quam correctos. Sed perperam utrumque infertur: imo vero oſtendit hoc facto Benedictus II. ſummam Theologiæ peritiam, & myſteriorum illorum profundiſſimam penetrationem: ut etiam Natalis Alex. fateatur, *ſplendore virtutum, & Divinarum Scripturarum ſcientia parem maximæ dignitati* fuiſſe. Notat ſiquidem

p. 1. q. 39. art. 5. ad 1. S. Thomas exponens dictum Auguſtini: *Sapientia de Sapientia, ſicut eſſentia de eſſentia* (ſimilia adducebat Julianus pro ſua juſtificatione) *quod ad exprimendam unitatem eſſentiæ & perſonæ, Sancti Doctores aliquando expreſſius locuti ſunt, quam proprietas locutionis patiatur. Unde hujuſmodi locutiones non ſunt extendendæ, ſed exponendæ, ut ſcilicet nomina abſtracta exponantur per concreta, vel etiam nomina perſonalia &c.* Quinimo in articuli illius corpore S. Thomas; ſummus utique Theologus,

logus, ſi quis alius; obſervat: *Quod circa hoc erravit Abbas Joachim, aſſerens quod ſicut dicitur, Deus genuit Deum, ita poteſt dici, quod eſſentia genuit eſſentiam . . . . Sed in hoc deceptus fuit: quia ad veritatem locutionum non ſolum oportet conſiderare res ſignificatas, ſed etiam modum ſignificandi &c.*

XXVIII. Illius etiam propoſitionis: *Tres ſunt in Chriſto ſubſtantiæ*, expoſitionem, merito Benedictus poſtulavit; ob periculum aliquale Neſtorianiſmi; ad quem reducitur opinio ponentium corpus & animam ſeparata, eſſe unita verbo; quod inſinuare videtur propoſitio illa. Lege S. *Thomam* 3. *p. q.* 2. *a.* 6. *c. Alii vero*, inquit, *volentes ſervare unitatem perſonæ, poſuerunt Chriſti animam non eſſe corpori unitam, ſed hæc duo ſeparata ab invicem, eſſe unita verbo accidentaliter, ut ſic non creſceret numerus perſonarum . . . . Utraque autem harum opinionum, incidit in hæreſim Neſtorii &c.*

XXIX. Quapropter Benedictus II. cujus acutiſſima penetratio intimas rerum fibras pervadebat, merito de his *MUNIENDIS* monuit; utque *SOLIDA* efficerentur, tum Julianum, tum Hiſpanos Epiſcopos *HORTATUS* eſt: ne cui aut calumniandi, aut errandi anſam præberent. Summum illud acumen in Epitaphio ejuſdem Sancti Pontificis, a Paulo de Angelis in notis ad Baſilicam Veterem Vaticanam relato, S. Sergius PP. (ſi tamen is verè hujus Epitaphii Auctor eſt) ita expreſſit.

Magna tuis, Benedicte pater, mònumenta relinquis
Virtutum titulos, o decus, atque dolor!
Fulguris in ſpeciem mentis ſplendore coruſcas
Plura ſed exiguo tempore cœpta fluunt.

Cun-

Cuncta Sacerdotum præſtantia munia comples
Et quo quiſque bono claruit unus habes. &c.

Quamquam minus naturali capacitati, quam Spiritus Sancti, Pontificibus in Petro promiſſæ aſſiſtentiæ confidamus atque innitamur Catholici: ob quam non incongrue Eccleſiæ aptatur, illud Cant. 6. *Naſus tuus ſicut turris quæ eſt in Libano*: quod exponens S. Gregor. ait: *Nimirum S. Eccleſia* (cujus caput, in quo naſus, eſt Pontifex) *quæ ex cauſis ſingulis tentamenta prodeant per diſcretionem conſpicit; & ventura vitiorum bella ex alto deprehendit*. Diſcant hinc omnes, etiam Epiſcopi, Romanis Pontificibus non temerè obſtrepere; ſed eis ſe humiliter ſubjicere: quibus in Petro dictum eſt: *Duc in altum* Luc. 5. Quæ verba explicans S. Ambroſius lib. 4. in cap. 5. Lucæ, ait: *Etſi aliis imperatur ut laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur*: Duc in altum, *hoc eſt, in profundum diſputationum*.

De Cura paſt. c. xi.

XXX. Patet ergo exempla explicationum a *Theol. Suppl.* objectarum partim falſata eſſe, partim ad rem præſentem nihil facere: explicationeſque; ut in caſu vocis ομοϋσιον; diverſorum ſenſuum ipſarum propoſitionum damnatarum, priuſquam Conſtitutio *Unigenitus* in lucem ederetur, datas eſſe in tractatibus & collationibus Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, Prælatorum ac Theologorum, ad examinandas propoſitiones a Clemente XI. deputatorum; id eſt, inſtar earum quæ in caſu ομοϋσιος datæ fuère. Nolim tamen ire inficias, occurrere caſum poſſe, quo utiles, imo neceſſariæ eſſe valeant declarationes circa aliquam Conſtitutionem, ſaltem, ut ab injuſta calumnia liberentur innocentes. Verum in

hoc

hoc etiam a Summis Pontificibus proviſum eſt, dum Sanctos Eccleſiæ Patres ac Doctores Auguſtinum & Thomam, ac illuſtrem eorum Scholam ab injuſta calumnia liberarunt: nec deſinent, ſpero, innocentibus ſuccurrere, ſi ulterius opus fuerit. At vero leges præſcribere Summis Pontificibus; dicere, eorum *muneris & officii* eſſe, has vel illas declarationes edere; *debere* eos tales, aut tales explicationes dare; id certe attentare nunquam auſim: etiam edito typis anonymo libello.

XXXI. Sanctorum Patrum exempla, qui neceſſitates & perſecutiones quas patiebantur nude exponentes Fidelium Patri Romano Pontifici, remedium adhibendum ejus relinquebant arbitrio, ſequi ſecurius erat. S. Baſilius Epiſt.52. ad S. Athanaſium ſcribit: *Viſum eſt autem mihi conſentaneum, ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut quæ hic geruntur conſideret, & ſententiam ſuam expromat &c.* S. Athanaſius & Univerſi Ægyptiorum, Thebaidorum & Lybiorum Epiſcopi, in Sancta Alexandrina Synodo (ut fertur) congregati, ſequentia ſcribebant ad Felicem Papam. *Quia Apoſtolicis veſtra Beatitudo viſceribus commota ſuper tribulationem noſtram, nos omnes hortata eſt ad tuitionem Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ.... ideo, Pater Beatiſſime, quia ſemper Anteceſſores noſtri, & nos a veſtra Apoſtolica Sancta Sede auxilium hauſimus, & noſtri Vos curam habere agnovimus; præfatam Apoſtolicam & ſummam expetimus, juxta Canonum Decreta, Sedem: ut inde auxilium capiamus; unde prædeceſſores noſtri ordinationes & dogmata atq; ſublevationes traxerunt. Ad eam quoque quaſi ad Matrem recurrimus, ut ejus uberibus nu-*

Edit. Pariſ. 1618.

Edit. Pariſ. 1698. T. 2. fol. 675. int. Op. dub.

nutriamur; quoniam non poteſt Mater oblivisci infantem ſuum: ſic & Vos nolite oblivisci nos Vobis commiſſos. Item cum Epiſcopis Ægypti ad S.Mar-
Edit. cit. cum PP. *Ad Vos perveniſſe non dubitamus, quanta*
f 665. int. *& qualia ab hæreticis, & maxime ab Arianis quoti-*
Op. dub. *die patimur. Quoniam in tantum ab eis perſequimur, ut etiam vivere jam nos tædeat . . . Vere novimus Apoſtolatus Veſtri cor gratia Spiritus Sancti in tantum eſſe accenſum, ut omnibus oppreſſis ſuccurratis. Quanto magis nobis, qui licet exigui Ordinis, tamen Veſtri ſumus, Vobiſque obedientes & ſumus & eſſe ſemper volumus*. S. Hieronymus ad Da-
Epiſt. 57. maſum PP. *Nunc igitur, proh dolor! poſt Nicænam fidem, poſt Alexandrinum juncto pariter Occidente Decretum, trium Hypoſtaſeon ab Arianorum Præſule, & Campenſibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur. Qui, quæſo, iſta Apoſtoli prodidêre? Quis novus Magiſter gentium Paulus hæc docuit? Interrogamus, quid tres Hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi? Tres perſonas ſubſiſtentes, ajunt. Reſpondemus nos ita credere. Non ſufficit ſenſus: ipſum nomen efflagitant, quia neſcio quid veneni ſub Syllabis lateat . . . . Decernite ſi placet, obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis. Condatur nova poſt Nicænam fides: & ſimilibus verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi &c.*
Epi. 176. S. Auguſtinus ad Innocentium: *Magnis periculis*
aliàs 92. *infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam, quæſumus, adhibere digneris*. S. Anſelmus ad Urbanum PP. lib. de incarn. ante cap. 1. *Ad nullum alium rectius refertur, ſi quid contra Catholicam Fidem oritur in Eccleſia, ut ejus auctoritate*
Epi. 190. *corrigatur*. S. Bernardus ad Innoc. *Oportet ad veſtrum deferri Apoſtolatum pericula quæque & ſcan-*

dala

dala emergentia in regno Dei &c. Sic, inquam, oportebat ad S. Sedem recurrere, ac cum S. Proſpero lib. contra Collatorem concludere: *Confidimus Domini protectione praſtandum, ut quod operatus eſt in Innocentio, Zoſimo, Bonifacio, Cæleſtino, operetur & in Xiſto* (Clemente XII.) *& in cuſtodia Dominici gregis hæc ſit pars gloriæ huic reſervata Paſtori; ut ſicut illi Lupos abegêre manifeſtos: ita hic depellat occultos.*

CAP. II.

De damnatarum propoſitionum ſenſu, earumque Auctore.

§. I.

Unde propoſitionum damnatarum ſenſus erui poſſit ac debeat? Statuuntur aliquot Regulæ.

I. AUctor *Theologiæ Supplicis* oſtenſurus neceſſitatem explicationis Bullæ *Unigenitus*, ſeu articulorum per eam damnatorum, ita ſcribit. *Quid, quod in aliquibus propoſitionibus, Clementino judicio proſcriptis, fruſtra ſenſus quæratur Auctoris, in quo reipſa non extant, ſed mutilatæ a delatoribus ac detruncatæ Cenſorum judicio ſubjectæ ſunt; ut 29. & 59. In multis vero per ſe ſe ambiguis aſſertionibus, quibus ſenſus poteſt ſubeſſe genuinus, uter Scriptoris reipſa fuerit, nec ex conſequentibus; nec ex tota textura ſermonis retegi poteſt. Cum* Pag. 16.

Queſnellius deſultoria methodo ſcripſerit, ſuaſque in Novum Teſtamentum conſiderationes *atque ſententias dederit, nudas ac ſparſas, disjunctas invicem, nullâque ſermonis texturâ colligatas.* Hæc præfatus Auctor. Quaſi vero ſenſus propoſitionum captioſarum ac æquivocarum nullatenus aliunde, ſed ex ipſis ſolummodo verbis æquivocis venandus ſit! Sed nec adeo Laconice Queſnellus ſcripſit, quin ſenſus propoſitionum damnatarum, ex ipſis met propoſitionum verbis haberi, nec tam deſultorie, quin ex antecedentibus & conſequentibus in ipſo *Reflexionum Moralium* libro, uti in progreſſu videbitur, ſat colligi poſſit. Operæ pretium, ob hanc cauſam, me facturum arbitratus ſum, ſi, priuſquam ad propoſitiones ipſas accederem, quaſdam quaſi regulas præſcriberem, ad quas in decurſu operis recurrendo aut remittendo, in eruendo propoſitionum damnato ſenſu, nonnihil juvaremur. Has, ex optimis & irrefragabilibus Auctoribus, Summorum ſcilicet Pontificum Conſtitutionibus, ac S. Auguſtino collectas mox ſubjicio.

II. Primo, omnino diligenter obſervandum exiſtimo, Virus propoſitionum Queſnellianarum, quaſi ſtudio occultatum, intus latere, externa pietatis & ſanctitatis ſpecie palliatum. Id nobis ſignificare dignatus eſt Clemens XI. in prima Queſnelliani operis proſcriptione anno 1708. Die 13. Julii. Conſtitutione incipiente: *Univerſi Dominici gregis &c. Nos*, ait Pontifex, *librum hujuſmodi nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque in Sacra Theologia Magiſtris, maturè, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus; illi vero mandatis noſtris ob-*

ſe-

ſequentes librum ipſum, poſt accuratam ejus diſcuſſionem, unanimi conſenſu probibendum eſſe cenſuerunt, utpote qui Sacrum ipſum novi Teſtamenti textum exhibet damnabiliter, nec ſine auſu temerario vitiatum .... Notas inſuper, & obſervationes continet, habentes quidem SPECIEM PIETATIS, ſed ad virtutem ejus abnegandam ſubdole deducentes, in quibus paſſim occurrunt doctrinæ & propoſitiones ſeditioſæ, temerariæ, pernicioſæ, erroneæ, alias damnatæ, & Janſenianam hæreſim MANIFESTE ſapientes. In Conſtitutione *Unigenitus* idem Pontifex ita loquitur: *Perſpicuè novimus ſummam hujuſmodi libri perniciem ideo potiſſimum progredi & invaleſcere, QUOD EADEM INTUS LATEAT, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat; cum liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiceat &c.* Scilicet, affectavit Queſnellus loqui quaſi linguâ SS. Patrum, Conciliorum, Scholarum Catholicarum, imo & Scripturæ Sacræ, ſecutus Eterodoxos plerosque, qui datâ operâ, ac mira calliditate hæreſes ſuas ſolent diſſeminare verbis ſubobſcuris: ut ſi forte erroris poſtulentur, facili negotio pium aliquem ſenſum verbis ſuis, a proprio, quem ipſi intenderunt ſenſu detortis, poſſint appingere. Nequibat hoc latere ſummum Eccleſiæ Paſtorem, a Spiritu Sancto in hujuſmodi negotiis ſpecialiter directum, ac aliunde ſagaciſſimum. Quapropter ſpeciem, quæ primo aſpectui poſſet occurrere, diſcernens ab intus latente veneno, hoc quidem pernicioſum variis ex capitibus, illam vero etiam pietatis eſſe declaravit. Ut proinde nedum impie, ſed pueriliter etiam, & contra expreſſum Conſtitutionum

Apoſtolicarum tenorem dubitetur, damnaveritne Clemens perverſum illarum propoſitionum ſenſum; an ſententias SS. Patrum, Conciliorum, vel, quod pejus eſt, Scripturæ Sacræ, quibuſcum damnatæ Theſes habere poſſent quandam ſimilitudinem. Hoc enim vero; præterquam ſit, auſu prorſus temerario, imo hæretico dubitare, erraveritne in fide, nedum Summus Eccleſiæ Pontifex, ſed Eccleſia Catholica Univerſa Conſtitutioni adhærens; eſt pueriliter *ab eadem Con-*
26. Febr. *ſtitutione* (verba ſunt Clementis XI. Epiſt. ad
1715. Cardin. Noaillium data) *illiuſque toto, & quidem ſatis aperto tenore prorſus* aberrare.

III. Secundo obſervandum cenſeo, Queſnellianas propoſitiones, ſub variis qualificationibus, ſeu cenſuris *RESPECTIVE* damnatas eſſe. Porro quid ſibi velit To *Reſpective*, atque quem ob finem taliter damnatæ ſint, idem Cle-
20.Nov. mens XI. aperuit tum *Brevi* ad Archiep. & Epi-
1716. ſcopos Galliæ, tum in Bulla *Paſtoralis Officii* ad
5.kal.Se- univerſos Chriſti fideles data. *In hac porro Conſti-*
pt. 1718. *tutione*; inquit Pontifex in priori Epiſtola; *ne pravus hic liber, longe ante a Nobis damnatus, EMENTITÆ PIETATIS SPECIE, fidelium ſimplicitati poſſet amplius illudere .... excerptos ſingillatim ex eo*
Galliæ *prout tam Rex, quam Antiſtites ſupradicti, enixe a*
Ludov. *nobis poſtulaverant, noxios quoſdam articulos ... cen-*
XIV. *ſuris variis, quas RESPECTIVE, ut ajunt, hoc eſt,*
Galliæ. *SINGULI EARUM SALTEM ALIQUAM MEREBANTUR, iniuſtos, uſitato hujus Sanctæ Sedis more, proſcripſimus; ut ita vel ex ipſa errorum colluvie in propatulo poſita agnoſcerent omnes, quanto demum veneno hujuſmodi liber, tametſi dulcibus ſubdole illitus fucis, non modo conſperſus, ſed*
plane

plane infectus eſſet: ne quiſquam deinceps, quod fruſtra alias tentatum fuerat, eumdem ſatis emendatum fidelium manibus obtrudere ſe poſſe conſideret. Habemus his in verbis quid ſit propoſitiones illas *RESPECTIVE* damnatas eſſe, quidve Pontifex hac damnatione intenderit. Poterit autem unà obſervari, modum hunc damnandi *reſpective* novum haud eſſe, ſed S. Sedi uſitatum: cujus exempla recentiora ſuppeditarunt Alexand. VII. Innocentius XI. Alexander VIII. & Innocentius XII. quorum Decreta Univerſa reverenter ſuſcepit Eccleſia. Vetuſtius exemplum ſi mavis, occurrit Leo X. quadraginta & unum Lutheri articulos *reſpective* damnans: quam ob cauſſam a ſolo Luthero eique adhærentibus canino dente impetitus fuit; uti Clemens XI. a Queſnello ejuſque aſſeclis: Eccleſia univerſa interim eorum Decreta venerabundè ſuſcipiente. Aliud quoque vetuſtius longe exemplum reliquit Conſtantienſis Synodus, quadraginta quinque Joannis Wicleff, & triginta Joannis Husz *reſpective* proſcribens articulos: ut merito dixerit Clemens XI. ſe, damnando Queſnellianas *reſpective*, uſitatum Sanctæ Sedis morem, fuiſſe ſecutum.

IV. Tertio obſervandum, fruſtra lamentari eum de ſua damnatione, qui veteres hæreſes auſus fuit ſuſcitare. *Achatius*, ait Gelaſius PP. *Achatius non eſt factus inventor novi erroris, ſed veteris imitator: atque ideo non erat neceſſarium ut adverſus eum nova ſententia prodiret, ſed antiqua tantummodo renovaretur. Factus ſum itaque executor veteris conſtituti, non promulgator novi: quicumque enim in hæreſim ſemel damnatam labitur, ejus dam-* (Cauſa 24 quæſt. 1. cap. 1.)

natione ſeipſum involvit. Ut vero quis cenſeatur antiquæ hæreſis promulgator aut ſuſcitator, ſatis evidens eſt neceſſe haud eſſe, eâdem ac illi lingua, iiſdemque verbis ac illi utatur; ſufficit quod *æqualibus* aut *æquipollentibus*. Huc referri poteſt illa Undecimi Innocentii præcautio, quâ uſus deprehenditur in damnatione famoſi Molinos. *Vetimuſque*, inquit Innocentius, *ne quis cujuſcumque gradus, conditionis vel ſtatus, etiam ſpeciali nota dignus, audeat, ſub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, ſive ſub eiſdem verbis, ſive ſub ÆQUALIBUS aut ÆQUIPOLLENTIBUS, ſive abſque nomine, ſive ficto aut alieno nomine, ea imprimere, vel imprimi facere &c.* Scriptori itaque, qui velit Catholicus eſſe & haberi, ſollicitè cavendum ab eiſdem cum hæreticis vocibus; imo æqualibus & æquipollentibus: etſi abſque nomine, aut ficto vel alieno prodeat.

V. Veniamus modo ad Regulas initio §. promiſſas. Regula I. Senſus alicujus propoſitionis; nedum ex ipſis propoſitionis verbis, ſed ex unius quoque cum alia connexione, peti poteſt. Aphoriſmus hic ex Innocentii XII. librum cui titulus *Maximes des Saints*, & 23. ex eodem excerptas
12. Martii 1699. propoſitiones damnantis Conſtitutione, deſumptus eſt. *Librum prædictum*, inquit Pontifex, *ubicumque & quocumque alio idiomate.... quippe ex cujus lectione & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent; ac inſuper tamquam continentem propoſitiones, SIVE IN OBVIO EARUM VERBORUM SENSU, SIVE ATTENTA SENTENTIARUM CONNEXIONE temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas,*

ac

at etiam erroneas RESPECTIVE, tenore præſentium damnamus, & reprobamus. Quibus ex verbis non id ſolum conſequitur quod initio diximus, nimirum, ad obvium verborum ſenſum, & propoſitionum inter ſe connexionem attendi poſſe ac debere; ſed inſuper habemus, quod ſecundæ Regulæ loco obſervari poterit,

VI. Regula II. Eas etiam propoſitiones poſſe proſcribi, quæ, etſi non ita expreſſe errores olim damnatos contineant, tales tamen ſunt, ut fideles ſenſim in errores ab Eccleſia proſcriptos & olim damnatos inducere poſſint. Patet ex verbis Innocentii *XII.* num. præcedenti relatis: *Librum prædictum .... quippe ex cujus lectione & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent .... damnamus & reprobamus.* Quod hic de libro dicitur, nihil prohibet, quo minus propoſitioni applicetur.

VII. Regula III. Dum propoſitiones ſunt æquivocæ, ſubobſcuræ ac involutæ, quales ſæpe occurrere ſolent in tenebrionum operibus, ad alia quoque eorumdem Auctorum Opera recurri poteſt. Hanc regulam S. Auguſtinus in Pelagii quibuſdam aſſertis, apparenter catholicis dijudicandis tenuit. Dixerat Pelagius (ita refert Auguſtinus) audientibus Albina, Piniano & Melania *Anathema, qui vel ſentit vel dicit, gratiam Dei qua Chriſtus venit in hunc Mundum peccatores ſalvos facere, non ſolum per ſingulas horas, aut per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros non eſſe neceſſariam: Et qui hanc conantur auferre, pœnas ſortiantur æternas.* Inſuper, *ſine ulla recuſatione* damnaverat eos, *qui dicunt gratiam Dei & adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libro* De grat. Chri. c. 2. Ibi c. 3.

arbi-

arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina: damnaverat etiam eos, *qui docent gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari*. An Auguſtinus eum propterea hæreſis abſolvit? Minime. Sed cur verba tam apparenter catholica, in partem pejorem, imo peſſimam Auguſtinus interpretatus eſt? Ratio-
Ca.3.cit. nem aſſignat Auguſtinus ipſe: *Ubi putabamus ejus de hac re omnes tergiverſationes eſſe conſumptas.... tamen in libris quos edidit pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in epiſtola quam Romam miſit, nihil aliud ſentire monſtratur, quam id quod damnaſſe videbatur.*

VIII. Regula IV. Habenda eſt ratio Auctoris, cujus eſt propoſitio dijudicanda, ſcopi, circumſtantiarum temporis, errorum qui regnant &c. Hanc regulam, concordi omnium criticæ artis peritorum conſenſu confirmatam, egre-
Lib. 12. de Locis cap. 10. gie, uti ſolet, exponit noſter Illmus Cano ſequentibus verbis: „ Expediam brevi rem hanc, & „ planam exemplo uno faciam. Legis illam pro- „ poſitionem, *Pater major me eſt*, in Evangelio. „ Habes illius doctrinæ Auctorem cognitum & „ perſpectum: antecedentia & conſequentia in „ Evangelio verba diligenter attendis, ejus do- „ ctrinæ principia reliqua memoria tenes. Jam „ experiêre, niſi habes humore aliquo malo affe- „ ctum guſtum, propoſitionem illam: *Pater* „ *major me eſt*, non hæreſim tibi ſapere, ſed mo- „ deſtiam. Legebat eandem in Arianorum libris „ Athanaſius. Auctores intus & in cute noverat: „ Arianæ diſciplinæ cauſas & effecta, principia „ & connexa perſpexerat. Et quæ in Evangelio „ Chriſti dulcis erat ſuper mel & favũ, eadẽ pro- „ poſitio in Arii libros transfuſa, ſapiebat hæreſim,

„ erat-

„ eratque ejus guſtui vel amariſſima . Atque ut
„ idem vinum ex vaſe uno ſapit picem , ex alte-
„ ro non ſapit : & res eadem illud olet , unde ſit ,
„ e cœno male , ex arcula muliebri bene ; ſic una
„ & eadem oratio ex uno corde & ore odorem
„ ſpirat jucundiſſimum, ex altero teterrimum . . .
„ Quemadmodum etiam videmus aquam e radi-
„ cibus & canalibus , per quas tranſit , aliud at-
„ que aliud & olere & ſapere &c. „

IX. Regula V. Si Auctor de errore ſuſpectus in aliqua materia , de eadem illa materia ſcribat , nec veritatem tamen catholicam diſtincte & clare exprimat , ipſum ejus ſilentium pro erroris confeſſione habetur . Hanc nobis ſubminiſtrat S. Auguſtinus, qui contra Pelagium ſic invehitur: *Gratia ergo Dei , non qua inſtituatur , ſed qua reſtituatur* , homo , *quæratur ; quæ ab iſto ſola CLAMATUR non eſſe neceſſaria CUM TACETUR. Qui ſi omnino nihil de gratia Dei diceret , nec eam quæſtionem ſolvendam ſibi proponeret , ut a ſe de hac re invidiam removeret ; poſſet putari hoc quidem ſentire quod veritas habet , ſed non dixiſſe; quia non ubique omnia dicenda ſunt . Propoſuit de gratia quæſtionem : id reſpondit quod habebat in corde . Definita quæſtio eſt ; non quam volebamus ; ſed ubi quid ſentiret dubitabamus* . Vide etiam Auguſtinum de gratia Chriſti cap. 30. & 39. De nat. & grat. cap. 53.

X. Regula VI. Si quis de hæreſi quondam convictus , nuſquam tamen ſe erraſſe manifeſte fateatur ; de eodem errore ſuſpectum reddit. Deſumitur hæc regula ex ipſo rurſus Auguſtino, qui rationem reddens cur Pelagius catholicus haberi non debeat , ait : *Iſtam Dei gratiam , in divinis eloquiis manifeſtam , etiam Pelagius manifeſte fatea-* De grat. Chr. c. 26

tur ,

tur, ſeque tam diu contra ſcripſiſſe non operiat impudentiſſimo pudore, ſed dolore ſaluberrimo aperiat ; ut Sancta Eccleſia non turbetur pervicaci ejus obſtinatione, ſed veraci correctione lætetur. Et iterum c. 30. *Emendet hæc omnia, ne ſi in rerum magnarum profunditate humana erravit infirmitas ; etiam diabolica huic accedat errori vel fallacia, vel animoſitas : ſive negando quod ſenſit ; ſive defendendo quod perperam ſenſit : cum id ſe non debuiſſe ſentire, commemorata perſpicua veritate cognoverit.*

XI. Regula VII. Ex ipſis quoque Auctoris quo de agitur Diſcipulis, aſſociatis, aſſeclis, ejus ſenſum nos venari poſſe Auguſtinus iterum Auctor eſt. Patet id ex cap. 33. ejuſdem libri ; nam poſtquam cap. 32. quædam *Pelagii* verba, quaſi manifeſte catholica retuliſſet, proſequitur cap. 33. *Quis crederet ſub hac quaſi manifeſta confeſſione ſenſum latere contrarium, niſi eum Cæleſtius aperuiſſet? Qui in libello ſuo, quem Romæ geſtis Eccleſiaſticis allegavit, parvulos & baptizari in remiſſione peccatorum confeſſus eſt ; & negavit ullum habere originale peccatum.*

De grat. Chriſti.

XII. Octavam Regulam nobis ſuppeditat Innocentius PP. Diſt. 20. cap. 3. ubi quæritur, ad quos *recurrendum, cum Sacræ Scripturæ auctoritas non occurrit?* Reſp. *De quibus cauſis nulla ſolvendi ligandique auctoritas in libris .... appareat ... Sanctorum exempla perſpicaciter recordare.* Itaque dum ex ſcriptis Queſnelli nihil certi haberi poſſe videbitur, non ægrè, puto, ferent ejus Sequaces, ſi ad Queſnelli facta (nam Virum Sanctum eum appellitant) recurramus. Quapropter neceſſe erit hic adjungere brevem vitæ & factorum Queſnelli Synopſin ; ut ita ad manum ſint, quæ

Lecto-

Lectorem, percipiendis *Paſchaſianæ* doctrinæ myſteriis juvare utcumque poſſunt. Quod illico præſtabimus, ubi prius modum agendi Hæreticorum, qui ab initio Eccleſiæ, ad hæc noſtra uſque tempora extitêre breviter delineaverimus.

XIII. Nonæ regulæ loco eſſe poterit, praxis omnibus hæreticis: qui illud Horatianum recte uſurpant; *Ætas parentum pejor avis tulit nos nequiores, progeniem mox daturos vitioſiorem*: communis: a qua *Queſnellum* non abhorruiſſe, nec aſſeclas ejus abhorrere identidem oſtendemus. De hac cum plurima dici poſſent ex SS. PP. Hieronymo præſertim & Auguſtino, in præſentiarum ſufficiet annotaſſe, quod ſic verba temperare ſolent, ſic ordinem vertere, & ambigua quæque combinare; ut noſtram & adverſariorum confeſſionem tenere videantur: ut aliter hæreticus, aliter catholicus audiat. In ſuis vero conventiculis, ubi cenſorem non metuunt, liberius mentis ſuæ venena & planius transfundunt. Lib. 3. Carm. Ode. 6.

XIV. Regula decima. *Quævis propoſitio pravum ſenſum involvens, quamvis & in rectum ſenſum flecti poſſit, ſine exceptione vel diſtinctione duplicis ſenſus, cenſura configi ac damnari poteſt.* Canonem hunc ſubminiſtrat Natalis Alexander Hiſtor. Eccleſ. Sęc. 13. & 14. poſt Differt. 12. Cenſorii Suffragii parte. II. Eum probat I. ex damnatione erroris Florini & Blaſti: ***Deus eſt auctor malorum***, ſub ipſis Apoſtolorum temporibus. II. Ex damnatione propoſitionis Pauli Samoſateni: ***Chriſtus eſt*** ὁμοούσιος ***Patri***, abſoluta, ſine ulla ſenſuum diſtinctione Sæculo III. Ex Sæculo IV. producit Colluthi propoſitionem abſolute damnatam: ***Deus non eſt auctor malorum***. Sæculo V. notat damnatas

eſſe varias Pelagianorum, Semipelagianorum, Prædeſtinatianorum ſententias, abſolute & ſimpliciter: item Eutychianorum illam: *Una eſt verbi incarnati natura*. Sæculo VI. damnatio *trium Capitulorum* idem conficit. Sæculo VII. Monothelitarum damnatio. Sæc. VIII. Iconomachorum. Sæc. IX. Gotteſchalci. Sæc. XI. Berengarii. Sæc. XII. Gilberti Porretani. Sæc. XIV. Petri Joannis Olivi, Joannis wicleffi, quorum propoſitiones, uti & ſuperius annotatæ, bonum aliquem ſenſum habere poterant: & tamen abſolute ac ſine diſtinctione damnatæ leguntur. Tandem ut cætera omittam, quæ in dicto Auctore commodius legi poterunt, quam hic tranſcribi, confirmat eum Aphoriſmum teſtimonio Gerſonis Cancellarii Pariſienſis, qui Sæculo XV. *idem docuit*, inquit, *& a ſacra Synodo Conſtantienſi in damnatione articulorum Joannis Wicleff & Joannis Huſz hanc regulam ad praxim revocatam obſervavit: hujuſque uſum in Pariſienſi Univerſitate perpetuum & conſtantem, hanc ab erroribus immunem ac puram præſtitiſſe*.

XV. Porro circa Regulas illas, cum fere omnes vel ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus, vel Auguſtino deſumptæ ſint, nemo, confido, mihi moleſtus erit: quamquam Auctor Pag. 24. *Theol. Supplicis* ſcrupulum injiciat, circa decimam deſumptam ex Natali Alexandro. „ Non „ eſt id verum omnino, *inquit*, quod Natalis „ Alexander affirmat; cum nempe in Eccleſia „ morem viguiſſe ſemper, ut propoſitiones anci- „ pites, variiſque ſenſibus obnoxiæ, modo quis „ pravus ſubſit eis, abſolute, atque ſimpliciter, „ nulla adhibita ſenſuum explicatione damnen-

„ tur.

„ tur. Immo quandoque in ipſa lata cenſura, „ ſenſuum diſtinctio, & explicatio a Conciliis „ & Pontificibus facta eſt, ut diſſenſiones & ri- „ xæ præcaverentur. Hinc in Concilio Cpolita- „ no II. vox *Chriſtipara*, qua Superiorum tem- „ porum Patres uſi fuerant, ad Mariam Chriſti „ Domini Matrem deſignandam, proſcripta „ tandem eſt, atque rejecta, eo tamen expoſita „ ſenſu, *tanquam ſi Chriſtus, quem Maria genuit,* „ *non eſſet Deus*: ne priſci Eccleſiæ Patres rejecti „ atque proſcripti viderentur. Noſtraque de- „ mum ætate Innocentius X. Arnaldinas de Pe- „ tro & Paulo propoſitiones proſcribens: *San-* „ *ctus Petrus & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ prin-* „ *cipes .... ſunt duo Eccleſiæ Coriphæi ac Supre-* „ *mi Duces .... ſunt geminus univerſalis Eccleſiæ* „ *vertex .... ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores ac* „ *Præſides, qui unum caput conſtituunt*: has, ge- „ nuini ſenſus explicatione data, ac ipſi etiam „ decreto intexta, confixit die 24. Januar. 1647. „ *Propoſitiones has, ita explicatas, ut ponant om-* „ *nimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Pau-* „ *lum, ſine ſubordinatione & ſubjectione S. Pauli* „ *ad S. Petrum, in poteſtate ſuprema & regimine* „ *univerſalis Eccleſiæ, SS. Dominus hæreticam* „ *cenſuit & declaravit.* „ Hæc *Theol. Supplex.*

XVI. Verum nihil hæc officiunt Natali Alexandro, aut regulæ noſtræ. Quippe, non dicit Alexander nullas unquam propoſitiones damnatas fuiſſe, addita explicatione ſenſus in quo damnarentur (quomodo id dicere poterat, ſciens etiam quintam Janſenianam ſub explicatione aliqua damnatam eſſe) ſolummodo dicit, propoſitiones ancipites, modo quis pravus ſenſus ſubſit,

ab-

abſolute & ſimpliciter damnari poſſe: quod utique verum eſt, & ad oculum ab eo demonſtratur Sæc. 13. & 14. poſt Differt. 12. in Cenſorio Suffragio parte 2. Sic, dum noſtri Controvertiſtæ, probaturi contra Lutheranos & Calviniſtas, non eſſe juris divini, quod Laïci Euchariſtiam ſumant ſub utraque ſpecie, aſſumunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ reperiri Laïcos, qui ſub una tantum ſpecie communicaverint, non ſolvitur argumentum, dicendo, reperiri laicos multos initio naſcentis Eccleſiæ ſub utraque ſpecie communicaſſe: ita nec Alexandri Argumentum ſolvitur, dicendo, aliquando fuiſſe explicationem ipſi propoſitionum damnationi inſertam. Et ratio utrobique eadem eſt: eo quod in utroque caſu argumentum fundetur in eo, quod ſic fuerit olim practicatum ſæpiſſime; non autem in eo, quod nunquam fuerit factum aliter. Eſtque Alexandri argumentum tanto fortius, quanto plures inveniuntur propoſitiones damnatæ ſine explicatione ulla; pauciſſimæ vero cum explicatione. Ad has itaque Regulas, tametſi propoſitionum venenum ex ipſis earumdem terminis, vel ex connexione unius cum altera ſatis patulum ſit, aliquoties, majoris gratia claritatis recurremus. Et quia ex dictis Regula 4. patet, plurimum referre ut Auctorem intus, & in cute noſcamus, ſubnectimus vitæ & geſtorum ejus breviculum: ex articulis per varios Lovanienſis Academiæ Doctores Theologos & Juriſtas diſcuſſis & examinatis, ex ſolemni ab Archiepiſcopo Mechlinienſi contra Queſnellum prolata ſententia, denique ex Vitæ Clementis XI. variis locis compactum,

V. Trid. Seſſ. 21. cap. 2.

§. II.

§. II.

Synopſis Vitæ, geſtorumque Paſchaſii Queſnelli.

XVII. Paſchaſius Queſnellus natus Pariſiis 14. Julii Anno 1634. Oratorium Gallicanum, cui ab Eminentiſſimo Fundatore Berullo Cardinali nomen eſt, ingreditur 1657. Opera S. Leonis Papæ adjectis Scholiis, & diſſertationibus edidit Anno 1675. illo in opere quid animo meditaretur non obſcure indicavit. Siquidem, uti obſervatum fuit Eximio Chriſtiano Lupo Docto. Lovanien. Ordinis M. P. Auguſtini, in Opere *de Appellationibus*, Queſnellus Marcum Antonium de Dominis, & Joannem Calvinum imitatur. SS. PP. Leonem, Cyprianum, Auguſtinum calumniatur. S. Proſperum male ſtudet Sancti Leonis ſeductorem demonſtrare. Euſebianorum turbidas potat aquas &c. Hæc Chriſtianus Lupus de Queſnellianæ doctrinæ ovo, de diſſertationibus inquam, Queſnellianis in Opera S. Leonis; quæ Romæ 22. Junii 1676. proſcriptæ ſunt. Quis e tali ovo bonum expectet pullum? Decretum Romanum 27. Iulii affixum publicè, montem tetigit, qui illico fumum teterrimum exhalavit. Apologiam libri ſui edidit Queſnellus, in quo Decretum Romanum, velut libellum famoſum, legi Dei, boniſque moribus contrarium traducit. Papam directè impetere formidans, indirectè impetit, aſſerendo, Congregationem, a qua Decretum emanavit, non poſſe appellari *Sacram*; non eſſe inſtitutam *a Sede Apoſtolica*: Decretum continere *falſa*,

D impo-

impoſturas, ſchiſmatica, ſpiritum cabalæ, & odii Diabolici &c. Scilicet, Decretum negat a Sede Apoſtolica prodiiſſe, ut liberius in illud liceat debacchari; imitatus in hoc Lutheri aſtutiam; qui in aſſertione articulorum a Leone X. damnatorum ſimulat ſe non credere, Bullam damnantem articu-
In proœmio. los a Papa prodiiſſe: *Quamquam*, inquit, *abunde ſatis prioribus libellis meis rationem reddiderim, de articulis illis, noviſſima Leonis Decimi (UT VEL FINGITUR, VEL FERTUR) Bulla damnatis; & ipſi QUICUMQUE AUTHORES EJUS FUERINT ſuæ damnationis prorſus nullam cauſſam reddiderint; ne jota quidem e Sacris Scripturis adducto &c.* Nemo tamen unus dubitavit unquam, quin ſcommata Lutheri contra Bullam illam, in ipſum reciderint Pontificem Leonem; cujus nutu & approbatione conſtabat editam Bullam. Sic ergo nec Queſnello prodeſt quidquam vulpina illa aſtutitia; quin omnia quæ in Decretum conjecit ſcommata, ejus erga Summum Pontificem, *Jeſu Chriſti* in terris Vicarium averſionem ac odium indicent. Et quamquam ſæpius in damnato opere fateri videatur, credere ſe Primatum Papæ ſupra univerſam Eccleſiam (hoc enim aperte negare, erat hæreſim publicè incurrere) ita tamen ſcribit,
Pag. 785. Op. cit. ut laudatus Chriſtianus Lupus aſſerere non dubitaverit: *Certè opinabor, quod... Paſchaſius Queſnellus iſtum Primatum non credat.*

XVIII. Anno 1678. Menſe Septembri Comitia *Oratorii* habita fuère. In his, inter alia, die 26. ejuſdem Menſis ſtatutum: Congregationem *non prohibere, niſi, ne tradantur Doctrinæ ab Eccleſia damnatæ: aut quæ poſſent eſſe ſuſpectæ de ſenſibus Janſenii, & Baji, quoad Theologiam.* Formula dein-

deinde de doctrina, quæ tradi poſſet, quæ rejici deberet, Patrum auctoritate concepta: quæ jubente Rege Ludovico XIV., adnitente Archiepiſcopo, de mandato Congregationis ad omnes domos Oratorii tranſmiſſa, ut eidem omnes ſubſcriberent. Vetabat ea formula aliquid propugnare, quod Summi Pontifices damnaſſent in libro Janſenii, aut antea in Bajo. *Sincere prohibet*, ait P. Thorentier Aſſiſtens illius Congregationis, *ne doceatur Janſeniſmus damnatus a Summis Pontificibus, ab Epiſcopis, ab Univerſitatibus, a communitatibus, ab ipſo Authore, a quo nomen deſumit*. Quid de hac formula Queſnellus ſenſerit, quamque ab illo tempore affectus fuerit doctrinis damnatis ab Eccleſia univerſa, declarant verba ejus ſequentia: *Formula illa me profecto ſuffragatorem habere nunquam potuit.* Unde eidem calculum ſuum adjicere noluit, etſi ſpecialiter de hoc rogatus a P. Behier, ita eidem ſcribente (prout vertit Auctor Synopſis Vitæ Paſchaſii Queſnelli, editæ Venetiis 1620. cum Opuſculo Reverendiſſimi P. M. Van. Ranſt in damnatas, quamvis hic illius Synopſis Auctor non ſit): *Te, R. P. obteſtamur per amorem, quo ſemper congregationem proſecutus es, ne ejuſdem teſtimonium ei deneges in hac occaſione; & ne inferas noſtris RR. PP., qui te magni faciunt & diligunt, dolorem in videndo te unicum fuiſſe qui ſeſe ſubmittere recuſaverit*. Sed ſurdo canebat Pater Behier. Queſnellus formulæ ſe ſubjicere recuſavit; imo cœpit eamdem conviciis impetere. In ſcripto cui initium: *Le nom du Roy &c.* Item Epiſtola quadam: *Nihil boni*, inquit, *expectandum erat ex operandi proceſſu adeo extraneo: nec mirandum fuit, cum in hoc ſcripto tot res repertæ ſunt*

 ratio-

rationi, veritati, ac bono regimini adverſantes. Et iterum: *Dum articuli horum ſtatutorum, concernentes Doctrinam & pacem Eccleſiæ minutatim expenduntur: tot ibi res inveniuntur utrique præjudicantes, ut ſtupendum ſit, homines mente alioquin lucidiſſima præditos, ſibi perſuadere, poſſe eidem, ſalvâ conſcientiâ, ſubſcribi.*

XIX. Cum preces nihil proficerent, ventum eſt ad caſtigationes. *Primum*; ita de ſe narrat Queſnellus; *Domo Pariſienſi abire juſſus, Aureliam ad Ligerim ſecedere compulſus ſum.* Anno 1681. *Pariſiis* triennalia Congregationis Comitia ſunt habita. In iis prolata ſunt Regia mandata, quibus juſſi ſunt omnes proprio chirographo *Formulam* munire, ejuſque Doctrinam ex profeſſo amplecti. Edictum per Provincias miſſum eſt, mandata Viſitatoribus data illud exequendi. Omnes ad eam neceſſitatem adducti ſunt, ut vel obtemperarent, vel, tamquam Regiis Juſſis inobedientes & rebelles e Congregatione pellendi, ad extremos regni limites ablegarentur; aut pejus aliquid experirentur. *Ut utrique neceſſitati* (ſubſcribendi *formulæ*, aut Regiam indignationem experiendi) *me*, ſcribit Queſnellus, *ſubducerem, meum amicorumque conſilium fuit*. Queſnellus ſuis & amicorum conſiliis auſcultans: *Aurelia relicta* 8. *Feb. hora poſt meridiem circiter ſecunda Carnutum veni*, ait, *die Sabbathi: inde Feria* 2. *iter Pariſios arripui, illuc adveni poſtridie; ubi dies quatuor commoratus die Sabbathi* 17. *Febr. cariſſimam Patriam relinquens, & viam Belgii ingreſſus, per novem dies itinere confecto, Bruxellas attigi, die Dominica Sexageſimæ, Febr.* 25. 1685. *quo pariter pervenit cariſſimus Frater meus die Dominico ſubſequen-*

quente 4. *Martii*. Ecce quantum adamabat doctrinam Janſenii & Baji! Ne ei cogeretur dicere vale; maluit cariſſimam Patriam deſerere.

XX. Invenit Bruxellis D. Arnaldum, alterum factionis Janſenianæ coryphæum, eandemque ob cauſam e Gallia, ab Anno 1679. Menſe Iunio profugum. Eidem Socium ſe adjunxit, in humili domuncula, inque abdita platea: ibi, *ſic privatam vitam inſtitui*, ait alibi, *ut a ſolito hominum commercio ſegregatus, locum vix paucis amicis notum, paucioribus pervium hactenus incoluerim*. Quinquennio latitârunt in illis latebris ambo; donec Menſe Aprili 1690. de ipſis innotuit Marchioni de Caſtanaga Belgii pro Hiſpaniarum Rege Gubernatori; cujus mandato, Belgio juſſi ſunt excedere. Igitur e Belgio in Hollandiam, commune omnium hæreticorum azylum ſe recipiunt: a DD. Van Hueſſe Lugduni Batavorum & Van Erkel, utroque Janſeniſmi fautore, humaniter quidem accepti; ſed timore eos invadente, haud diu retenti. Itaque conſilio amicorum in ditionem Leodienſem invadunt. Ibi ſe parum tutos ut animadverterunt, rurſus Bruxellas redeuntes, integro quadriennio pedem ædiculâ ſuâ non extulerunt. Arnaldus Anno 1694. 8. Auguſti vivere deſiit, quadrante poſt duodecimam nocturnam; poſtquam exeuntium Sacramenta ei pridie, propria auctoritate adminiſtraſſet Queſnellus. Tandem agente Illuſtriſſimo Humberto Guilielmo A Precipiano Mechlinienſi Archiepiſcopo, ac manum adjutricem porrigente Marchione de Bedmar Belgii Gubernatore, captus eſt Queſnellus Bruxellis, unà cum D. Gabriele Gerberon ac D. Arnoldo Ioſepho de Brigode, 5. Maii, Fer. 4. poſt

Feſta Pentecoſtalia Anno 1703. inque cubiculo Palatii Archiepiſc. Bruxellis ſequeſtratus. De hac captura ita ſcribit *Queſnellus* : *Mihi aderat omnis facilitas poſſibilis evadendi eorum manus, qui ad me comprehendendum veniebant, & re ipſa evaſeram proripiendo me ex hoſpitio; ſed Deus me retraxit, & ipſemet, ut ita dicam, me conjecit in manus eorum*. Simul cum Queſnello ad Palatium Archiepiſcopale translata ſunt omnia ſcripta ejuſdem: ex quibus, ſicut & ex aliis, varia manifeſtè probata ſunt, quæ maxime conducunt ad rem, qua de in præſenti agimus.

XXI. Poſteaquam Queſnelli amicis innotuit quo loco recluſus eſſet, flagitioſo attentato, perfracto ac perforato loci pariete, nocte inter 11. & 12. Septembris evadendi occaſionem ei præbuêre. Citatus tamen fuit ab Archiep. Mechlinienſi ad cauſam dicendam, reſpondendumque ad articulos, ei ab Officiali curiæ Archiepiſcopalis objectos & objiciendos. Affixum Decretum citatorium, cum articulis, de quibus legitimè accuſabatur, die 13. Febr. 1704. Cumque elapſo debito tempore, citationibuſque neceſſariis præmiſſis non comparuiſſet, proceſſum eſt ad Sententiam die 10. Novembris ejuſdem Anni 1704. In litis conteſtatione, priuſquam, velut in contumacem & comparere nolentem, ſententia ferretur, legitimè contra eum probata ſunt puncta ſequentia.

Primo „ Quod Queſnellus admonitus, rogatus, „ ac inſtanter preſſus a ſui Ordinis Superioribus, „ ut ſubſcriberet formulæ, ſeu ſtatuto ſuæ Con„ gregationis contra damnatam Baji ac Janſenii „ doctrinam, obſtinate renuerit.

2. „ Quod

2. „ Quod ideo contumax diſceſſerit ex Gal-
„ lia in Belgium Anno 1685.

3. „ Quod in variis Belgii Civitatibus, &
„ potiſſimum Bruxellis latitaverit ſub diverſis
„ nominibus fictis.

4. „ Ibidem intime conjunctus fuerit Anto-
„ nio Arnaldo, cui defuncto ſucceſſit in præfe-
„ ctura & regimine totius Sectæ.

5. „ Quod illa Secta ſeu factio latè per Gal-
„ liam, Belgium & Hollandiam ſit diffuſa, & a
„ factioſis appellatur Ordo: complectens Abba-
„ tias, Prioratus, Collegia, Domos, Hoſpitia,
„ Eremos; conſiſtens Sæcularibus & Regulari-
„ bus, Laicis & Eccleſiaſticis, Viris & Feminis.

6. „ Quod dictus Queſnellus varias inſti-
„ tuerit Viſitationes illius Ordinis, exigens a
„ præcipuis ut ad ipſum referrent quidquid pro-
„ movendo ordini iſti conducere videretur; at-
„ que ad eum effectum procuraverit collectas,
„ ſeu contributiones pecuniarum, quibus pro-
„ curatores negotiorum illius ordinis poſſent
„ cauſam ſuam Romæ, Madriti, Pariſiis, & ali-
„ bi ſuſtinere.

7. „ Quod in litteris uſus fuerit fictis nomi-
„ nibus.

8. „ Quod tam ſcripſerit, quam ab intimis
„ ſuis receperit litteras Regi noſtro Catholico
„ & Regi Chriſtianiſſimo, & præcipuis utriuſque
„ Regis Miniſtris; atque etiam Summis Ponti-
„ ficibus, Cardinalibus & Epiſcopis non paucis
„ graviter obtrectantes ac injurioſas; quodque il-
„ las a quibus tales litteras frequenter recipie-
„ bat, perrexerit colere, tamquam amicos &
„ charos.

9. „ Quod Montenſis Oratorii Presbyteros
„ a ſubſcribenda præmemorata *formula* ſuæ Con-
„ gregationis dehortatus fuerit.

10. „ Quod multa opuſcula compoſuerit,
„ ac edenda curaverit, quibus hæreſim Janſenia-
„ nam, præſertim primæ & quintæ propoſitio-
„ num inter famoſas quinque, ſuſtinere & aſſere-
„ re conatus eſt.

11. „ Quod Semipelagianos cenſuerit quoſ-
„ cumque tenentes Chriſtum pro omnibus homi-
„ nibus mortuum; & gratiam neceſſariam cun-
„ ctis hominibus datam vel paratam.

12. „ Quod omnem gratiam ſufficientem,
„ quæ non ſit per ſe efficax, ſcurriliter & impiè
„ deriſerit, tamquam juſtis inutilem & peccato-
„ ribus damnoſam.

13. „ Quod Janſeniſmum contenderit me-
„ rum eſſe phantaſma.

14. „ Quod in cauſa Janſenii Summis Ponti-
„ ficibus Urbano VIII. Innocentio X. & Cle-
„ menti XI. obreptum eſſe, & Bullis ac Brevibus
„ eorum, aliquid præter ipſorum mentem inſer-
„ tum eſſe, ſæpius effutierit.

15. „ Quod cenſuerit perjurium & Sacrile-
„ gium eſſe ſubſcribere Formulario Alex. VII.
„ in eum ſenſum, ut damnetur doctrina Janſe-
„ nii, quem Eccleſiæ Magiſtrum appellat.

16. „ Quod excitaverit omnes ad ſuſtinen-
„ dam veritatem, ut vocat, cauſæ Janſenianæ.

17. „ Quod contenderit non fuiſſe a Sancta
„ Sede examinatum, id quod vocant *Factum*
„ *Janſenii*.

18. „ Quod aſſeruerit diſcipulos, ut vocat,
„ S. Auguſtini numquam ſubmiſſuros ſe fuiſſe

„ Con-

„ Conſtitutioni Innocentii X. ſi putaſſent ſen-
„ ſum Janſenii in ea eſſe damnatum.

19. „ Quod poſt Decretum & Brevia Inno-
„ centii XII. aſſeruerit, obvium ſenſum For-
„ mularii Alexandri VII. non requirere, ut Jan
„ ſenianæ propoſitiones quinque abjurentur in
„ ſenſu auctoris earum.

20. „ Quod ſuſceperit cauſam 40. Docto-
„ rum Pariſienſium circa famoſum *Caſum Con-*
„ *ſcientiæ*.

21. „ Quod paraverit impreſſionem omnium
„ hactenus editorum in cauſa Janſenii.

22. „ Quod concurrerit ad impreſſionem
„ Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis, nullam
„ habentis approbationem Cenſoris Ordinarii,
„ neglecto mandato Conſilii Ordinarii, & ne-
„ glecto mandato Conſilii Brabantiæ. „ (Circa hunc articulum nota, quod in ſententia Archiepiſcopi Mechlinienſis contra Queſnellum dicatur, concurriſſe ad illam impreſſionem, *in hoc oppido* (Bruxellenſi) *factam, ſine ulla approbatione Cenſoris ordinarii, & non expectata cenſura noſtra; ad quam tamen per Apoſtillam datam in Supremo Conſilio Brabantiæ fuerat remiſſa.* Unde peccavit hic Queſnellus, tum contra inſtructiones Clementis VIII. auctoritate Regulis Indicis librorum prohibitorum adjectas, *Cap. de impreſſione librorum* §. IV. & ſimul contra mandatum ei impoſitum a Conſilio Brabantiæ: ac propterea hic culpatur: utique culpandus etiamſi aut Thomam a Kempis, aut exercitia S. Ignatii tali modo curaſſet imprimi.)

23. „ Quod impugnaverit Decretum Ale-
„ xandri VII. de 31. propoſitionibus; quarum
„ mul-

„ multas aſſeruit eſſe veras,& injuſte damnatas.

24. „ Quod aſſeruerit,quaſdam Baji propo-
„ ſitiones damnatas, continere germanam San-
„ cti Auguſtini ſententiam.

25. „ Quod Decretum Sacræ Congrega-
„ tionis Indicis, contra ejus notas, ſeu diſſerta-
„ tiones in opera S. Leonis Papæ, acerbè impu-
„ gnaverit, & viliſſime traduxerit.

26. „ Quod plura Opuſcula P. Gerberon,
„ quæ per Apoſtolicam Sedem fuerunt conde-
„ mnata, impensè laudaverit; ac ſignanter no-
„ vam editionem operum Baji.

27. „ Quod ſubminiſtraverit materiam di-
„ cto P. Gerberon ad componenda varia ejus
„ opuſcula damnata.

29. „ Quod dogma Immaculatæ Conceptio-
„ nis Deiparæ Virginis, graviter taxaverit, uti
„ novum, & contrarium veritati Scripturarum,
„ ac inferens pernicioſam ſequelam.

30. „ Quod damnatam ſententiam, *De gemi-
„ no capite Eccleſiæ* ſuſtinuerit.

31. „ Quod Antonium Arnaldum injuſte à
„ Pariſienſi facultate damnatum aſſeruerit.

32. „ Quod promiſcuam Sacræ Scripturæ
„ Lectionem commendaverit, & regulam quar-
„ tam Indicis exploſerit.

33. „ Quod conſenſum in delectationes in-
„ honeſtas & moroſas, etiam diuturnas docue-
„ rit non eſſe, in amantibus caſtitatem, pecca-
„ tum mortale: (niſi adſit conſenſus in opus ex-
„ ternum) ſaltem illud eſſe moraliter impoſſibile.

34. „ Quod Theologicas Facultates, Pari-
„ ſienſem, Lovanienſem & Duacenſem, indignè
„ contempſerit.

„ 35. „ Quod vaticinatus ſit everſionem Sta-
„ tûs & Regnorum, propter injuſtam, ut ait,
„ perſecutionem in Janſeniſtas.

36. „ Quod ſeditioſo ſcripto Clerum Hol-
„ landiæ incitaverit ad non obediendum Decre-
„ tis moderni (Clementis XI.) Pontificis: & ad
ſeſe contra ea tuendos auctoritate Magiſtratus
„ Acatholici.

37. „ Quod effreni licentia ſcribendi, magnas
„ in Belgio Catholico turbas excitaverit, Cle-
„ rum & populum adverſus Epiſcopos commo-
„ vendo.

„ Ita cenſemus: (*ſcilicet hæc puncta legiti-*
„ *mè probata eſſe*) Bruxellis 27. Septemb. 1704.

Franciſcus Martin S. Theol. Doctor, & Regius Profeſſor ac Regens.
Antonius Parmentier S. Theol. Doctor, & Profeſſor Ordinarius ac Regens.

„ Infraſcripti ſuper præmiſſis 37. articulis illis
„ a D. Procuratore Officii Curiæ Spiritualis Me-
„ chlinienſis adverſus D. Paſchaſium Queſnel
„ Congregat. Oratorii Berulliani Presbyterum,
„ ſervato juris Ordine legitime productis, ac pro-
„ batis, judicium noſtrum dare requiſiti, in fa-
„ vorem juſtitiæ & veritatis, iiſdem articulis ma-
„ turè perpenſis, ſub correctione, cenſemus,
„ quod præfatus Paſchaſius Queſnel, notorie ſit
„ Bajaniſmi & Janſeniſmi reus ac fautor, Hære-
„ ſumque ac propoſitionum, a Sede Apoſtolica
„ identidem damnatarum contumax & pertinax
„ propugnator, zizaniorum in agro Dominico
„ diſſeminator, Eccleſiæ Catholicæ perturbator,

„ tur-

„ turpiſſimi ſchiſmatis, factionis ac ſeditionis caput, &, quantum in ipſo eſt, auctor: Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, nec non Regibus ac Principibus inobediens, irreverens, injurioſus & rebellis: ſpurcitiarum jam pridem condemnati Michaëlis Molinos inſtaurator, excommunicationi majori ſententiæ latæ, aliiſque cenſuris ac pœnis per *Indicem* Concilii Tridentini & Summos Pontifices fulminatis obnoxius; Eccleſiæ Dei ac Reipublicæ pernicioſus, atque adeo per utramque ſupremam poteſtatem condignè ac publicè in aliorum terrorem & exemplum puniendus.

C. G. Dalman S. Theol. Doctor & Regius Profeſſor ac Regens.
Hermannus Damen S. Theol. Doctor & Profeſſor Regens, Decanus S. Petri Lovanii, Librorum Cenſor.
I. F. de Le Loz S. Theol. Doctor & Profeſſor Regens.

„ Approbo judicium ſupra ſcriptum ...... in fidem ſigno Lovanii in Feſto *S. Petri de Alcantara* 1704.

Petrus Marcelis S. Theol. Doctor & Profeſſor, Apoſtolicus ac Regius librorum Cenſor per Germ. inferiorem.

XXII. Viſis horum, aliorumque Virorum qualificatorum, ſuper præmiſſis articulis, quo in re tanti momenti ſecurius, majorique cum caute-

la,

la, ac minori cum invidia procederetur, judiciis, reo non comparente, prolatum eſt ſolemne contra eundem Decretum, ſeu juridica ſententia, ut ſequitur.

HUMBERTUS GUILIELMUS

A PRECIPIANO,

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus Mechlinienſis, Primas Belgii, ad exercitus Regios Delegatus Apoſtolicus, ſuæ Majeſtatis a Conſiliis Status &c....

„ IN cauſa Officii coram nobis mota, & indeciſa pendente, inter Procuratorem ejuſdem Officii Actorem ex una, & *P. Paſchaſium Queſnel* Pariſinum, Oratorii Nominis *Jeſu* in *Gallia* Presbyterum, non ita pridem in Palatio noſtro Archiepiſcopali, juſſu noſtro ſequeſtratum, & poſtmodum, violatâ ſequeſtratione, per iteratas litteras Edictales, cum debito intervallo, publicè in locis conſuetis affixas, & in rotula reproductas, reſpective 17. Martii & 14. Aprilis, hujus anni 1704., citatum, ſed non comparentem, ac contumacem, ex altera partibus. Viſis ejuſdem cauſæ actis & actitatis, notanter etiam recuſatione pro parte citati, contra Nos, Judicem Ordinarium propoſitâ; quam uti notorie frivolam rejecimus, prout adhuc rejicimus; omnibuſque maturè examinatis, & perpenſis, præſertim Decreto noſtro 9. Junii noviſſimi dato, quo Actorem pro utilitate trium contumaciarum ad proban-

„ dum

„ dum admiſimus; & probationibus, quas in vim
„ ejuſdem Decreti produxit, de plurium Eccle-
„ ſiæ noſtræ Metropolitanæ Dominorum Capi-
„ tularium, & aliorum Sacræ Theologiæ Do-
„ ctorum & Licentiatorum, uti & Jurisperito-
„ rum conſilio, & aſſenſu, *Chriſti* Nomine invo-
„ cato, & nihil niſi juſtitiam præ oculis haben-
„ tes, dicimus, decernimus & declaramus, ex iiſ-
„ dem Actis & probationibus conſtare, eundem
„ Citatum renuiſſe *SIMPLICITER* (licet admo-
„ neretur, rogaretur, ac inſtanter ad hoc premere-
„ tur a Superioribus ſuis) formulæ Doctrinali,
„ præſcriptę in Comitiis Generalibus præfati O-
„ ratorii Gallici ſubſcribere; idque *ea præcipue de*
„ *cauſa*, quod formula iſta contineret damnatio-
„ nem Doctrinæ *Janſenii & Baji*: quam contu-
„ maciam adverſus ſuperiores ſuos ne depone-
„ ret, ex Gallia profugus, ab anno 1685. in
„ Belgio, variis in locis, ſed potiſſimum in hoc
„ Oppido Bruxellenſi, ſub fictis nominibus lati-
„ tavit, & ex latebris ſuis contumaciæ ſuæ ma-
„ lum ulterius communicavit, varia edendo, ac
„ publicando opuſcula, quibus *hæreſim Janſe-*
„ *nianam non obſcure ſuſtinuit*: idque eâ continua-
„ tione audaciæ, ut aſſeruerit, quod Summis
„ Pontificibus, *in Cauſa Janſenii* fuiſſet obre-
„ ptum; & aliquid præter mentem Pontificiam,
„ Bullæ Urbani VIII. inſertum: ſimul & indi-
„ gno modo ſcribendo de Summis Pontificibus,
„ & male perſtringendo S. R. E. Cardinales, Epi-
„ ſcopos, alioſque Eccleſiæ Miniſtros, & Viros
„ dignitate, ac doctrina eximios: neque ab ob-
„ trectationibus adverſus Reges, neque a contu-
„ meliis erga Regios Miniſtros abſtinendo. In-

„ ſu-

„ ſuper pertinaciam ſuam prodidit aſſerendo in-
„ ter alia, *Janſeniſmum non eſſe niſi phantaſma*;
„ faciendo notas multum injurias & contumelio-
„ ſas *Decreto S. Congregationis Indicis* lato 22. Ju-
„ nii 1676. quo prohibebantur diſſertationes ip-
„ ſius ad S. Leonis opera; approbando & laudan-
„ do plura opera Domini Gabrielis Gerberon,
„ quæ a Sede Apoſtolica dein fuerunt reproba-
„ ta; uti novam operum Baji editionem, & *Hi-
„ ſtoriam Janſeniſmi*; ſuſcipiendo quoque cau-
„ ſam quadraginta Doctorum Pariſienſium, cir-
„ ca famoſum *Caſum Conſcientiæ*; concurrendo
„ ad impreſſionem in hoc Oppido factam Hiſto-
„ riæ Congregationum de Auxiliis, *ſine ulla
„ approbatione Cenſoris Ordinarii, & non expecta-
„ ta cenſura noſtra, ad quam tamen per Apoſtillam
„ datam in Supremo Conſilio Brabantiæ fuerat re-
„ miſſa*. His accedit quod plura etiam ſcripſe- Vide no-
„ rit, quibus Oratorii Montenſis Presbyteros, tã ad art.
„ Oratorio Gallico ſubjectos, a ſubſcriptione 22. præ-
„ præmemoratæ formulæ averteret: & quod in- ced.
„ ter ſcripta ejus inventum etiam fuerit aliquod,
„ manu ejus exaratum, complectens 33. paginas
„ in folio, quod hunc præfert titulum: *L'Inquiſi-
„ tion &c.* in quo quidam Senatus Regius indi-
„ gne excipitur, ſicut & Magiſtratus Montenſis,
„ ſeu aliqui ex illo acerbè traducuntur, per ejus
„ libellum, manu tortoris combuſtum, cui titu-
„ lus: *Remontrance juſtificative pour les Prêtres
„ de l'Oratoire de Mons*. Præterea aſſeruit, Cita-
„ tus, non fuiſſe a S. Sede examinatum illud,
„ quod vocant *Factum Janſenii*; & ſcripſit, *non-
„ dum tempus adveniſſe reddendi juſtitiam Janſe-
„ nio debitam, ac reparandi injuriam ipſi illatam*;

„ ad-

„ addendo quod ſi Diſcipuli S. Auguſtini exiſti-
„ maſſent quod ſenſus *Janſenii* eſſet condemna-
„ tus per Innocentii X. Bullam, eidem ſeſe non
„ ſubmiſiſſent. Quantum autem ad Bajanas pro-
„ poſitiones, ſuſtinuit inter illas aliquas eſſe,
„ quæ continent genuinam S. Auguſtini Doctri-
„ nam: *Propoſitionem vero quæ ſpectat infidelium*
„ *actiones, eſſe præcisè illam quæ præ aliis ſuſtineri*
„ *poſſet, quæque eſſet adeo in S. Auguſtino, ejuſque*
„ *diſcipulis fundata, ut exiſtimandum non ſit, S. Se-*
„ *dem illam erroris damnare voluiſſe: ſed tantum*
„ *probibuiſſe ne tunc temporis defenderetur propter*
„ *rationes tunc, non nunc militantes*. Ulterius pa-
„ tet ipſum poſt Breve & Decretum Innocen-
„ tii XII. Anno 1694. editum pertinaciter con-
„ tendiſſe, ſenſum obvium formularii non requi-
„ rere, ut quinque propoſitiones (*Janſenii*)
„ damnentur *in ſenſu ab Authore intento*, edendo
„ iſtum in finem ceu publicam & communem
„ explicationem, in qua affirmat, quod per *for-*
„ *mularii* ſubſcriptionem *non ſubſcribatur condem-*
„ *nationi libri Janſenii*. Impugnavit quoque ſcri-
„ ptis ſuis Decretum Alexandri VIII. in 31. pro-
„ poſitiones latum; & dogma Immaculatæ Con-
„ ceptionis *Deiparæ Virginis* numeravit inter opi-
„ niones novas & *contrarias veritati Scriptura-*
„ *rum, inferenteſque pernicioſam ſequelam*: atque
„ damnatam ſententiam *De gemino Capite Eccle-*
„ *ſiæ*, ſatis aperte ſuſtinuit: Ac decreta Sacra-
„ rum Congregationum, quibus libri quidam
„ proſcribebantur, audacter ſugillavit & redar-
„ guit. Plura edidit ſcripta anonyma, & Au-
„ torem, Typographum & locum impreſſionis
„ mentientia, eaque imprimi, reimprimi & di-
„ ſtrahi

„ curavit; Et inter illa etiam quædam a Sede
„ Apoſtolica publicis Decretis *antea condemnata.*
„ *Oratorium domeſticum erexit propriâ auctorita-*
„ *te, pro libitu in eo Sacrum dicens.* Cum variis
„ perſonis noxium litterarum commercium fo-
„ vit ſub fictis nominibus. Denique per effre-
„ nem ſuam ſcribendi licentiam magnas in hoc
„ *Belgio*, ac in noſtra Diœceſi turbas excitavit,
„ & diſſenſiones; & non raro clerum & popu-
„ lum adverſus proprios ſuos commovit Epiſco-
„ pos; *Ac præcipuè ſcripto quodam inſolentiis ple-*
„ *no clerum Batavicum contra Sanctiſſimi D. N.*
„ *Clementis XI. Decreta ſeditiose incitavit.* Qui-
„ bus omnibus conſideratis declaramus, Citatum,
„ *Uti de Janſeniſmo & Bajaniſmo, aliiſque ex-*
„ *ceſſibus ſupra memoratis convictum, incidiſſe in*
„ *excommunicationem, aliaſque pœnas per Bullas*
„ *Apoſtolicas in hujuſmodi delinquentes latas;* Mo-
„ nentes omnes & ſingulos Chriſti fideles, ut ip-
„ ſum uti talem habeant, & evitent: injungen-
„ tes Citato, ut ſe recipiat ad Monaſterium ali-
„ quod, in patria catholica ſitum, ibidemque
„ per integrum, ab adventu ſuo, menſem exer-
„ citia ſpiritualia obeat; ac dein in ſpiritu pœni-
„ tentiæ ibidem ſequeſtratus maneat, legendo
„ ſingulis diebus ſeptem pſalmos pœnitentiales;
„ ac jejunando diebus Veneris in aqua triſtitiæ,
„ & pane doloris, donec Summo Pontifici, quo
„ ad doctrinam ſuam fecerit ſatis, ac abſolutio-
„ nem ab excommunicatione obtinuerit. Inſuper
„ inhibemus ei, ne ad Diœceſim noſtram un-
„ quam revertatur; minus in eadem aliquid ſcri-
„ bat, edat, aut imprimi faciat ſine prævia no-
„ ſtra licentia; vel ſimiles exceſſus committat

„ ſub pœna, quod perpetuis carceribus manci-
„ pabitur, aliiſque pœnis gravioribus in jure
„ contra hujuſmodi tranſgreſſores ſtatutis punie-
„ tur; Condemnantes ipſum in expenſas ſeque-
„ ſtrationis & contumaciales ad Noſtram taxam.
„ Ita in his ſcriptis ſententiamus. Datum Bru-
„ xellis in Palatio noſtro Archi-Epiſcopali die
„ 10. Novembris 1704. Et erat ſignatum H. G.
„ Archi-Epiſcopus Mechlinienſis. Et ad latus
„ appoſitum erat Sigillum præfati Illuſtriſſimi
„ ac Reverendiſſimi D. Archi-Epiſcopi in hoſtia
„ rubra. „

XXIII. Interea edita fuerant *Queſnelliana* volumina Pariſiis ſub titulo: *Le nouveaux Teſtament en françois, avec des reflexions morales ſur chacque verſet*; ſeu: *Abregè de la Morale de l'Evangile &c. ou penſees Chretiennes ſur le texte de ces livres ſacrez*: Annis ſcilicet 1693., 1694., & 1699. Jam tum variis idem opus notis a Viris doctis inuri cœptum; tum etiam animadverſionibus impeti probroſis. D. de Formagea Doctor Sociuſque Sorbonicus, anno illo 1694. centum nonaginta novem aſſerta *erronea, falſa*, & *reprehenſione digna*, ex eo collegerat, publicaveratque. Humbertus Guilielmus A. Precipiano Archiepiſcopus Mechlinienſis, in *cauſa Queſnelliana*, quam edi typis curavit, multas ex eodem libro propoſitiones exhibuit *erroneas, ſchiſmaticas, hæreticas*, quarum exemplar ad Apoſtolicam Sedem remiſit. Clemens XI. librum damnavit 3. idus Quintiles 1708. velut *Sacrum novi Teſtamenti Textum* exibentem *damnabiliter, & auſu temerario vitiatum; & alteri verſioni gallicæ, dudum a fel. record. Clemente PP. IX. Prædeceſſore damnatæ,*

Vita Clemen. XI. l. 3. n. 31.

in

in multis conformem. A vulgata vero editione, quæ tot Sæculorum uſu in Eccleſia comprobata eſt, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem. Notas inſuper & obſervationes continentem, habentes quidem ſpeciem pietatis, ſed ad virtutem ejus abnegandam ſubdole deducentes, in quibus paſſim occurrunt doctrinæ & propoſitiones ſeditioſæ, temerariæ, pernicioſæ, erroneæ, alias damnatæ, & Janſenianam hæreſim manifeſte ſapientes.

XXIV. Non deerant tamen, qui velut nullo fœdatum errore librum commendarent aliis, legendumque importune obtruderent: quapropter ſollicitatus ſæpius Clemens XI. ut gliſcenti malo validiori remedio occurreret. Pontifex in rem Catholicam futurum cenſens fallacis operis venena detegere; ſingillatim errores proſcribere, ac nova Conſtitutione damnare ſtatuit: præſertim quod hoc unicum ſedandorum motuum remedium eſſe cenſerent, tum Galliarum Epiſcopi, tum Rex ipſe Ludovicus XIV. Poſt diligentiſſimum integro biennio continuatum damnandarum aſſertionum examen, ſexto idus Septembris 1713. centum & unam ſententias, ex dicto libro excerptas damnavit, edita Conſtitutione *Unigenitus Dei filius* &c. *Propoſitionum quibus dica fuerat ſcripta, certior ante ſententiam non eſt factus Paſchaſius, ut optabat, poſcebatque, ne conſtans mos Eccleſiæ mutaretur; quæ, ubi de vulgatis damnandis voluminibus, atque doctrinis agitur, in judicii partes auctores ipſos vocare minime conſuevit. Vocaſſet autem, ubi noxa fuiſſet irroganda perſonæ.* Vita Clemen. XI. l.4. n.36.

XXV. Miſſam a Pontifice in Gallias Conſtitutionem, Ludovicus Rex Pariſiis promulga-

 ri

ri imperavit, nulliſque non obſequii ac reverentiæ argumentis Rex idem, Galliarum Clerus & populi ſunt complexi. Ipſe Cardinalis de Noailles, ubi editæ in Urbe Sanctionis factus eſt certior, debito eidem proludens obſequio, teſtimonium, quo pridem damnatum Opus probaverat, revocavit, ejuſque lectionem vetuit: in ſuo de 28. Septembris 1713. Decreto aſſerens, non potuiſſe ſe diutius ferre, nomen ſuum in fronte damnati operis apparere; probationemque ſuam operi prohibito adimi juſſit.

Ibid. nu. 37.

XXVI. In Comitiis deinde Archiepiſcoporum, ac Epiſcoporum Galliæ, pro ſolemni ejuſdem Conſtitutionis acceptatione congregatis, ac finitis Januario exeunte menſe 1714., quadraginta Archiepiſcopi & Epiſcopi; quos inter Cardinalis de Rohan; Conſtitutionem ſolemniter acceptarunt, paucis tergiverſantibus; quibus poſtea ſeptem alii acceſſerunt, adeo ut univerſi vix decimum ſextum numerum impleverint: acceptantibus reliqui; ut ita hi centeſimum numerum exceſſerint. Illud porro obſervandum, ex tergiverſantibus Maclovienſem *in Decreto ſuo 1. Martii 1714. edito* aſſerere, Librum iſtum favere opinionibus, deciſionibus Eccleſiæ repugnantibus: Virdunenſem *in ordinatione 10. Martii 1714. edita*, expreſsè dicere, ſe in eodem libro reperiſſe complures propoſitiones tendentes ad fideles in errorem inducendos, præſertim circa *quinque propoſitiones libri Janſenii*. Similia agnoverunt alii Catalaunenſis, Laudunenſis, Altiſſiodorenſis, Bajonenſis, Bononienſis in ſuis inſtrumentis diſceſſionis, a reliquis Epiſcopis Pariſiis, ut dictum fuit, congregatis; in quibus profitentur ſe eſſe

Ibid. nu. 37. & 38.

re-

remotiſſimos a ſuſcipiendo libri obſervationum vel Auctoris patrocinio: agnoſcere ſe librum illum fidelium manibus eſſe eripiendum: ſibi fixum eſſe illum damnare, atque in ſuis Diœceſibus illius lectionem interdicere. Obſtituros ſe ſemper *Janſeniſmi* progreſſibus eo zelo, eaque animi firmitate, quam ſua dignitas exigit: nihilque ſe omiſſuros quo tueantur & executioni mandari jubeant in omni ſuo robore Conſtitutiones Innocentii X. Alexandri VII. Clementis XI. (*Vineam Domini Sabaoth*) contra hæreſim Janſenii editas &c. Ut proinde pro orthodoxia Queſnelliani operis, ne ex his quidem cunctantibus Epiſcopis quidquam habeatur. Cumque ab aliis omnibus totius Univerſi Epiſcopis abſque ulla hæſitatione rejectum fuerit: manifeſtum fit ab univerſo Chriſtiano Orbe proſcriptum fuiſſe. At *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* Die 11. Jul. 1705 De Reg. jur. in 6.

XXVII. Quid hîc aget Sorbona? Adhærebit ſuo Archiepiſcopo? Sic quidam ſumma confidentia dictitabant. Contra tamen res accidit. Sedatis quippe turbis, quas Janſenii & Queſnelli doctrinæ ſtudioſi exciverant, conlatiſque ſuffragiis, major, ſaniorque Academiæ pars, qua decuit in Apoſtolicam Sedem veneratione, & obedientia ſuſcepit: in regeſta cum regia Epiſtola retulit; mandavitque univerſis, ut debito illam proſequentes obſequio, nemo ſcriptis, aut voce auderet impetere: qui ſecus ageret, omnibus Academiæ honoribus extemplo exutus haberetur. Paucorum tamen Epiſcoporum pravum exemplum, Queſnellianis audaciam addidit. Initio Clementis Conſtitutionem obſcuram, ancipitem, fallacem notare, poſtea flocci pendere, ad Vit. Clem. XI. lib. 4. n. 39.

extremum etiam temere deſpicari. Sanam eſſe Queſnelli mentem: doctrinis probis Apoſtolicam Sanctionem notas inurere: bona malis aggerere; altera ab alteris perſpicua explicatione ſecernenda.

XXVIII. Longius indies progreſſa licentia, corruptas Queſnellianorum mentes & voluntates clarius detexit. Quum autem ipſi non clam, ſed palam ineluctabili Pontificis auctoritati audacter obſiſterent, vanis hæreticorum proficiens auſis Eccleſia Chriſti, tot libros, qua divinorum voluminum teſtimonio, & SS. Patrum aſſertis, qua Eccleſiaſticæ diſciplinæ monumentis, & argumentorum pondere refertos atque vallatos pro Conſtitutione *Unigenitus* intra paucorum annorum ſpatium adſpexit, ut non parum illi ad eruditionem, atque doctrinam (quod bonum Eccleſiæ ex hæreſibus accedere notavit Auguſtinus) aliena malitia profuiſſe videatur. Conduxit etiam ad decorem. Enimvero, dum pauci in Galliis Pontifici injurii, edito ipſius decreto refragantur, in Hiſpaniis contra, Luſitania, Belgio, Germania, Italia, toto denique terrarum Orbe Epiſcopi, illuſtriores Academiæ, doctiſſimorum Virorum conſeſſus tanta veneratione receperunt, ut nihil ſupra in tota retro antiquitate reperire ſit.

Ibid.

De dono Perſ. cap. 20.

XXIX. De ineunda ratione reſtituendi Gallicanæ Eccleſiæ priſtinam tranquillitatem agitata conſilia, intempeſtiva Regis Ludovici *XIV*. mors turbavit. Calendis Septembribus 1715. vita deceſſit. Ingens quidem jactura, quam Ludovici morte in Galliarum præſertim Regno catholica fides ſubiit, vix dum extincti Regis humato corpore patuit. Longum foret omnia quæ de-

V. Clem. l. 4. n. 60.

deinceps ſecuta ſunt ſcandala recenſere ; nec propoſito noſtro id congruit, qui hiſtoriam Conſtitutionis *Unigenitus* ſcribere non intendimus. Sufficiet aliqua, ad rem noſtram facientia attigiſſe. Qui Queſnellianis adhærebant partibus, caput erigere, omnia ſus deque vertere : tum etiam ad augenda diſſidia, gregales quærere. Neque deerant factioſis hominibus inſtructæ ad ſeditionem, & turbas artes. Clementina in Queſnellum Conſtitutione nonnulla catholicæ, atque divinæ veritatis aſſerta notari criminabantur. Oportere declarationes ſaltem edere, quibus dilucida ſententia fieret, atque in tuto poneretur veritas. Ambiguo, obſcuro, fallaci ; ajebant refractarii; Pontificis diplomate in apertum adducta diſcrimen, nutare certiſſima Religionis dogmata. Oppugnatas denique corruere Theologicarum Scholarum Principum illuſtres ſententias, quas Doctoribus, & antiquitate venerandas, Eccleſia utiliſſimas ad hæreticorum convellendos errores eſt experta, nec umquam ſanæ Fidei noxias. Similia novis tibiis *Theol. Suppl.* decantat. Paulo clarius rem repetamus ex Vitæ Clementis XI. n.37. nuſquam nimis repetendo.

Ibid. nū. 61.

Lib.4. n. 37.

XXX. „ E tot confixis Queſnelli pronun-
„ tiatis, nonnulla, quæ ad divinam gratiam per-
„ tinent, notiſſimo Janſenii ſenſu proſcripſit, qui
„ Dei gratiam *neceſſitantem*, ut Theologi in Scho-
„ lis vocant, invexit. Integra ac prorſus illæſa
„ permanente doctrina de divina gratia *ſe ipſa*
„ *efficaci*, & ad Beatorum gloriam *Prædeſtinatio-*
„ *ne gratuita*, quam a damnatis nuper erroribus
„ *immani tutam diſcrimine*, potiſſimum Schola
„ Thomiſtica, aliæque celeberrimæ in Orbe

 „ ca-

„ catholico Academiæ, frequenteſque Theologi, Ducibus SS. Auguſtino & Angelico Doctore, propugnant. Quorum doctrinæ erroris notam hujuſmodi ab ſe inuſtam Conſtitutione Queſnellianæ ſtudentes cauſſæ *per ſummam injuriam calumniatos eſſe*, Clemens celeberrimis litteris, ordientibus, *Paſtoralis Officii*, quas ad univerſos Chriſtifideles Calendis Septembris duodevigeſimo hujus Sæculi Anno ſcripſit, merito queſtus eſt; falſamque criminationem depulit. „

XXXI. Noviſſime ad futurum Concilium provocatum eſt: quod factum, adverſus Dogmaticam Summi Pontificis Sanctionem, in tota retro acta antiquitate Eccleſiæ recto atque probato carebat exemplo (alia ego non ſcio præterquam Juliani Eclanenſis & XVII. cum ipſo Epiſcoporum Pelagianorum: Michaëlis de Ceſena, hominis aperte Schiſmatici: & Martini Lutheri a Bulla Leonis X. *Nec alia Refragantes ipſi, quam Hæ-*
Vita.Clé. *reticorum, coram Aurelio duce, & aliis probroſa*
l.5.n.24. *laudabant facta, quibus contractam exinde invidiam turpiore probro, nedum incaſſum, amoliri nitebantur*. Sed ad Paſchaſium Queſnellum revertamur.

XXXII. Igitur Queſnellus paulo ante mortem coram duobus Notariis, fidei ſuæ profeſſionem, poſtea publici juris factam, edidit: in qua quid de Doctrina, per Conſtitutionem Summi Pontificis ab univerſa Eccleſia acceptatam, damnata ſentiret, etiam tum morti proximus, aperuit his verbis: *Declaro me perſiſtere in ea opinione, quod NIHIL vel in meo Obſervationum Moralium libro, vel in aliis ſcriptis meis docuerim, quod non MAXIME congruat fidei Eccleſiæ ... me renovare,*

quas feci querelas & proteſtationes, adverſus manifeſtam injuſtitiam illorum, qui me condemnarunt inauditum. Me perſiſtere in appellatione, qua ad futurum Concilium Generale provocavi &c. Hac profecto ſolemni proteſtatione, quid ipſe de Doctrinis jam olim ab Eccleſia Romano-Catholica damnatis ſenſerit, oſtendit. Oſtendit, inquam, ſe in ea ſemper fuiſſe ac mortuum eſſe opinione, quod varii articuli Baji, doctrina Janſenii, &c. quam cum Romano Pontifice in libro *Reflexionum Moralium* vident omnes per Orbem Epiſcopi Catholici, damnantque ut hæreticam; *MAXIME congruat doctrinæ Eccleſiæ*: id eſt, oſtendit ſe erraſſe, & in errore cum pertinacia immortuum eſſe: cum teſte S. Auguſtino in *Enchiridio cap. 16. Nihil ſit aliud errare quam verum putare quod falſum eſt; falſumque quod verum eſt: vel certum habere pro incerto; incertumve pro certo, ſive falſum ſit, ſive verum.*

XXXIII. Errare porro in fidei materia, cum pertinacia, hæreticum facit. Sic igitur ſe ipſe condemnat, & alios condemnantes abſolvit. Fruſtraque queſtus eſt, ſe inauditum; cum ab Archiep. Mechlinienſi, de perſona ejus ſententiam laturo, citatus ut coram ageret cauſam ſuam, & ipſe ſe, ſi quiret, defenderet, comparere contempſerit; Romæ autem, ubi de ejus libro agebatur, non Queſnellus, ſed liber comparere debuerit: uti comparuit, Rei, accuſatoris, ac teſtis munere functus: fueritque ejus accuſatio, depoſitio, confeſſio innumeris Queſnelli ipſius ſcriptis, præſertim vero ſolemni, quam diximus, morientis proteſtatione confirmata ac ſigillata. Enimvero, perſiſtere ſe proteſtatus eſt in ea opinione, quod

Vide hîc num. 22. & 24.

quod *NIHIL*, vel in ſuo *Obſervationum* libro, vel in aliis ſcriptis ſuis docuerit, quod non maxime congruat fidei Eccleſiæ: atqui de *obſervationum* libro contrarium judicat Eccleſia Univerſa: & de ſcriptis apud eum, dum caperetur Bruxellis, repertis, juridice conſtat Baji, & Janſenii doctrinam continuiſſe: notumque eſt Orbi Univerſo adhæſionem ad Baji & Janſenii doctrinam, voluntarii apud Batavos exilii occaſionem fuiſſe! Quis ergo dubitet quin eamdem doctrinam *MAXIME* fidei congruere exiſtimaverit; ac veluti talem mordicus ubique defenderit? Matino Luthero omnino ſimilis eſt, qui apud Joannẽ Fiſcherum Epiſcopum Roffenſem, *in Confutatione Aſſertionis Lutheranæ*, ita loquitur: *Hodie proteſtor me non eſſe mihi conſcium aliquid dixiſſe, quod ſit contra Sacram Scripturam, Eccleſiaſticos Patres, aut Decretales Pontificum, aut rectam rationem.* Porro Queſnellus paulo poſt illam proteſtationem, Amſtelodami in Hollandia, quo ſe receperat, mortuus eſt: pertinaci ſua contra Eccleſiam rebellione ſequens meritus

Procem. §.3.

2. Deceb. 1719.

EPITAPHIUM.

Hic jacet

PASCHASIUS QUENELLIUS

Anagramma

QUI HELENAS, LUPUS, SISCA.

id eſt

Helleniſta Schiſmaticus, Lupus Hæreticus,

Eccleſiæ Lues,

Patriæ ſuæ Incentor,

Velut alter *SISCA* Bohemicus.

CAP.

CAP. III.

De gratia Adami ante peccatum.

§. I.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Gratia Adami eſt ſequela creationis; & erat debita naturæ ſanæ & integræ.
Eſt 35. Queſnel.2 .Cor. 5. v.21.

I. NOmine *gratiæ* hic intelligendæ veniunt prærogativæ illæ omnes ac præeminentiæ, quibus a Deo Adamum fuiſſe dotatum ex Scripturis Theologi colligunt. In feliciſſimo illo ſtatu, nulla erat in Adamo ignorantia veri, difficultas nulla recti. Ornatus univerſaliſſima ſcientia; quam Auguſtinus alibi colligit ex nomine ab Adamo ſingulis animantium ſpeciebus impoſito; voluntatem habebat Deo perfecte ſubjectam; vires inferiores concupiſcentiæ rationi. Poterat non peccare, poterat non mori, poterat bonum non deſerere. Non peccando, & bonum non deſerendo, perveniſſet ad illum feliciſſimum beatitatis ſtatum, in quo peccare aut mori jam non potuiſſet, aut bonum adeptum deſerere. *Tales vires,* inquit Auguſtinus, *habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſe ipſo concupiſcentialiter reſiſtebat; ut dignè tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati, perſeverandi committeretur arbitrium.* Hæc omnia hic veniunt nomi- De cor. & grat. c. 12. n. 37.

ne

ne *gratiæ*. Sed per Queſnellum propriè ac verè gratiæ non ſunt, quia *debita naturæ ſanæ & integræ*: imò *ſequelæ creationis*: magno Auguſtino teſte: *Non enim Dei gratia gratia erit ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo*. Et iterum: *Quomodo eſt ergo gratia, ſi non gratis datur? Quomodo eſt gratia ſi ex debito redditur?* Denique *Gratia .... niſi gratuita, non eſt gratia*.

De pecc. Orig. ca. 24. n. 28. De grat. Chr. cap. 23. Cap. 31.

II. *Queſnellus* quantum hic ad Bajum accedit; tantum ab Auguſtino, Thoma, verbo SS. Patribus, & communi Theologorum, imo Eccleſiæ ſententia recedit. Ab Auguſtino quidem: nam hic *de Geneſ. ad litt. Adam*, ait, *mortalis erat conditione corporis, immortalis BENEFICIO Conditoris*. Item, *De cor. & grat. Quid ergo? Adam non habuit gratiam? imo vero habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ BONITATE ſui conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparaverat in quibus prorſus nullum patiebatur malum*. Ubi dum excludit meritum ut ſtabiliat gratiam, omne debitum excludit, juxta ſuperius allatam ejuſdem S. Patris ſententiam: *Non enim Dei Gratia Gratia erit ULLO MODO, niſi gratuita fuerit OMNI modo*. Quid, quod de Angelis loquens, de nobiliſſimis illis ſpiritibus dicat: Deus ſimul erat *eis & condens naturam & LARGIENS gratiam*: ſubjungitque: *confitendum eſt igitur cum debita laude CREATORIS, non ad ſolos Sanctos homines pertinere, verū etiam de Sanctis Angelis poſſe dici, quod caritas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis*: quibus verbis dona Angelis in creatione collata, ut poſſent ad finem ſuum, id eſt beatitudinem pervenire, veram gratiam, ex largitate ſeu libera-

Lib. 6. c. 16. Cap. 11. Lib. 12. de Civit. Dei c. 9.

beralitate Conditoris promanantem, adeoque indebitam prædicat: & credemus dona homini, eundem ob finem collata, fuiſſe naturæ ejus debita? Abſit. Utriſque quod datum eſt, ex *largitate*, ex *liberalitate*, ex *bonitate*, ex *beneficio* Conditoris datum eſt: id eſt, utriſque gratia propriè dicta collata eſt. *Deus erat eis & condens naturam* (utique & quæ naturam ſequuntur: nam *qui dat eſſe dat conſequentia ad eſſe*) *& largiens gratiam*. Aliquid ergo in eis fuit ultra naturam; quod ſpecialiter *largitati* divinæ adſcribitur.

III. De S.Thoma id non minus conſtat. Gratiam Adamo in ſtatu innocentiæ collatam fuiſſe probat; eandemque fuiſſe mentem SS. Patribus ac Theologis, quamvis hi nonnihil circa tempus quo collata fuit differrent, affirmat: „ Dicendum, *inquit*, quod quidam dicunt, quod primus homo non fuit creatus in gratia, ſed tantum poſtmodum gratia fuit ſibi collata antequam peccaſſet. *Plurimæ autem Sanctorum auctoritates atteſtantur hominem, in ſtatu innocentiæ gratiam habuiſſe*. Sed quod fuerit conditus in gratia, ut alii dicunt, videtur requirere ipſa rectitudo primi ſtatûs, in qua Deus hominem fecit, ſecundum illud Eccle. 7. *Deus fecit hominem rectum*. Erat enim rectitudo ſecundum hoc, quod ratio ſubdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, & animæ corpus. Prima autem ſubjectio erat cauſa & ſecundæ & tertiæ. Quamdiu enim ratio manebat Deo ſubjecta, inferiora ei ſubdebantur; ut Auguſtinus dicit. Manifeſtum eſt autem quod illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis: alio-

I.p.q.95. art.1.

„ quin

„ quin poſt peccatum manſiſſet; cum etiam in „ Dæmonibus data naturalia poſt peccatum per„ manſerint, ut Dionyſ. dicit 4. *de divin. nomin.* „ Unde manifeſtum eſt quod & illa prima ſubje„ ctio, qua ratio Deo ſubdebatur, non erat ſolum „ ſecundum naturam, ſed ſecundum *SUPERNA*„ *TURALE DONUM gratiæ*: non enim poteſt „ eſſe quod effectus ſit potior quam cauſa. Unde „ Auguſtinus dicit *lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 13. „ *Quod poſteaquam præcepti facta tranſgreſſio eſt*, „ *confeſtim gratia deſerente divina, de corporum* „ *ſuorum nuditate confuſi ſunt. Senſerunt enim* „ *motum inobedientis carnis ſuæ, tamquam recipro*„ *cam pœnam inobedientiæ ſuæ.* Ex quo datur in„ telligi, ſi deſerente gratia, ſoluta eſt obedien„ tia carnis ad animam, quod per gratiam in ani„ ma exiſtentem inferiora ei ſubdebantur. „ Nihil luculentius in rem noſtram proferri poterat. Nempe ex his conſtat ita commune fuiſſe inter Theologos S. Thomæ coævos, Adamum ante peccatum gratiam ſupernaturalem habuiſſe, ut de eo ne quæſtionem quidem inſtituendam, ſed eo velut certiſſimo ſuppoſito, inquirendum duxerit Angelicus, fueritne in ea creatus, id eſt, an eam in primo creationis inſtanti acceperit, an vero poſtea; ante peccatum tamen. In qua ultima ſententia Auguſtinus aliquando fuiſſe videtur *De Geneſi contra Manichæos*, dicens: *Tunc ſpiritualis effectus eſt* (Adam) *cum in Paradiſo, hoc eſt in beata vita conſtitutus, præceptum perfectionis accepit, ut verbo Dei conſummaretur.* Igitur SS. Patres & Theologi S. Thomæ coævi, Adamum ante peccatum *gratiam ſupernaturalem* accepiſſe agnoſcebant, idem docent moderni catholici & Eccleſiæ morigeri Theologi.

Li. 2. cap. 8. n. 10.

IV. Hoc

IV. Hoc ſolo titulo merebatur propoſitio Queſnelliana notam temeritatis: quia contra torrentem Patrum & Theologorum. Accedit tamen aliud longe gravius, quod ab Eccleſiæ lata ſententia contra Bajum; qui dum commune dogma reprobat, fecerat eminere quid Eccleſia ſentiat, quid habeat ſana doctrina; longius recedat. Nota eſt *Baji* 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*. Item 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* Quibus apprimè conſonat, quam expendimus Queſnelliana: niſi quod Queſnellus Bajo nonnihil audacior; cum debuiſſet alienis fieri periculis cautior; quod ille dixerat non eſſe *indebitum*, non eſt veritus *debitum*, quod pluſculum ſonat, affirmare.

V. Quid impulerit Queſnellum in hanc foveam, non difficulter ex articulo 24. Lovanienſi, & ſententia contra eundem, hìc relatis colligitur. Cap. 1. §. 2. Nimirum credidit pleroſque Baji articulos continere germanam S. Auguſtini doctrinam; nec damnatos abſolutè uti falſos, ſed velut ſcandaloſos ſolummodo *illo tempore*; quos proinde modo reſuſcitare vetaret nihil: quo nihil pejus ceſſiſſe Janſenio, notavit Ex. Martinus Steyart D. Lovan. Tó. 1. opuſc. pag. 184. Utrumque autem fefellit futilis illa quorumdam vitilitigatio circa famoſum *Comma* Conſtitutionis S. Pii V. Futilis, dico: ecquid enim futilius quam velle diſputare unicum *comma* ex inadvertentia fortè omiſſum, dum totius contextus Conſtitutionis interpunctionem neceſſario exigit? Atque ita ſe res habet. Nam ſi illa verba Bullæ iſtius: *Quas quidem ſententias ſtricto*

coram

coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas....... damnamus, circumſcribimus &c. Si, inquam, verba illa ſine interpunctione ſeu virgula, poſt *ſuſtineri poſſent*, legenda forent, ſibi ipſi contradixiſſet Sapientiſſimus Pontifex. Hoc enim poſito, nonnullæ Baji propoſitiones, jam non *aliquo pacto*, ſed *ſimpliciter*, & *abſolute* ſuſtineri poſſent: ſiquidem fieret ſenſus, illas in rigore & ſenſu proprio ab aſſertoribus intento, ſuſtineri poſſe, quod ſane idem eſt, ac poſſe abſolute & ſimpliciter ſuſtineri. Propoſitio enim, quæ ex vi ſua, & in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, propugnari poteſt, *abſolute & ſimpliciter* defendi poteſt. Abſurdiſſime etiam fingitur, Pontificem damnare ſententias, quas ipſe met in rigore & proprio ſenſu poſſe ſuſtineri judicat. Tandem non omnium retractationem articulorum a Bajo Pontificio nomine poſtulaſſet ac impetraſſet Toletus, ſi aliquæ in rigore & proprio ſenſu ab Auctore intento ſuſtineri potuiſſent. Legenda igitur verba Conſtit. Pii V. cum commate, prout eam ſuperius exhibuimus: ut ſenſus ſit: *Quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent*, ideſt, *in ſanum ſenſum utcumque flecti*; tamen *in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento eos damnamus, circumſcribimus & abolemus*. De hoc ſenſu dubitare haud poterat Queſnellus; utut fuerint olim circa hoc eruditorum diviſa judicia; poſtquam in Originali Gregorii XIII. diplomate, & Urbani VIII. Conſtitutione *In eminenti &c.* cum virgula leguntur. Hæc ex Natal. Alexandri

Hiſt.

Hiſt. Eccleſ. tomo ultimo, ubi de Bajo, excerpſi: quo conſtet illum tacite retractaſſe, quæ *tomo* 3.*Sæc.*XI. *Diſſert.*XVI. §.XXI.*ad* 5. *probationem* ſcripſerat:uti bene notavit Conſtantinus Roncaglia in noviſſima illius Hiſtoriæ editione *Lucana*, loco primo citato pag. 174.

VI. Petit *Theologia Supplex* declarari,fueritne illa quorumdam Theologorum ſententia in Queſnello damnata, aſſerentium gratiam ſupernaturalem debitam fuiſſe Adamo ante peccatum, *de congruo*, ut Theologi loquuntur, in Dei bonitate fundato; quia ſcilicet *ſuavi Dei providentiæ maxime congruere arbitrantur, ut hominem a ſe conditum, ad ordinem ſupernaturalem eveheret,ſuaque gratia*, ſupernaturali videlicet, *cumularet?* Reſp. Quod ſicut illa ſententia non fuit damnata in Bajo, ita nec ſit in Queſnello: quodque Theologi illi, ut ſe huc uſque abunde ſecreverunt a Bajo, ita longe facilius ſe diſcernent a Queſnello, qui, uti notavi, Bajum audacia ſuperavit; dicens *debitum*, quod ille ſolum *non indebitum* aſſeruerat; vocans *ſequelam creationis*, quod ille *naturalem* dixerat *conditionem*. Itaque uterque damnatus eſt, quod gratiam veram & *ſupernaturalem* a ſtatu innocentiæ eliminarit; omniaque dona Adamo collata, naturalia fuiſſe contenderit: a quo dogmate quam longiſſime Theologi illi abſunt. Nec quemquam moveat quod Bajus & Queſnellus utantur nomine *gratiæ*: ſiquidem eo nomine etiam Pelagius, quamquam omnem veram *Supernaturalem* gratiam, ſaltem initio ſuæ hæreſis, ſuſtulerit, abuſus ſit; nomine *gratiæ* intelligens nonniſi naturalia dona. Idem eſt de illis poſterioribus. Dum enim aſſerunt, fuiſſe Pag.158.

quidquid Adamo collatum eſt, aut conditiones naturales, aut ſequelas creationis; eo ipſo prætendunt non fuiſſe niſi meras naturales qualitates: quippe naturalis conditio aut ſequela, nequit eſſe altioris ordinis ac ipſa ſit natura, quam ſequitur, cujuſque eſt naturalis conditio: uti ex terminis patet.

VII. Porro cum Queſnellus nullam neget iſtarum prærogativarum, quæ communiter Adamo in ſtatu innocentiæ attribuuntur, puta, quod potuerit non mori, non peccare, vitam beatam i.e. Dei viſionem mereri &c.: ſciſcitabitur fortè aliquis, tantumne interſit, dicamus illa naturalia aut ſupernaturalia fuiſſe, ut qui dicat naturalia, proſcribi mereatur? Reſp. tantum ſcilicet intereſſe. Qui naturalia fuiſſe dicit, Deum redigit in ordinem naturalium, utpote, qui poſſit per vires naturales integras attingi, obtineri, poſſideri: ſicque derogat infinitæ perfectioni, & eminentiæ divinæ ſupra omnem creaturam creatam aut creabilem, quam infinitè ſemper excedere debet Deus. Derogat quoque bonitati ac liberalitati divinæ; quaſi Deus nihil creaturæ innocenti dederit, niſi quod negare non poterat: neque elevaverit ad finem, omnem naturalem creaturæ rationalis capacitatem excedentem; cum ſcriptum
1. Cor. 2. 9. ſit: ***Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum***. Unde ſequitur Queſnellum purioris Dei ideæ defectu peccaſſe: ſicque verum eſſe oſtendit, quod graviter monuit noſter Norbertus Van Bilſen in Univ. Lovan. S. T. Doctor & Germ. inferioris iterata vice Provincialis, in Theſibus Theologicis *De Deo & attributis*, videlicet:

Vix

Vix Sectam ſeu veterem ſeu novam Eccleſiæ infeſtam videas, quæ ſerius aut citius in male efformatæ Dei ideæ ſcopulum alicubi non impingat, quæque hac una emendata non in rebus graviſſimis manifeſte convincatur. Denique ea Queſnelli propoſitio ſenſim vel in Pelagianiſmum, vel Lutheraniſmum præcipitat. Si enim dona quibus Adam ad vitam beatam poterat pervenire, nonniſi erant naturalia; dicam, cum ergo naturalia manſerint integra poſt peccatum; uti ex S. T. diximus, etiam in Dæmonibus; potero & ego viribus naturæ illuc pertingere. En Pelagianiſmum. Vel dicam econtra: cum facultas merendi per peccatum totaliter perierit, ſi hæc erat potentia naturalis liberi arbitrii, periit ergo peccato liberum hominis arbitrium, periit libertas. En Lutheraniſmum. Merito ergo hæc Queſnelliana, juxta regulam 2. ſuperius aſſignatam, proſcripta eſt. V. Reſl. in fin. capitis. Cap. 2. §. 1. n. VI.

VIII. Pro confirmatione eorum quæ hactenus dicta ſunt, facit ſequens S. Thomæ Doctrina. *Dicendum quod gratia ſecundum quod gratis datur, excludit rationem debiti. Poteſt autem intelligi duplex debitum. Unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad perſonam, cujus eſt agere meritoria opera, ſecundum illud ad Rom.* 4. Ei qui operatur, merces imputatur ſecundum debitum, non ſecundum gratiam. *Aliud eſt debitum ſecundum conditionem naturæ: puta ſi dicamus debitum eſſe homini quod habeat rationem & alia quæ pertinent ad humanam naturam.... Dona igitur naturalia carent primo debito; non autem carent ſecundo debito: ſed ſupernaturalia utroque debito carent: & ideo ſpecialius ſibi nomen gratiæ vendicant.* Manifeſtum autem eſt, quod gratia quam ſtatuit 1. 2. q. 111 a. 1. ad 2.

hæc propoſitio in Adamo, non careat ſecundo debito; cum expreſſe dicat debitam fuiſſe Adamo, ejuſque creationis ſequelam. Non erat ergo gratia *ſupernaturalis*.

IX. Solet objici Auguſtinus lib. *de Quæſt. vet. & novi teſtam. q.* 123. dicens: *Quid tam apertum, quam quod Adam non habuit Spiritum Sanctum?* Ergo non habuit gratiam ſupernaturalē; ſed gratia quæ in eo fuit, erat ſequela creationis, conditio naturalis naturæ innocentis, non donum gratuitum. Reſp. cum noſtro Eminen. Card. Gotti: Librum illum non ſolum non eſſe Auguſtini, cum diverſo ſtilo contineat doctrinam Auguſtinianæ oppoſitam: ſed nec eſſe alicujus auctoris catholici, cum plura in hoc libro habeantur, quæ hæretica ſunt, aut erronea: ut *Quæſt.* 2. Quod Deus invidia Diaboli mundum condiderit: *Quæſt.* 21. & 45. Mulierem non eſſe creatam ad imaginem Dei; quod etiam eſt contra Auguſtinum *lib.* 3. *de Geneſ. ad litt. c.* 22. – *Quæſt.* 79. 80. & 83. Pelagianam hæreſim ſapere videtur; & alia quæ eruditiſſimi Patres Maurini in admonitione dicto libro præfixa obſervant. Qui propterea conjectant, librum illum potius eſſe fœtum Hilarii Sardi, Diaconi, ſectâ Luciferiani, cui tribuuntur quoque *Commentaria in epiſt. Pauli*, olim ſub nomine S. Ambroſii evulgata.

Tom. 6. Theolog. Quæſt. 3. dub. 3. §. 3.

X. Rurſus objiciunt Auguſtinum de Adamo dicentem: *Namque ut reciperet bonum*, id eſt beatitudinem, *gratiâ non egebat*. Reſp. Quidquid ſit an per *bonum* intelligat S. Auguſtinus *beatitudinem*, manifeſtè eo loci Auguſtinus adſtruit neceſſitatem gratiæ, antonomaſticè ac catholicè ſumptæ, etiam in Adamo: & quidem dupli-

De corr. & grat. cap. 11. prope finem.

plicis; unius quâ poſſet, alterius quâ vellet. Primâ tamen, inquit Auguſtinus, *non indigebat*: non quod ea opus non haberet, ſed quia habebat, ſive, ut verbis ejus utar, *quia nondum perdiderat*: *ut autem in eo* (quod habebat) *permaneret, egebat adjutorio gratiæ*; ecce ſecundum gratiæ genus: quod quia non receperat, licet opus haberet, eo, inquit Auguſtinus, *egebat*: illius enim propriè *egere* dicimur, cujus inopiâ laboramus. Secundo igitur gratiæ genere indigebat Adam, non primo: quia hoc non illud habebat, utrumque tamen erat ei neceſſarium. Hoc ex verbis S. Patris, ſi integre legantur, manifeſtum fiet. Ait enim: *Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum, gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet: & acceperat poſſe ſi vellet; ſed non habuit velle quod poſſet: nam ſi habuiſſet, perſeveraſſet.* Loco cit.

§. II.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Gratia Adami non producebat, niſi merita humana. Eſt 34. Queſnell.
2. Cor. 5. v. 21.

XI. Huic propoſitioni ſequentem annectit obſervationem auctor *Theol. Suppl.* „ Phraſis eſt Pag. 163.

 „ Au-

„ Auguſtini *lib. de prædeſt. SS. cap. 15.* „ *Humana hîc merita conticeſcant, quæ periêre in Adam.*
„ Erant igitur ex Auguſtino in Adamo innocente *humana merita*, quæ poſtea illo peccante periêre, ut talia jam non reperiantur in nobis.
„ Quæ tamen Adami merita, non idcirco humana a S. Doctore dicta ſunt, quod humanæ dumtaxat naturæ viribus parta eſſent, abſque ullius gratiæ ſupernaturalis adjutorio; (Adamus enim innocens, non niſi cum gratia & per gratiam meruit, ſi quid meruit; qualiſcumque illa fuiſſe dicatur, juxta varias Theologorum opiniones) ſed quod liberum hominis arbitrium, utpote ſuapte natura fortius ac robuſtius majores tunc ad meritum partes haberet, quam habeat nunc læſum & vulneratum in nobis. Quid itaque in ea phraſi Auguſtiniana Clementi diſplicuerit, reſcire optant quotquot de S. Doctoris honore ſolliciti ſunt, ut rectam illius intelligentiam accipiant. „ Ita ille: non reflectens ad ſenſum, ſed ſonum verborum, qui, fateor, occurrit in Auguſtino, loco ab ipſo citato: aſt ſenſus Queſnellianus minime. Queſnellus in Adamo nonniſi humana merita fuiſſe aſſerit, quod humanæ dumtaxat naturæ viribus parta eſſent, abſque ullius gratiæ *ſupernaturalis* adjutorio. Quippe ſupernaturale adjutorium in Adamo fuiſſe negat: ſolam admittens gratiam, qualem nec Pelagius negavit, quæ ſequela creationis, & debita naturæ fuerit; quo ſenſu intellectus, voluntas, libertas, memoria ac cæteræ animæ humanæ vires, dici queunt gratia; quatenus gratis, nullis meritis præcedentibus dantur: quod non ſufficit ad rationem gratiæ *ſupernaturalis*,

prout

prout ex S. Thoma ſub finem §. præced. vidimus. Verbo, non admiſit Queſnellus in Adamo niſi gratiam Pelagianam, id eſt naturalem; quod ex dictis ad propoſitionem præcedentem ſatis puto conſtare. Auguſtinus autem ab hoc ſenſu quam longiſſime recedit, ut etiam fatetur Auctor *Theol. Suppl.* in verbis ſupra adductis: &, ſi negaretur, probari inſuper poſſet tam ex dictis §. 1. quam ex *Lib.* 3. *contra Maximinum*, ubi ait, hominem ideo fieri gratiâ filium Dei, quia non eſt naturâ. Iterum *cap.* 106. *Enchir. Sine gratia nec tunc* (in ſtatu innocentiæ) *ullum meritum eſſe potuiſſet. Quia etſi peccatum in ſolo libero erat arbitrio, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.* Ubi clariſſime diſtinguit a natura, ejuſque facultatibus nedum gratiam qua homo fit filius Dei, ſed illam etiam a libero arbitrio diſcernit, qua indigebat Adam ad juſtitiam retinendam. Addamus & tertium locum *De nat. & grat. c.*48. ubi relatis Pelagii verbis: *Quod non peccare noſtrum ſit, poſſe vero non peccare; non noſtrum*; addit: *Si de integra & ſana hominis natura loqueretur .... nec ſic recte diceret quod non peccare noſtrum tantummodo ſit* (uti dicit Queſnellus) *quamvis peccare noſtrum eſſet. Nam & ibi eſſet adjutorium Dei, & tanquam lumen ſanis oculis, quo adjuti videant, ſe præberet volentibus.* Accedat etiam S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 2. c. dicens: *Nulla natura creata eſt ſufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ* (uti erant actus virtutum Adami) *niſi ſuperaddatur aliquod SUPERNATURALE donum, quod GRATIA dicitur.*

XII. His tutiſſimis relictis ducibus, Bajum ſequi maluit Queſnellus; cui etiam *abſurda eſt eorum ſententia* viſa, *qui dicunt hominem ab initio dono quodam ſupernaturali & gratuito ſuper conditionem naturæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe & charitate Deum ſupernaturaliter coleret*. Eſt 23. Bajana. Reſpondetur igitur Auctori *Theol. Suppl.* in ea phraſi Queſnelli, quæ Auguſtini non eſt, niſi admodum materialiter, diſplicuiſſe & diſplicere ſenſum Pelagianum & Bajanum, hîc & §. præced. explicatum. Senſum, inquam, quem ipſe Auctor *Theol. Suppl.* reprobat, verbis mox relatis: *Adamus enim innocens nonniſi cum gratia, & per gratiam* (utique ſupernaturalem, ut præmiſerat) *meruit, ſi quid meruit &c.*

XIII. Cur ergo, inquies, vocavit Auguſtinus merita Adami *humana*, non noſtra; ſi ad utraque exigat gratiam ſupernaturalem? Janſenius poſtquam dixiſſet, ad merita Adami & Angelorum concurriſſe gratiam habitualem, imo & actualem, illudque apertiſſime certiſſimeque Auguſtinum docuiſſe, putat ideo Adami merita vocata ab eodem S. Patre fuiſſe, *humana*; quod gratia illius ſtatus eſſet indifferens, verſatilis, & ſubjecta, quoad determinationem, libero arbitrio. Sed hoc principium funditus evertit noſter Sapientiſs. M. Serri, multis præclaris ſub ejus nomine editis libris Reipublicæ litterariæ notiſſimus, in *Auguſtino conciliato*. Alii aliis modis reſpondent. Perplacet duplex ſolutio quam opere cit. exhibet Serrius noſter; Ubi ſimul explicat aliam ejuſdem S. P. auctoritatem, dicentis, gloriam Angelorum & Adami eſſe & futuram fuiſſe *mercedem meriti*, quæ nobis *gratiæ donum* eſt. Dicit ergo

Lib. 2. de grat. Chr. cap. 15.

Cap. XI.

go primo ; „ Auguſtinum planam, abſolutamque
„ antitheſim iis in locis minime poſuiſſe : nec An-
„ gelorum hominumque innocentum gloriam,
„ *mercedem meriti* ſtricto ſenſu dixiſſe, ut gra-
„ tiam efficacem excluderet, cujus ope fuerint ea
„ merita comparata : nec innocentum hominum
„ merita ſtricto ſenſu *humana* vocitaſſe ; quaſi &
„ ipſa gratuita quoque non fuerint, hoc eſt, ex
„ gratia profecta. Sic enim omnia ſus deque miſ-
„ cuiſſet : quod de ſummo gratiæ doctore ſuſpi-
„ cari nefas eſt. Imo quemadmodum dum glo-
„ riam lapſis hominibus conferendam, gratiæ do-
„ num appellat, mercedem tamen meriti eſſe non
„ diffitetur ; alias fidei caput, quo gloriam etiam
„ nobis obventuram, coronam juſtitiæ credimus,
„ abnegaret : rurſuſque dum merita noſtra gra-
„ tuita, ſeu ex gratia profecta dicit eſſe, ea ta-
„ men humana, ſeu humanos actus eſſe non ne-
„ gat : alias horrendum induceret paradoxum :
„ ita dum Angelorum gloriam *mercedem meriti*
„ nuncupat, donum quoque gratiæ eſſe omnino
„ non negat : hominiſque innocentis merita, *hu-*
„ *mana* dum vocat, gratuita quoque dona eſſe,
„ non diffitetur omnino. Ad certum itaque mo-
„ dum anthiteſim ponit SS. Doctor, idque ſibi
„ vult unum : facta gemini ſtatus comparatione,
„ longe magis ad merendum, præmiumque re-
„ portandum valuiſſe ſanam integramque natu-
„ ram ; paucioribuſque titulis fuiſſe tunc effica-
„ cem gratiam neceſſariam : naturam e contrario
„ vitiatam atque corruptam pluribus titulis effi-
„ cacem gratiam poſtulare ; minuſque nunc ad
„ merendum, præmiumque reportandum, pro-
„ priarum habere virium. Quamquam utroque

„ in

„ in ſtatu & agat natura, & adjuvet gratia. Prio-
„ ri ergo in ſtatu abundat meritum, nec tamen
„ deficit gratia: in altero abundat gratia, nec ta-
„ men deficit meritum. En tibi a D. *Auguſtino*
„ poſitam antitheſim, ab eo quod utroque in
„ ſtatu majus eſt, non ab eo quod ſolum ſit, ex-
„ plicatam.
XIV. Ait deinde idem M. Serrius. „ Potuit
„ & alio titulo Auguſtinus hominis innocentis
„ merita, *humana* dicere, etſi propterea non ne-
„ gat eſſe gratuita, hoc eſt, ex gratia efficaci
„ profecta. Quod nimirum ab homine agente ut
„ homine fuerint comparata, longe aliter quam
„ nunc merita comparentur. Innocens quippe
„ homo, juſtitiaque originali inſtructus, opera
„ juſtitiæ dum edit, agit ſecundum naturæ ſuæ
„ ſtatum, agit inquam, ut homo, & quidem
„ qualis reipſa tunc eſt, ex ſua ipſius origine in-
„ nocens: eaque ratione meritum quod ſibi his
„ operibus comparat, *humanum* non incongruè
„ vocitatur, quamquam ſine gratia efficaci eſſe
„ non poſſit. Homo e contrario lapſus, juſtitia-
„ que originali exutus, ſi qua juſtitiæ edit ope-
„ ra, ſupra naturæ ſuæ conditionem operatur;
„ nec jam agit ut homo, qualis reipſa nunc eſt,
„ lapſus nimirum ac læſus: eaque de cauſa meri-
„ tum iis operibus partum non tam humanum
„ eſt, quam divinum; nec tam hominis dicitur
„ eſſe, quam gratiæ: etſi non poſſit utriuſque
„ non eſſe. „ Hæc ex præmemorato illo Aucto-
re deſcribere volui, tum quod nitidam & claram
contineant loci illius explicationem, tum ut con-
ſtet quanta vi ingenii polleat ad extricandos no-
dos quoſcumque, etſi intricatiſſimos. Quapropter
ſem-

ſemper optavi & opto vehementiſſime, ut idem Auctor, qui toties Auguſtinum a calumniis vindicavit, calamum ſuum elegantiſſimum exerat, ut eundem ab impacta per *Theologiam Supplicem* calumnia, quod ſub Queſnelli corio vapulaſſet in Conſt. *Unigenitus*; imo Apoſtolicam Sedem a damnati Auguſtini criminatione liberam oſtendat.

XV. Quid ſi diceremus Auguſtinum vocaſſe merita Adami, *humana*, quia *naturalibus ejus viribus* facta? Sed addendum neceſſario ex S. Thoma 3. *p. q.* 2. *art.* 12. *c. Naturale* dupliciter dici: accipe verba S. Doctoris: *Dicendum, quod ſecundum Philoſophum natura uno modo dicitur ipſa nativitas: alio modo eſſentia rei. Unde naturale poteſt aliquid dici dupliciter. Uno modo, quod eſt tantum ex principiis eſſentialibus rei; ſicut igni naturale eſt ſurſum ferri: alio modo dicitur eſſe homini naturale, quod ab IPSA NATIVITATE habet, ſecundum illud Epheſ.* 2. Eramus natura filii iræ. *Et Sap.* 12. Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia eorum. *Gratia igitur Chriſti ſive unionis, ſive habitualis, non poteſt dici naturalis, quaſi cauſata ex principiis humanæ naturæ in Chriſto: quamvis poſſit dici naturalis, quaſi proveniens in naturam humanam Chriſti, cauſante divina natura ipſius. Dicitur autem NATURALIS utraque gratia in Chriſto, in quantum eam a NATIVITATE habuit, quia ab initio conceptionis fuit natura humana divinæ perſonæ unita, & anima ejus fuit munere gratiæ repleta*: Hoc ergo ſenſu dico merita *Adami* ex viribus ejus *NATURALIBUS* effecta; quod ex viribus *gratiæ ſupernaturalis*, quæ ab initio creationis ei infuſa fuit. Unde cum illud optime dicatur

5. Metha. ph. textu 5.

catur *humanum*, quod ex viribus *naturalibus* hominis fit, quocumque ex capite dicantur *naturales*: merita Adami vocavit *humana* Auguſtinus, non item noſtra, ob oppoſitam rationem.

XVI. Hoc intendiſſe Auguſtinum eo loci, colligi poſſe videtur ex eo quod liber ille *de Prædeſt. SS.* ſit reſponſorius ad epiſtolas Proſperi & Hilarii. Porro in illis epiſtolis, cætera inter, refertur, placuiſſe Maſſilienſibus, quod dona collata Adamo, non ita per peccatum interierint, quin remanſerit adhuc aliqua eorum quaſi ſcintilla: vel quod pertineat ad conditionem uniuſcujuſque hominis habere virtutem, qua poſſit ſibi viam aperire ad juſtitiam: quorum alterum ſi verum foret, negari non poſſent merita humana, ſeu naturalia, ſenſu ſuperius explicato. Id videtur apertè
Num.4. dicere Proſper his verbis: *Ad conditionem hanc velint uniuſcujuſque hominis pertinere in qua eum nihil prius merentem . . . gratia creatoris inſtituat, ut . . . poſſit . . . ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, pervenire; per naturalem ſcilicet facultatem, petendo, quærendo, pulſando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene uſus, ad iſtam ſalvantem gratiam, INITIALIS gratiæ ope meruerit pervenire*. Refert quoque
Num.2. Hilarius eos dixiſſe: *Nullam ita depravatam vel extinctam* (naturam) *ut non debeat, vel poſſit ſe velle ſanari; propter quod vel ſanetur quis a ſua, vel ſi noluerit, cum ſua ægritudine puniatur*. Ad hæc
Cap. 15. de Præd. SS. reſpiciens Auguſtinus: *Humana hic merita*, inquit, *conticeſcant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Quaſi diceret: Nihil illius principii ex quo Adami merita prodibant, in nobis remanſit;

to-

totum periit per Adamum ; cujus merita dici poterant *humana*, quia ex viribus *naturalibus*, id eſt, ab origine inditis fluebant. Neque nobis etiam in animæ infuſione vel creatione aliquod merendi vel ſalutem inchoandi principium inſeritur, uti fuiſſet, Adamo non peccante, factum : quapropter merita *humana* conticeſcant, quæ perierunt per Adamum. At vero Queſnellus merita Adami vocavit *humana*, quaſi profecta ex viribus *naturalibus* primo modo ſumptis ; quæ videlicet eſſent *ſequelæ creationis*, & *debitæ* naturæ ſanæ & integræ. Hæc verba uſque adeo ſunt aperta & clara, ut eis quidquam addere, foret obſcura reddere. Hinc merito damnatus eſt, intacto prorſus Auguſtino. Si objicias, ſolutionem hanc non cohærere cum *num.* 3. §. 1. ubi dictum ; Quod Auguſtinus exiſtimaverit Adamum tum demum gratia fuiſſe donatum, quando in Paradiſo collocatus, non quando creatus fuit. In promptu reſponſio eſt ex *Lib.* 1. *Retract. cap.* 10. ubi agens de doctrina quondam tradita *De Geneſi contra Manichæos* ait : „ Nec „ illud Apoſtoli : *Factus eſt primus homo Adam* „ *in animam viventem*, ſicut ille voluit intelle- „ xi .... Apoſtolus enim ad hoc adhibuit illud „ teſtimonium, ut probaret eſſe corpus animale: „ ego autem *tunc putavi* monſtrandum, animalem „ factum prius hominem, non corpus hominis „ ſolum . „ Si rurſus dicas Auguſt. *de corrept. & grat. c.* 10. aſſerere, quod Deus ſic ordinavit Angelorum & hominum vitam, *ut prius in eis oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium &c.* Reſp. S. T. inde non inferri quod Adam non fuerit in gratia creatus; ſed quod non fuerit in ea confirmatus.

Lib.2.ca. 8.

1.p.q.95. a.1.ad.3.

§. III.

§. III.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Differentia eſſentialis inter gratiam Adami & ſtatus innocentiæ, & gratiam chriſtianam, eſt; quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet; iſta vero non recipitur niſi in perſona Chriſti reſuſcitati, cui uniti ſumus. Eſt 36. Queſnel. Rom. 7. v. 4.

XVII. Hæc propoſitio intelligi poſſet vel de gratia habituali, vel de actuali. Utrovis modo ſumatur, meritiſſimo jure damnata eſt. Primo ſenſu accepta, ſtatim ingerit menti dogma de juſtitia Chriſti nobis imputata. *Gratia chriſtiana*, inquit, *non recipitur NISI in perſona Chriſti*. Quid hoc aliud ſonat, quam nobis juſtitiam non inhærere, ſed Chriſto? Si tamen etiam noſtra ſit, erit profecto imputatione, non inhæſione: quod in Luthero damnavit Tridentinum. *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atq; illis INHÆREAT; aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit.*

Seſſ.6.cā. 11.

XVIII. *Theologia ſupplex* propoſitionem ita interpretatur pag. 159. „ Verum ea loquendi formula duplicem ſenſum ferre poteſt: Calvi-

„ nia-

„ nianum unum , quod nempe gratia ſancti-
„ ficans , ſeu juſtitia nobis nequaquam inhæ-
„ reat, ſed uni Chriſto Domino ; quæ nobis id-
„ circo dumtaxat imputetur & applicetur exter-
„ ne : Apoſtolicum alterum, quod gratia ſancti-
„ ficans, quantumvis nobis inhærens, non tamen
„ titulo noſtro, ratione noſtri recipiatur in nobis;
„ ſed Chriſti Domini Salvatoris merito , a quo
„ tamquam vite & capite in nos, velut in mem-
„ bra ejus & palmites, derivatur atque transfun-
„ ditur.Sic ſane non in perſona noſtrum omnium
„ propria, recepta dicitur gratia, ſed in Chriſti
„ perſona ; ad eum ferme modum, quo urbis
„ præfectus & rector claves urbis recipere dici-
„ tur,non in perſona propria,ſed Principis.„ Sed interpretatio hæc, ut ut ingenioſa, præterquam ſit omnino voluntaria (quo enim fundamento aſſeritur Queſnellum huc intendiſſe?) & aliis Queſnelli propoſitionibus, & verbis ipſiusmet propoſitionis repugnat : nec tam benignam interpretationem meritus eſt auctor : neque propoſitionem omnino innoxiam reddit. Probo ſingula.

XIX. Cum variis repugnet hæc interpretatio Queſnelli Theſibus, duas ſolum hic adferam. Prima eſt 37. *Gratia Adami ſanctificando illum in ſemet ipſo, erat illi proportionata &c.* Ex qua ſic argumentor. Si de mente Queſnelli foret, gratiam nobis intrinſece inhærere, negare non potuiſſet quod ea ſanctificaremur in nobiſmet ipſis, ſitque nobis proportionata: uti evidens eſt ex terminis : ſed hæc negantur a Queſnello, dicente, fuiſſe propria gratiæ Adami : repugnat ergo huic 37. propoſitioni adducta interpretatio. Altera ſit propoſitio 43. aſſerens primum effectum gratiæ baptiſ-

malis

malis eſſe *ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus , cor, ſenſus non habeant plus vita pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi*. Nunc ſic arguo: Si gratia nobis inhæreret juxta Queſnellum, deberet nobis effectum ſuum primum, ut minimum, impertiri : ſed hunc gratia. e.c. baptiſmalis, minime nobis communicat : quis enim mortalium, ita, ut ait Queſn., mortuus eſt peccato? ergo idem quod prius. Deinde eſt interpretatio illa contraria ipſiusmet propoſitionis verbis: *Gratia Chriſtiana*, inquit, *non recipitur NISI in Perſona Chriſti*. Niſi, inquit, niſi: quod excludit omne aliud ſubjectum a participatione attributi. Unde, etiamſi Queſnellus expreſſis verbis adduxiſſet interpretationem, quam ei Auctor ille commodat : propterea ejus aſſertio non eſſet recipienda ut catholica. Poſſet enim dicere, quod, quemadmodum, præfectus vel rector claves quidem Civitatis recipit, dominium autem & jus indicatum per claves, non eſt in præfecto, ſed Principe, cujus perſonam gerit præfectus, ita, licet fideles. v. g. recipiant Sacramenta, quæ ſunt ſigna gratiæ, gratia tamen non eis, ſed Chriſto inhæreat. Accedit quod differentiam aſſignatam, dicat eſſe *eſſentialem* : porro gratiam nobis impertiri meritis Chriſti, aut meritis Adami, aut quocumque alio ex capite, accidit gratiæ, differentiamque eſſentialem conſtituere nequit. At vero gratia accepta pro forma inhærente, & pro denominatione extrinſeca, ſumpta a forma exiſtente in altero, differunt eſſentialiter : ſicut *viſus* inhærens animali, & denominatio extrinſeca attributa lapidi v. g. *viſo*, eſſentialiter differunt. Neceſſario ergo intelligenda venit propoſitio de gratia imputata,

non

non inhærente : repugnatque dicta interpretatio aliis propoſitionibus Queſnelli ; & verbis ipſiuſmet propoſitionis : quod erat probandum.

XX. Quod tam benignam quoque interpretationem meritus non ſit, docet nos Auguſtinus in Pelagio : qui licet hinc inde quibuſdam phraſibus, catholici ſenſus ſuſceptivis uteretur; nunquam in meliorem, ſed in pejorem ſemper partem illas Auguſtinus interpretatur ; ut *lib. de grat. Chr.* videre eſt. Quidni idem faciamus in Queſnello, cum ſit utrobique eadem, ſeu par ratio? Fugit Pelagius ex Italia in Palæſtinam timens ſibi ob ſuam doctrinam; fugit Queſnellus e Gallia in Belgium, eandem ob cauſam. Infamatus erat ille & accuſatus de variis erroribus; fuit & iſte, etiam ſententialiter damnatus. Obſcurè loquebatur ille ; item & iſte: cum tamen Queſnellus præ Pelagio debuiſſet loqui clarius, utpote ſcribens in Gallia, ubi olim Calviniſmus floruit ; ac etiamnum (ſi famæ publicæ credimus) non exigua Calviniſtarum manus occulta latet. *Exorti circa fidem errores*, inquit Angelicus, *occaſionem dederunt Sanctis Eccleſiæ DD., ut ea quæ ſunt fidei, majori circumſpectione traderent.* Præfa. ad Opuſc. *Et ideo non eſt mirum, ſi moderni fidei doctores, poſt varios exortos errores, cautius & quaſi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei.* Quidni id fecit Paſchaſius? Sibi ergo imputet, ſi eum exponimus, uti Auguſtinus Pelagium.

XXI. Veriſimile non eſt, inquies, Queſnellum, errorem Calvini in mente habuiſſe. Non quæritur quid in mente geſtaverit, ſed quid in libro ſuo expreſſerit. Jam vero error ſupradictus etiam in aliis propoſitionibus ſe manifeſtat. Ec-

 quid

quid enim ſibi vult *prop.73*. Eccleſia eſt cœtus fidelium *adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona*; quæ ultima verba eraſit *Theol. Supplex*,
Pag. 84. ſcribens, *ſubſiſtentium in ejus Spiritu*? Quid prop. 37. *Gratia Adami ſanctificabat illum in SEMETIPSO . . . . gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Chriſto Jeſu &c.*? Reponeſne, phraſim eſſe Apoſtoli, nos ſanctificari in *Chriſto Jeſu*? Sed dic, ſodes, ubi gentium utitur Apoſtolus tali antitheſi, ut dicat, gratiam Adami ſanctificaſſe ipſum *in ſemetipſo*, nos vero in Chriſto ſanctificari? Sane ut ſubſiſtat antitheſis, negetur oportet de noſtra, quod de illius gratia affirmatur. Si ergo gratia Adami ſanctificabat illum *in ſemetipſo*; nihil ſupereſt, niſi ut gratia noſtra nos non ſanctificet *in nobismet ipſis*, ſed extrinſece nobis imputetur. Hæc omnia ſimul juncta, ſi non ſignificant & continent ipſiſſimum errorem a Tridentino in Luthero & Calvino damnatum; ad minus hunc errorem ſapiunt, ſuſpecta ſunt violenter, male ſonant, offenſionemque in legentium cordibus cauſare nata ſunt: attento vel maxime, canalem, ut phraſi utar noſtri Illuſtriſs. Melchioris Cano, per quem tranſierunt propoſitiones illæ, non eſſe admodum purum, quo fit ut male & ſapiant & oleant, juxta regulam noſtram quartam. V.cap.2. §.1.p.42.

XXII. Sed liberalius paulò agamus. Demus gratis, erroris illius nullum hic eſſe ſaporem: demus, propoſitionem ita intelligendam, ut vult *Theologia Supplex*; hæc omnia gratis data non reddunt propoſitionem innoxiam. Adhuc enim adhæret ei virus duobus §§. præcedentibus expoſitum, nempe, quod gratia Adami fuerit ſequela creationis, debita illi & nobis, ſi ſtatus ille per-

ſe-

ſeveraſſet. Quippe, ſi gratiam hujus ſtatus recipi in perſona Chriſti, idem ſit, ac dari *Chriſti Domini Salvatoris merito*, ut vult *Theol. Supplex*: gratiam recipi in perſona propria, idem ſignificabit, quod, eam dari meritis uniuſcujuſque perſonalibus; id eſt, fuiſſe mere naturalem gratiam, naturæque innocenti & integræ *debitam*. Unde eodem titulo ac præcedentes propp. proſcribi debuit; tamquam naturam, ſeu propriam ideam & notionem gratiæ deſtruens: dicente *Auguſtino, Gratia .... niſi gratuita, non eſt gratia*. Et iterum. *Non enim Dei gratia, gratia erit ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo*. De grat. Chr. c. 31. De pecc. Orig. c. 24. n. 28.

XXIII. Quod ſi prætendat quis, propoſitionem hanc de gratia actuali, ſeu operationis intelligendam eſſe; nec ſic evadit innocens: ſiquidem ob ultimas particulas: *Cui uniti ſumus*, ſignificaret gratiam actualem nullam dari, niſi unitis *Chriſto* per fidem & caritatem. Quo ſenſu non minus meretur proſcribi, quam propp. 26. 27. & 28. quæ fidem eſſe primam gratiam, nullam dari gratiam ante fidem, primam gratiam remiſſionem eſſe peccatorum affirmant. Deinde, ſic accepta propoſitio, ſignificaret gratiam actualem, non eſſe aliquid intrinſecum, ſed extrinſecum animæ: puta, voluntatem Dei, aut Chriſti, quod etiam affirmant propp. 11. 19. 20. unde eodem ac iſtæ jure proſcribi merebatur. Quocumque ergo modo ſumatur propoſitio, juxta regulas 1. 2. & 4. ſuperius aſſignatas, proſcribi debebat. Cap. 2. §. 1. p. 40.

XXIV. Pro dilutiori hujus & ſequentis prop. intelligentia non erit abs re notaſſe; Bajum novam quamdam (*cum Joan. Heſſellio...novam viam tentare, & ad novitates declinare cœperat*, ait Lud.

Tempor. Notio. mihi pag. 379. Lib. con. Collat. c. 3.

Danes Doct. Lovan.) juſtificationis ideam excogitaſſe, quæ nec Catholica, nec Lutherana aut Calviniſtica, ſed mixta ſit; ut ei, quod olim Proſper Caſſiano, dicere poſſimus: *Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia eſt.... Tu informe neſcio quid tertium, & utrique parti inconveniens reperiſti, quo nec inimicorum conſenſum acquireres, nec in noſtrorum intelligentia permaneres.* Nempe hæretici illi, gratia ſanctificante, animæ inhærente abjecta, nos juſtificari dixêre, per juſtitiam Dei nobis imputatam; dum eam fide; quâ certo credimus Deo nos reconciliatos & gratos eſſe; velut manu quadam apprehendimus; rejecta ſimul bonorum operum & ſacerdotalis abſolutionis neceſſitate. Bajus, quo ſe ab illis diſcerneret, operum quidem neceſſitatem, atque abſolutionis adſtruit: negat tamen gratiam animæ infuſam atque inhærentem, qua adoptemur in filios Dei, & ſecundum interiorem hominem renovemur, ac divinæ conſortes naturæ efficiamur: uti ex prop. ejus 42. apparet: *juſtitia qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei &c.* idem aſſerit prop. 69. Habemus hîc neceſſitatem operum ad juſtificationem, præter fidem. Abſolutionis vero ſacerdotalis neceſſitatem inde colligit, quod per illam operum juſtitiam, homo juſtificetur quidem, ſed reatus pœnæ peccatis debitæ non tollatur, niſi Sacerdotis abſolutione: unde niſi accedat illa, juſtificationis fructum aſſequamur nunquam. *In hominibus pœnitentibus*, ait Bajus prop. 43. *ante Sacramentum abſolutionis, & in ca-*

the-

thecumenis ante baptiſmum, eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum. Et prop. 57. aſſerit, *Sacerdotis abſolutione reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium ſacerdotum ſolum liberat a reatu*.

XXV. Syſtema hoc totum relucet in Queſnello (quem ſcimus ex cap. 2. §. 2. Bajo fuiſſe addictiſſimum) hoc ſolum dempto, quod non expreſſe meminerit, ubi omnes gradus converſionis peccatoris recenſet, abſolutionis ſacerdotalis. Ex hac parte præ Bajo propius accedit ad Calvinum. Reliqua Bajani ſyſtematis principia non obſcure tradit: quippe hac prop. 36. aſſerit gratiam qua juſtificamur, non in propria perſona, ſed *niſi in perſona Chriſti* non recipi; ſequenti vero propoſitione, nos ſanctificari in Chriſto, Adamum vero *in ſe ipſo* fuiſse gratia ſanctificatum: gratiam fuiſse illi proportionatam; noſtram eſse *omnipotentem* & dignam filio Dei: quibus nihil fere clarius dici poterat ad rejiciendam gratiam nobis inhærentem, & adſtruendam Bajanam operum juſtitiam. De primo ergo ad ultimum, non minus proſcribi merebatur hæc Queſnelliana quam quadrageſima ſecunda & 69. Bajanæ: de quibus S. Fac. Th. Lov. ſequens olim vulgavit judicium. *Nec verum eſt, imo etiam divinarum litterarum doctrinæ contrarium eſt, juſtitiam ... conſiſtere formaliter in obedientia mandatorum... ut non in gratia aliqua animæ infuſa... quam declarat ille ad Titum Pauli locus...* Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. quem effudit in nos abunde per J. C. Salvatorem N., ut juſtificati hæredes ſimus &c.

Lucæ 15. a. v. 17.

In form. Doct. cõ. Baj. c. 10.

Cap. 2, 3.

§. IV.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata; gratia chriſtiana nos ſanctificando in Chriſto Jeſu, eſt omnipotens, & Deo digna. Eſt 37. Queſnel. Epheſ. 1. v. 6.

XXVI. S. Hieronymus *epiſt.* 65. ad Pamachium & Oceanum, *Hæretici*, inquit, *ſic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut noſtram & adverſariorum confeſſionem teneant: ut aliter hæreticus, aliter catholicus audiat; quaſi non eodem ſpiritu & Apollo Delphicus, atque Loxias oracula fuderit Crœſo & Pyrrho diverſis temporibus: ſed pari illudens ſtropha*. Hoc ſtratagemate videtur uſus Queſnellus, tum alibi, tum in hac præſertim propoſitione conſcribenda: tam multa, tam varia confusè agglomerat, ut vix ſcias quid velit. Dubitari nequit quin agat de gratia ſanctificante Adamum, & nos in Chriſto: (unde id etiam fatetur *Theologia Supplex* quamvis addat, *obiter* id fieri) addit tamen aliud, quo videri poſſit de actuali gratia locutus, dicens gratiam chriſtianam eſſe *omnipotentem*; quod gratiam operationis ſpectat: igitur in utroque ſenſu eam expendemus. Sumpta in primo ſenſu, ſtatim ingerit legenti juſtitiam imputativam, prout in §. præced. dictum eſt, ob rationem ibidem datam: cui addi confirmationis cauſa poſſet; quod dicat, gratiam *Adami*, ipſi fuiſſe pro-

Pag. 161.

proportionatam, indicans chriſtianam proportionatam *Chriſto*. Quid ita? An quod prima ineſſet Adamo, altera Chriſto; oporteatque quodlibet accidens eſſe ſuo ſubjecto proportionatum? Si ita intelligi voluit Queſnellus, profecto oſtendit ſe in Peripatu non omnino hoſpitem: ſed præſtabat ſe oſtendere Romanæ Fidei tenaciorem; quacum, ut vidimus, non cohærent iſta.

XXVII. Alium ſenſum hujus theſis adducit *Theol. Supplex*, explicando qualiter Adami gratia dici valeat fuiſſe *illi proportionata*. *Et quidem*, inquit, *ſi de phyſica proportione intelligatur, quaſi gratia Adami ſanctificans eſſet illi connaturalis, aut naturæ illius ſtrictiſſimo jure debita, errorem ſaperet patentiſſimum, in Michaële Bajo prædamnatam*. Atqui, ſi harum propoſitionum inter ſe connexionem diligenter expendimus, dubitari non poteſt, quin locutus fuerit Queſnellus de proportione phyſica? In prima ſuperius expenſa propoſitione prætendit, gratiam Adami fuiſſe ſequelam creationis, debitam naturæ ſanæ & integræ. Porro nihil poteſt exigere natura quæcumque, tamquam ſibi debitum, ac veluti ſequelam ſuæ creationis, niſi ei ſit proportionatum phyſice; ut ex terminis conſtat. Igitur dum in hac propoſitione adſtruit proportionem, naturam Adami inter & gratiam, patet eum loqui de proportione phyſica. Hoc ſi prædamnatum eſt in Bajo; uti eſt in confeſſo; jam tenemus quid diſtinctè in ea propoſitione 37. damnaverit Clemens XI. nec erat ſuper hoc ultra vitilitigandum. Sed non dixit Queſnellus gratiam Adamo fuiſſe *ſtrictiſſimo jure* debitam. Nec hoc dixit Bajus, & tamen juſtiſſime damnatus eſt: quidni ergo juſtiſſime ſit damnatus

Pag. 161.

Theol. Suppl. p. 161.

Pag.79. Queſnellus, qui, ut ad primam dicebamus, Bajum ipſum audaciâ ſuperavit? Hic dixerat non eſſe *indebitam*, ille *debitam*.

XXVIII. Nunc, ſi malumus propoſitionem illam intelligere de gratia actuali, non erit ejus ſenſus obvius, quem propinat *Theologia Supplex* Pag.162. dicens: *At ſi de proportione quadam morali accipiatur, adeo ut conſtitutæ antitheſis ſenſus ſit, gratiam Adamo datam, utpote ſano & integro, minoris efficaciæ virtutiſque fuiſſe, quam quæ nobis infirmis & lapſis, in Chriſto datur; atque per Chriſtum, Auguſtini probatiſſima ſententia eſt lib. de corrept. & grat. Capp.10.11. & 12. gratiam Chriſti Domini POTENTIOREM IN NOBIS ſæpius appellantis, quam quæ fuerit Protoparenti collata*. Cedo, an hic eſt ſenſus obvius & naturalis hujus propoſitionis? Antitheſim inſtituit Queſnellus in voce *proportionata*, gratiam ſtatûs innocentiæ inter, & noſtram. Primam vult proportionatam Adamo, noſtram Deo dignam, non nobis proportionatam, ſed omnipotentiæ divinæ. Aſt ſi ſic intelligitur, ut Auctor ille prætendit, nullam video antitheſim: ſicut enim gratia minoris efficaciæ virtutiſque, proportionata eſt homini ſano & integro; ita gratia potentior infirmo, & debili. Ubi ergo antitheſis, quam tamen ille agnoſcit? Nullibi comparet, niſi dicamus, gratiam, juxta Queſnellum, fuiſſe proportionatam Adamo innocenti: quia aliud erat nihil præterquam concurſus naturalis Dei, cũ voluntate Adami; *ſequela creationis, debita* Adamo. Noſtra vero gratia eſt omnipotens. Imo, *non eſt aliud quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet*. Eſt *prop.* XI. *Nihil aliud eſt, quam ejus* (Dei) *omni-*

ni-

nipotens voluntas. Eſt *prop.* 19. *Quam nihil impedire poteſt aut retardare.* *Prop.* 10. *Quam quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur*. *Prop.* 12. cui *nulla voluntas reſiſtit*. Eſt 13. Quæ *ſemper affert fructum ſuum*. Eſt 18. ſicque ſaltat Queſnellus de uno extremo ad aliud, de gratia Pelagiana, ad Bajanam & Lutheranam, non attingendo medium. Quin & ſuperaddit erroribus Baii & Lutheri, gratiam eſse aliquid nobis pure extrinſecum, uti ex dictis conſtat. Hic illius propoſitionis ſenſus non ex digito, ut ajunt, ſed ex ipſis Queſnelli verbis extractus eſt: hunc ei non affrico; ex ipſis ejus propoſitionibus habetur. Sic nullus erit color cur eum calumniis gravari quis queratur, cum ex verbis ipſius ſenſus depromitur.

XXIX. Addendum propoſitionem hanc *non obiter*, ut vult *Theologia ſupplex*, de gratia Sanctificante agere, ſed ex profeſſo, ut colligitur ex geminatione verbi *Sanctificando*; ſimul tamen agit de gratia operationis: quia non aliam ſanctificationis gratiam, quam operum juſtitiam agnoſcit, juxta 42. Bajanam: *Juſtitia conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia*: ſicque iterum rejicit, uti alias dictum eſt, gratiam cordibus noſtris per Spiritum Sanctum diffuſam, nobiſque inhærentem; quod ſub anathemate vetuerat *Tridentinum Seſs. 6. Can XI.* quo Canone variæ aſſertiones, nominatim, quæ aſſerit, gratiam qua juſtificamur, eſſe tantum *favorem Dei*: loco cujus Queſnellus *voluntatem* poſuit, perſtringuntur. Tantillane diverſitas eum a fulmine iſto tutum reddit? Minime: æque extrinſeca eſt nobis Dei voluntas, omnipotentia &c. ac favor.

Vide §. 3. num. 17.

RE-

XXX. Circa primorum Parentum in ſtatu innocentiæ dona, non ſoli Bajus, atque Queſnellus, ſed Lutherus quoque ac Calvinus erraſſe deprehenduntur. Lutherus enim, *Statuimus*, inquit, *juſtitiam non fuiſſe quoddam donum, quod ab extra accederet, ſeparatum a natura hominis, ſed fuiſſe vere naturalem: ut natura Adæ eſſet diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum, Hæc tam naturalia fuēre in Adamo, quam naturale eſt quod oculi lumen recipiant*. Et poſtea: *Porro hæc probant, originalem juſtitiam eſſe de natura hominis: ea autem per peccatum amiſſa, non manſiſſe integra naturalia, ut Scholaſtici delirant*. Idem docuit Calvinus. *Ergo animam hominis Deus mente inſtruxit, qua bonum a malo, juſtum ab injuſto diſcerneret: ac quid ſequendum vel fugiendum ſit, præeunte rationis luce videret. Unde partem hanc directricem* τὸ ἡγεμονικὸν *dixerunt Philoſophi. Huic adjunxit voluntatem, penes quam eſt electio. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio, ut ratio, intelligentia, prudentia, judicium non modo ad terrenæ vitæ gubernationem ſuppeterent, ſed quibus traſcenderent uſque ad Deum & æternam felicitatem*.

In cap.3. Geneſ.

Lib.1.inſtit.c.15.n.8. Edit. Amſtel. 1667.

XXXI. Nec ſoli illi, ſed Pelagius quoque dona naturalia, utpote gratis, nullis præcedentibus meritis collata, gratiam vocavit, ut omnibus notum eſt. Inde autem ad contrarios errores; quod & alias factum eſſe S. Thomas obſervavit; proceſſum eſt. Nam Pelagius, conſiderans per peccatum Adami potentias naturales hominis non eſſe deſtructas, intulit, in hoc ſtatu, ad implenda Dei præ-

Q.24. de verit. art. 12.

præcepta, neceſſarium aliud eſſe nihil, præter liberum arbitrium; id eſt gratiam creationis. Lutherus vero advertens, periiſſe per Adami peccatum juſtitiam originalem, intulit, *non manſiſſe integra naturalia, ut Scholaſtici*, inquiebat, *delirant*: ſed periiſſe liberum arbitrium. Cumque per baptiſmum non reſtituatur juſtitia originalis; etiam in regeneratis (niſi ad opera civilia) liberum eſſe arbitrium negavit: ex quo ulterius intulit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas bonas aut malas facere &c.

XXXII. Mirum profecto, quod Bajus ac Queſnellus doctrinam illam hæreticorum, fecerint ſibi communem! Sed fefellit ipſos, uti & Janſenium, vulgare illud: Non omnia quæ hæretici docent hæretica ſunt: quod, tametſi negare nolim; immo libens fatear verum eſſe: cum hæreticorum una fraus ſit, miſcere falſis vera dogmatibus, quò facilius incautos fallant: attamen exiſtimo omnino abſtinendum eſſe ab iis hæreticorum aſſertionibus, e quibus, veluti quibuſdam principiis a ſe noviter inventis, errores ſuos & hæreſes deduxerunt. Quippe error aut hæreſis, aut ulla falſitas, uti dialectici tradunt, ex vero principio nuſquam ſequi legitimè poſsunt: ut ex hoc ſolo aſsertio quæcumque nova; quamquam in ſe conſiderata, non manifeſtè appareret falſa; vitanda ſit, vel ſuſpecta ſaltem eſse debeat, ſi alicui fuerit errandi principium: præſertim ſi a communi Theologorum etiam Scholaſticorum doctrina recedat.

L. 8. de gra. Chr. c. 21.

XXXIII. Tale eſt dogma negans Adamo in ſtatu innocentiæ, dona aliqua verè ſupernaturalia collata fuiſse. Illud primus, quod ſciam, poſt exortam ſcholam, contra communem ſcholaſticorum

rum

rum opinionem, invexit Lutherus; indeque jam dictas, deduxit hæreticas concluſiones. An inde quoque Queſnellus incœperit, an potius illud avide arripuerit, tamquam erroribus præconceptis accommodatum, haud facile dictu eſt, nec operæ pretium curioſius indagare. Utinam conſuluiſset

1. 2. qu. 110. a. 1. & 2. Scholaſticorum principem *S. Thomam!* facile ex iis quæ ibi legere poterat concluſiſset, gratiam in qua Adamum creatum fuiſse Auguſtinus ſæpiſſime fatetur, non ſecus ac illam quæ nobis infunditur, donum quoddam fuiſse omnino ſupernaturale. Ita enim diſcurrit Angelicus:

Loc. cit. art. 2. *In eo qui dicitur gratiam Dei habere, ſignificatur eſſe quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis. Dictum eſt autem ſupra*

1. 2. qu. 109. a. 1. *quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo, inquantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum: & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine, non eſt qualitas ſed motus, ut dicitur in Phys. Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundum quod aliquod habituale donum a Deo animæ infunditur: & hoc ideo* (Nota bene) *quia non eſt conveniens, quod Deus minus provideat his, quos diligit ad ſupernaturale bonum habendum* (prout non ſolum nos, ſed Adamum quoque diligebat) *quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus ſic providet, ut non ſolum moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formas, & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecundum ſe ipſas inclinentur ad hujuſmodi motus. Et ſic motus quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales & faciles; ſecundum illud Sap.* 8. Et diſponit omnia ſuaviter. *MULTO IGITUR MAGIS*

GIS illos quos movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum(prout haud dubie movebat Adamum, ut nos) *infundit aliquas formas, ſeu qualitates ſupernaturales; ſecundum quas ſuaviter & prompte ab ipſo moveantur ad bonum æternum conſequendum*. Hæc Angelicus.

XXXIV. Ne vero ſuſpicetur aliquis huic ratiocinationi ſatisfieri poſse, dicendo: Adamo infuſas ac concreatas fuiſse virtutes naturales; nihil tamen ſupernaturale; occurrit rurſus S. Thomas oſtendens gratiam, id eſt, donum quoddam ſupernaturale neceſsarium eſse,ut homo vitam æternam mereri valeat. *Si loquamur*, inquit, *de homine quoad primum ſtatum* (in quo Adam conditus fuerat) *ſic una ratione non poteſt homo mereri abſque gratia vitam æternam, per PURA NATURALIA: quia ſcilicet meritum hominis dependet ex præordinatione divina. Actus autem cujuſcumque rei non ordinatur divinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ eſt principium actus: hoc enim eſt ex inſtitutione divinæ providentiæ, ut nihil agat ultra ſuam virtutem: Vita autem æterna, eſt quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ; quia etiam excedit cognitionem & deſiderium ejus; ſecundum illud* 1. *ad Cor.*2. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit &c. *Et inde eſt, quod nulla natura creata eſt ſufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, niſi ſuperaddatur aliquod SUPERNATURALE donum, quod gratia dicitur. Si vero loquamur de homine ſub peccato exiſtente, additur cum hoc ſecunda ratio, propter impedimentum peccati*.

1. 2. qu. 113. a.2.

XXXV. Sed Scholaſticos cum ſuo Principe, ejuſque, etſi ſolidiſſimas, ratiocinationes longe

ge amandant Queſnelliſtæ? Verùm non eis hæc ſcribimus; ſed morigeris S. Romanæ Eccleſiæ filiis: quibus cum jam notum ſit, ex Baji ac Queſnelli damnatione, Adamum in ſtatu innocentiæ, ſupernaturalibus quibuſdam donis ac gratiis fuiſſe ornatum, expedit etiam ſcire rationem, cur id ita fieri oportuit. Ut enim Angelicè, ideſt, more

Quodl. 4. art. 18. ſuo, Aquinas noſter diſcurrit: *Quædam diſputatio ordinatur ad removendũ dubitationem, an ita ſit: & in tali diſputatione Theologica maxime utendum eſt auctoritatibus, quas recipiunt illi cum quibus diſputatur .... Quædam vero diſputatio eſt magiſtralis in ſcholis, non ad removendum errorem, ſed ad inſtruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit; & tunc oportet rationibus inniti inveſtigantibus veritatis radicem, & facientibus ſcire, quomodo ſit verum quod dicitur: alioquin ſi nudis auctoritatibus magiſter quæſtionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita eſt; ſed nihil ſcientiæ vel intellectus acquiret, & vacuus abſcedet*. Unâ quoque diſcent confirmatum eſse,

Lib. 8. De Locis Theol. c. 1. triſti Janſenii ac Queſnelli caſu, graviſſimum noſtri Illm̃i Cano effatum: *Connexæ ſunt, ac fuêre ſemper, poſt natam ſcholam, ſcholæ contemptio, & hæreſum peſtes*.

CAP.

CAP. IV.

De voluntate ſalutis omnium; deque Chriſti morte pro omnibus oppetita.

§. I.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Omnes quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter. Eſt 30. Queſnel. Joan. 6. v. 40.

Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei. Eſt 12. Queſnel. Mar. 2. v. 11.

Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas ei reſiſtit. Eſt 13. Queſnel. Luc. 5. v. 13.

I. Puncta duo Theologica hiſce propoſitionibus attinguntur: unum de voluntate Dei ſalvandi omnes homines: alterum de efficacia gratiæ. Quod ſecundum ſpectat, cum plures aliæ propoſitiones idem tangant punctum; quod de his dicetur, de illis quoque dictum puta. Hîc ſolum primum attingemus: voluntatem dico ſalvandi omnes homines. Manifeſtum eſt autem

Digitized by Google

tem ex his propoſitionibus ſequi, Deum non velle ſalutem reproborum: quippe, ſi Deo volente ſalvare homines, hi infallibiliter ſalvantur, reprobi ſalvarentur infallibiliter, ſi Deus eos vellet ſalvos fieri: ſed non ſalvantur: ergo nec Deus eos ſalvos fieri vult. Quæ autem horribilia inde ſequantur conſectaria, quis non videat?

II. Primo ſequitur, reprobis ſalutem eſſe impoſſibilem, damnationemque neceſſariam, & inevitabilem. Cum enim ſalus, ad quam miſericorditer a Deo ordinati ſumus, excedat vires omnis naturæ creatæ & creabilis, nedum hominis infirmi, & ſaucii per originalem culpam; niſi Deus velit eum ſalvare, omnino ſalvari non poterit. Rurſus, cum nihil ſit medium inter ſalvari & damnari; damnatur neceſſario. Poterit igitur reprobus dicere: *Per Deum abeſt* vita æterna; & media quibus ad eam perveniri poſſit: quod prohibetur: *Non dixeris, per Deum abeſt: Non dicas, ille me implanavit: non enim neceſſarii ſunt ei homines impii.*

Eccli. 15. v. 11. v. 12.

III. Secundo ex negatione voluntatis ſalvandi omnes homines, unum ex duobus neceſſario ſequitur, videlicet: vel quod Deus de omnibus hominibus providentiam non habeat: vel, quod ſicut aliquos prædeſtinat ad vitam æternam; ita alios ordinet ac prædeſtinet ad æternam mortem, & damnationem nuſquam finituram. Sequela evidens eſt: nam ſi Deus aliquos non vult ſalvari, nec ad ſalutem eos ordinat, aut eos ordinat ad damnationem, vel ad nullum finem; cum non detur medium. Si hoc ultimum: ergo de eis non datur providentia, quæ juxta D. Thomam eſt *ratio ordinis rerum in finem*. Confirmatur argumentum ex S. Thoma, dicente: *Providentia ergo ordinem*

1. p. q. 22. a. 1. de ver. q. 6. a. 1.

dinem in finem reſpicit tantum. Unde per DEI PROVIDENTIAM OMNES HOMINES *ad beatitudinem ordinantur*. Ergo ſi Deus aliquos non ordinat ad beatitudinem, non habet de eis providentiam. Si hoc minus placet, ne in eorum errorem incidatur, qui dicunt: *Nubes latibulum ejus, & circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat*; neceſſe eſt dicere, non prædeſtinatos a Deo ad beatitudinem, prædeſtinatos eſſe ad æternum interitum. Porro, cum prædeſtinatio ſit præparatio mediorum, quibus certiſſimè pervenitur ad finem a Deo intentum, ſi Deus reprobos prædeſtinat ad æternam mortem & damnationem, dicendum quoque foret, quod catholicæ aures audire horrent, Deum præparaſſe media, id eſt, peccata prædefiniviſſe, ob quæ reprobi ſint æternum damnandi: *Adeo ut ſit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli*, quod anathemate damnatum eſt a Trid. Job. 22.

IV. Tertio, cum multis reprobis Deus communicet gratiam ſuam, perducatque ad juſtificationem; imo quibuſdam ex illis plures gratiæ conferantur, quam aliquibus prædeſtinatis; dempta ſolum finali perſeverantia; ſi Deus non habeat ſinceram voluntatem eos ſalvandi, non poterunt gratiæ illæ eſſe hujus voluntatis effectus, ſed prædeſtinationis ad æternum interitum; ſcilicet, ut gravior & intollerabilior inde fiat eorum damnatio: at hoc manifeſte blaſphemum eſt; renovatque doctrinam a Calvino quondam traditam *lib. 2. inſtitut. cap. 2. num.* 18. ſequentibus verbis: *Præbuit quidem illis* (Philoſophis, addamus, iſtis juſtis) *Dominus, ut ſupra dictum eſt, exiguum divinitatis ſuæ guſtum, ne ignorantiam impietati obten-* Seſſ. 6. can. 6. Tomo 9. Edit. Amſtel. 1667.

 de-

derent: & eos interdum ad dicenda nonnulla impulit, quorum confeſſione ipſi convincerentur: ſed ita viderunt, quæ videbant, ut tali intuitu minime ad veritatem dirigerentur, nedum pertingerent; qualiter nocturni fulgetri coruſcationem, qui in medio agro eſt viator, longe lateque ad momentum videt, ſed adeo evanido aſpectu, ut ante noctis caligine reſorbeatur, quam pedem movere queat, tantum abeſt, ut in viam tali ſubſidio deducatur.

V. Solent Queſnelli defenſores ad Thomiſticas diſtinctiones confugere, ac dicere, Queſnellum ſolummodo negaſſe voluntatem efficacem & conſequentem ſalvandi omnes homines; non vero antecedentem, uti Thomiſtæ. *Reſp.* 1. Queſnellum de Janſeniſmo violenter ſuſpectum, debuiſſe id exprimere, quo omnem a ſe pravam ſuſpicionem amoliretur; præſertim cum ſcriberet de voluntate Dei ſalvandi homines: quod cum minime fecerit, aptari ei poſſunt ac debent verba S. Auguſtini paulo ante relata: Voluntas
Pag.43. num. 9. ſalvandi omnes homines quæratur, *quæ ab iſto ſola CLAMATUR non eſſe neceſſaria CUM TACETUR. Qui ſi omnino nihil* de voluntate Dei *diceret, nec eam quæſtionem ſolvendam ſibi proponeret, ut a ſe de hac re invidiam removeret; poſſet putari hoc quidem ſentire quod veritas habet, ſed non dixiſſe; quia non ubique omnia dicenda ſunt. Propoſuit* de voluntate Dei *quæſtionem: id reſpondit quod habebat in corde. Definita quæſtio eſt; non quam volebamus; ſed ubi quid ſentiret dubitabamus.*

VI. Reſp. II. Etiamſi expreſſe dixiſſet Queſnellus, ſe admittere voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines; non propterea habendus foret catholicus. Poſſet enim dicere: *Poſtquam*

pec-

peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur, voluntas antecedens in ſola præciſione mentis, adeoque nuda quadam velleitate, nihil omnino gratiæ cauſante conſiſtere poteſt; uti dixit Janſenius. Aut dicere potuiſſet eſſe ſolam ſigni voluntatem, quod nec Janſenius negavit. Dicere debuiſſet eſſe voluntatem beneplaciti & non ſigni tantum: uti ait S. Thomas: cujus effectus eſt *ipſe ordo in finem SALUTIS & promoventia in finem, omnibus communiter propoſita; tam naturalia quam gratuita.*

Lib. 3. de grat. & lib. arb. c. 20.

De verit. q. 23. a. 3. S. T. in 1. diſt. 46. qu. 1. art. 1. c.

VII. Reſp. III. Tametſi Queſnellus etiam hæc omnia diſtincte & clare expreſſiſſet, cauſa ejus necdum finita fuiſſet; poterat enim dicere, illam *voluntatem antecedentem, quam Deus ex ſe concepit, quando humanum genus inſtituit, quæque omnia peccata hominum anteceſſit, fuiſſe bonitatis, ut homo gratiæ felicitatiſque particeps fieret... Sed talis antecedens voluntas, quamdiu res ſine acceſſoriis circumſtantiis conſideratur, aliquid ad cauſandam gratiam ſufficientem, aliaque media neceſſaria procurandæ ſalutis, facit; utpote ex qua primorum hominum gratia ſufficiens fluxit*. Sed poſt peccata inducta aliud longe eſſe dicendum, id nimirum quod num. præc. ex Janſenio adduximus. Dicere debebat cum S. Thoma de verit. *q. 23. a. 2. ad. 2. Quod ordo divinæ voluntatis non attenditur ſecundum DIVERSA VOLITA*; quaſi voluntas antecedens verſetur circa hominem innocentem, conſequens circa lapſum; *ſed per reſpectum ad UNUM ET IDEM VOLITUM, propter diverſa in eo reperta: ſicut aliquem hominem vult Deus ſalvari voluntate antecedente, ratione humanæ naturæ quam ad ſalutem fecit: ſed vult eum damnari voluntate conſequente, propter peccata, quæ in eo inveniuntur.*

Janſen. loc. cit.

 Dice-

Dicere debebat, voluntatem Dei antecedentem ſimilem eſſe voluntati juſti judicis, qui *antecedenter vult hominem vivere*: (quod bonum eſt, ſi abſolute conſideretur) *ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi*: quod etiam bonum eſt. Hoc exemplo utitur S. Thomas. Aut, quod ſit ſimilis voluntati mercatoris, qui metu naufragii mercium ſuarum jactum facit, quo utitur idem S. Doctor; quamquam inter privatum hominem & proviſorem univerſalem; quem non decet omnes defectus impedire, etſi poſſet; differentia aliqua intercedat: prout quoque inter merces & homines accidit; qui ſe ſponte ſua in perniciem præcipitant, non merces. Ita loqui Queſnellus debebat, ſi catholicus eſſe, & haberi volebat. Ac licet addidiſſet cum S. T. loco *ex 1. p. cit.* voluntatem illam *magis* poſſe dici velleitatem, quam abſolutam voluntatem: licet dixiſſet eſſe voluntatem ſigni, addendo cum eodem S. Doctore: *Quod voluntas ſigni tribus modis ſe habet ad voluntatem beneplaciti. Quædam enim eſt voluntas ſigni, quæ nunquam incidit in idem cum voluntate beneplaciti; ſicut permiſſio, qua permittit mala fieri, cum mala fieri nunquam velit. Quædam ſemper in idem incidit, ſicut operatio. Quædam vero quandoque incidit, & quandoque non, ſicut præceptum, prohibitio, & conſilium*: voluntatemque ſalvandi omnes homines, eſſe ſigni ſimul & beneplaciti, ſi hæc, inquam, addere voluiſſet, nemo ei moleſtus futurus erat. Verum cum ab hiſce expreſſionibus duxerit temperandum; ſibi ipſi non nobis imputet; ſi juxta regulam noſtram 5. ex Auguſtino adductam, dicimus, quod omnem Dei voluntatem non ſterilem ſalvandi reprobos prorſus negaverit: ſuſtinueritque propoſitionem

I. p. q. 19. a. 6. ad 1.

In 1. ad Timoth. c. 2. Lect. 1.

Q. 23. de verit. ar. 3. ad 6.

Pag. 43. num. 9.

nem impiam, blaſphemam, Deo contumelioſam; ac etiam hæreticam: atque uti talem, fatente *Theol. ſuppl.* in Janſenio damnatam. P.202.

VIII. Dicunt etiam Queſnellianæ doctrinæ Mangones, eum aliud nihil docuiſſe præter id quod docuit S. Auguſtinus, qui locum Apoſtoli: *Deus omnes homines vult ſalvos fieri*, fere ubique explicat de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum. Sed nec id prodeſt quidquam male fartæ cauſæ. Attendendus Auguſtini ſcopus illis in locis, ubi hoc modo Apoſtolum exponit, & videbitur ſolum excluſiſſe, voluntatem illam indiſcretam & communem electis & reprobis, quam ſtatuebant Pelagiani & Semipelagiani: nimirum, ut ex parte Dei nulla ſit diverſitas ſalvandi hominis a damnando; ſed tota illorum diſcretio ſe teneat ex parte voluntatis hominum: quorum unus ſalvatur quia ſalvari vult; alter, quia non vult, damnatur. Cæterum, S. Auguſtinum admiſiſſe præter ſpecialem voluntatem ſalvandi electos, etiam generalem aliam, quæ reprobos comprehendat, & aliquouſque ordinet ad ſalutem, conſtat ex verbis ſequentibus: *Vult autem Deus*, ait, *omnes homines ſalvos fieri, & in cognitionem veritatis venire: non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes juſtiſſime judicentur. Quod cum ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt; verum ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant; experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.*

[Margin: I. ad Timoth. 2.] [Margin: S. Proſp. Epiſt. ad Aug.] [Margin: De Spir. & litt. c. 33.]

IX. Dicere quoque ſolent, talem voluntatem, qualem catholici in Deo ſtatuunt, imperfe-

ctionem involvere Deo repugnantem &c. ſed retorqueri objectio poteſt in ipſos adverſarios: nam in Deo reſpectu Adami innocentis, cum ſuo Magiſtro Janſenio talem admittunt voluntatem: Ergo vel ipſi admittunt in Deo imperfectionem; vel nos non admittimus, admittendo ſimilem voluntatem in Deo reſpectu hominis lapſi. Reſpondendo vero directe argumento, dicendum cum S. Thoma: *Quod voluntas antecedens poteſt dici conditionata; nec tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis divinæ, ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in ſalutem.*

Vide nu. 7.

In 1. diſt. 46. q. 1. a. 1. ad 2.

X. Supereſt aliquid dicatur ad S. Fulgentium, quem *Theol. ſuppl. pag.* 203. ait, crudioribus verbis Queſnello uſum. Ait enim: *Omnes quos Deus vult ſalvos fieri, ſine dubitatione ſalvantur: nec poſſunt ſalvari, niſi quos Deus vult ſalvos fieri: nec eſt quiſquam quem Deus ſalvari velit, & non ſalvetur.* Sed ſolvitur objectio levi reflexione ad noſtram regulam 4. de habenda ratione perſonæ ſcribentis, ſcopi, temporis, aliarumque circumſtantiarum: ex hac enim una & eadem regula bonus criticus abſolvet Fulgentium, damnabit Queſnellum. Fulgentius propugnator fidei Romano-catholicæ zeloſiſſimus: Queſnellus oppugnator audaciſſimus; ille in publica luce; hic ex ignoto tuguriolo, nomine ſuo occultato, nec operi adſcripto: ille in patria, vel exul ob fidem; hic exul ob pravam doctrinam: ſcopus illius, oppugnare Pelagianos aut Semipelagianos negantes ſpecialem voluntatem in Deo, ſalvandi electos & prædeſtinatos; hujus, oppugnare Decreta Pontificia Janſenium negantem voluntatem generalem ſalvandi

Lib. de Incar. & grat. c. 31

Pag. 42.

di omnes homines, damnantia: ille, quo tempore apud omnes catholicus audiebat; hic, cum audiret Janſeniſta, ſcribebant. Qui ergo dubitet Fulgentio tribuere ſenſum catholicum; Queſnello Janſenianum? Saltem bonæ critices regulæ ita volunt.

§. II.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum: pacem intimo cordium inferunt, quando eis illam optat. Eſt. 31. Queſnell. Joan. 20. v. 19.

XI. ***Si... diligenter quæ ad Chriſtum pertinent, cogitentur***, inquit Auguſtinus, ***nominetenus invenitur Chriſtus apud quoslibet hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt: re vero ipſa non eſt apud eos.*** Liceat mihi dicere: ſi diligenter quæ ad Chriſtum pertinent cogitentur, re ipſa non eſt apud Queſnelliſtas. Enimvero ***Chriſtus*** unctus eſt ***Jeſus***, id eſt, Salvator ***omnium hominum, maxime fidelium***: quibus paucis verbis clare ſignificat Apoſtolus, Chriſtum Dominum paſſionem ſuam ac mortem obtuliſſe Patri in pretiũ ſeu lytrum pro omnibus omnino hominibus, voluntate generali; ſpecialiter tamen fidelibus: ***Eſt Salvator***, inquit, ***omnium hominum, maxime fidelium***. Neque enim Salvator dicitur, niſi qui lytron dedit: ſicut Imperator v. g. etſi ſufficientes divitias habeat redimendis omni-

Enchir. cap. 5.

I. Tim. 4. v. 10.

bus omnino mancipiis chriſtianis ; non tamen ſalvator eſt, nec dicitur, niſi eorum tantum, pro quibus redimendis pretium dedit. Si ergo Chriſtus eſt ſalvator omnium hominum , non ſufficit dicere mortem Chriſti ex ſe eſſe ſufficientem omnibus redimendis (ſic evaſioni Queſnellianæ rimam occludimus) ſed ſe ipſum dediſſe redemptionem pro omnibus , neceſſe eſt ; *maxime* vero pro fidelibus quorum *maxime* ſalvator eſt. Unde idem Apoſto-
C.2.v.6. lus præmiſerat : *Unus mediator Dei & hominum , homo Chriſtus Jeſus , qui DEDIT redemptionem ſemet ipſum PRO OMNIBUS*:atque ex hoc, quod videlicet SE DEDIT redemptionem pro omnibus , infert cap. 4. quod ipſe ſit *SALVATOR OMNIUM HOMINUM* , *maxime fidelium* : ac ſi tacite innuat , non fuiſſe futurum Salvatorem omnium , niſi ſe pro omnibus REDEMPTIONEM DEDISSET .

XII. Porro *To* DEDIT REDEMPTIONEM plus aliquid ſignificare , quàm mortem Chriſti ex ſe ſufficientem eſſe omnibus redimendis , vidit Janſenius , nec diſſimulavit; ubi relatis
Lib.3.de gra.Salv. c.20.§.4. illis Apoſtoli verbis , aliquibus interpoſitis , ſubdit : *Sed quia iſta phraſis , qua dicitur SE pro aliquo REDEMPTIONEM DARE , præ ſe ferre videat, ut redemptionem EX REDIMENTIS ANIMO in uſum & libertatem captivorum OFFERRI ac DIRIGI , quæ oblatio & directio Chriſti INANIS eſſe non poteſt : & quia alioquin etiam pro dæmonibus ſe dediſſe redemptionem dici poſſet , quibus redimendis ſine dubio , pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens &c.* Ex quibus omnibus inferre debebat Janſenius ; ſicut inferimus catholici : Ergo Chriſtus , teſte Apoſtolo , dedit ſe redemptionem pro omni-

omnibus; id eſt, ſe, ex ſuo ipſius redimentis animo, in uſum & libertatem captivorum, generaliter quidem omnium, ſpecialiter vero fidelium, obtulit, ac pretium Sanguinis ſui direxit: cumque hæc oblatio & directio Chriſti inanis eſſe non poſſit; ſicut fidelibus uſque in finem, obtinuit morte ſua gratiam, quâ perſeverantes ſunt; ita aliis obtinuit ſaltem gratias, quibus perſeverantes eſſe, & ſalutem conſequi poſſent. Sed Janſenius ex tam præclarè jactis fundamentis, dum contemptis Scholaſticis Doctoribus, ſuo nimium confidit ingenio, intulit, quod Chriſtus ſe obtulit quidem pro ſalute prædeſtinatorum; pro omnibus vero omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe, ad Semipelagianos ablegavit, uti ex quinta ejus damnata propoſitione conſtat: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.*

XIII. Hic error de morte Chriſti pro æterna ſalute ſolorum prædeſtinatorum, recens aut novus non eſt. Calvinus enim. 1. *ad Timot.* 2. *v.* 5. ad illa verba: *Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemet ipſum redemptionem pro omnibus*, ait: *Particula univerſalis, ſemper ad hominum genera referri debet, non ad perſonas.* Perckinſius *de prædeſt. tom.* 1. *col.* 144. *Chriſtum omnes & ſingulos ex parte ſua redemiſſe & reconciliaſſe Deo; ex his tamen plurimos quoad eventum damnari, mirè abſurdum.* Piſcator *in theſibus lib.* 2. *pag.* 371. *Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe ſufficienter, ſed non efficaciter, negamus.* Sed & altius repeti poteſt; nam Sæculo 9. Gotteſcalchus hoc titulo damnatus fuit, quod videretur ſtatuere, Chriſtum pro ſolis prædeſtina-

Apud Richar. Smith. Collat doctrin. c. 20. a. 19

tis mortuum eſse : atque hinc forte errorem ſuum hauſit Janſenius ; cum tamen ex iis quæ illo ſunt geſta tempore, ſuum ipſe errorem potius debuiſſet corrigere.

XIV. Nimirum, capitula quatuor Synodi Cariſiacæ (*Kierſi*, *Chierſi* & corrupte *Tierci* in Diœceſi Sueſſionenſi ad fluvium Oeſiam, *L'Oyſe* prope confinia Diœceſis Noviomenſis) celebratæ 853., quorum primo titulus: *Quod una tantum ſit Prædeſtinatio Dei*. Secundo: *Quod liberum hominis arbitrium per gratiam ſanetur*. Tertio: *Quod Deus omnes homines velit ſalvos fieri*. Quarto: *Quod Chriſtus pro omnibus hominibus paſſus ſit*: hæc, inquam, capitula leguntur quidem in Synodo Valentina tertia, anno 855. damnata, *propter inutilitatem*, *vel etiam noxietatem*, *& errorem contrarium veritati*: (niſi cum Natali Alexandro diceremus ea verba ab Ebbone Gratianopolitano Epiſcopo fuiſſe Synodo Valentinæ intruſa) ſed eo tempore damnata ſunt, quo diſſidentes Carolus Calvus, cui parebant PP. Cariſiaci, & Lotharius, cui ſuberant PP. Valentini, ipſos quoque Epiſcoporum animos, ut fieri ſolet, in contraria ſtudia obſtraxerant, ac ne in unum convenirent impediebant. Nec perſtiterunt Valentini PP. in ſua cenſura: nam in Synodo Lingonenſi anno 859. Valentinos Canones ita probarunt, ut illam Cariſiacorum capitulorum cenſuram expungi voluerint; atque hæc expunctio deinde probata fuit in Synodo Tullenſi apud Saponarias, non ex tribus tantum, ut Valentina, ſed ex duodecim provinciis congregata, poſt quindecim dies a celebrata Lingonenſi.

Diſſert. 5 ad Sæc. 9. & 10. §. 11.

XV. Quid ita? Niſi quod auditis mutuis ſen-

ſententiis, ſe deprehenderint in eadem fide convenire: ſcilicet, Cariſiaci præter ſpecialem affectum erga prædeſtinatos, requirebant generalem, quam Gotteſcalchum excluſiſſe putabant, voluntatem ſalvandi omnes omnino homines: e contra Valentini, præter generalem illam voluntatem, quam ſolam putaverant ſtatuiſſe Cariſiacos articulos, requirebant ſpecialem erga electos & prædeſtinatos; ſed in rei veritate utrique, tam Cariſiaci quam Valentini Patres, utramque voluntatem admittebant. Nec eſt incredibile amicos Gotteſcalchi: (fuerit ille verè reus vel non fuerit) omni ſtudio conatos fuiſſe perſuadere, ac etiam perſuaſiſſe aliquibus Epiſcopis, Auguſtinianæ doctrinæ plurimum devotis, aliam non eſſe Gotteſcalchi quam Auguſtini doctrinam; Auguſtinumque ſub Gotteſcalchi corio in Cariſiaca Synodo vapulaſſe; id quod tanto facilius credere potuerint Valentini, quod doctrina Gotteſcalchi foret verbis dubiis, & facile diverſum ſenſum capientibus expreſſa: (qua etiam ratione Queſnellus potuit inter Galliæ Epiſcopos patronos invenire) vel etiam quod diviſis principibus, quibus Epiſcopi illi parebant, adeoque & ipſis diviſis (Principum enim diſcordiæ facile poſt ſe ſubditorum diſſenſiones trahunt) fuerint Valentini Patres pravæ de aliis ideæ magis ſuſceptibiles.

XVI. Hic ergo invenire errandi occaſionem potuit Janſenius, dum videns Epiſcopos Valentinos, doctrinæ Auguſtinianæ ſtudioſos ac tenaces, ſtatuere voluntatem ſpecialem in Chriſto ſalvandi prædeſtinatos; cenſuraſse præterea Cariſiacos, generalem contra Gotteſcalchum ſtatuen-

tuentes, credidit de mente illorum PP. eſſe, ſolam illam voluntatem ſpecialem. Verum ſi voluiſſet attendere; ipſa expunctio cenſuræ Valentinæ, reconciliatio Epiſcoporum in Synodo Tullenſi, acceptatio etiam Canonum Concilii Valentini, expunctâ ſolum cenſurâ, perſuadere ipſi potuiſſent, Patres illos omnes utramque admiſiſſe voluntatem. Quid, quod Eccleſia Lugdunenſis cui præerat S. Remigius, unus ex Valentinis Patribus, utramque hanc voluntatem agnoſcat & amplectatur? Lege caput 20. invenies ſequentia: *Si autem placet, ſicut & nobis multum placet, ut etiam iſtorum ſententia ex pietate veniens* (ſcilicet Chriſtum pro omnibus omnino hominibus eſſe mortuum) *propter pacem & venerabilem pietatem Beatiſſimorum Patrum, non renuatur: nulla ergo contentione pro aliis adverſus alios litigetur, non una ſententia præ alia damnetur.... Si inventi ſunt alii Patres, qui illud glorioſum pretium etiam pro nunquam credituris, & in ſua impietate perituris datum eſſe non abnuant, melius, ut credimus, utrique honorarentur, nec præ aliis alii damnarentur; quia & illud manifeſte divina auctoritate firmatum eſt; & iſtud, ſi pie ſentitur, non eſt abnuendum*. Et poſt pauca: *Quod ſi aliqui Patrum pro omnibus omnino hominibus paſſum* (Chriſtum) *intellexerunt, honoretur & iſte, velut pius ſenſus: dummodo prior, qui eſt certiſſimus, & divina veritate firmatus, nulla præſumptione contemnatur; vel etiam, quod gravius eſt, damnetur*. Sic in illis ipſis, quos forte Janſenius credidit ſuæ opinionis præformatores, invenire remedium errori ſuo corrigendo potuiſſet.

In libro de tribus epiſtolis.

Cap. 24.

XVII. Sed erit, qui altius aſcendendum putet,

tet, ad inveniendum erroris Janſeniani fontem. Scilicet Janſenius credidit hæreſim Prædeſtinatianam extitiſſe nunquam; ſed doctrinam Auguſtini, hoc nomine fuiſſe traductam ab æmulis; ac propterea non multum abhorruiſſe ab iis, quæ Prædeſtinatianis olim objecta fuerant: ſi, inquam, hoc prætendat quiſpiam, non multum refragabor. Verum & in antiquioribus Patribus deprehendere potuiſset errorem ſuum Janſenius, quantum ad præſentem materiam ſpectat; cum non ſolus S. Proſper fideliſſimus Auguſtini diſcipulus, hanc generalem redemptionem, quod Janſenius ipſe fatetur, verum & S. Hieronymus, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Gregorius, quatuor præcipui & antiquiſſimi Eccleſiæ Doctores; S. Athanaſius, S. Joan. Chryſ. id eſt Latini & Græci; demum compendium SS. Patrum omnium Aquinas eam admiſerint. Primus: *Mentitur*, ait, *Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum, & voce demonſtrans*, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, *ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit*. S. Ambroſius, quem S. Auguſtinus Magiſtrum ſuum appellat, ait: *Myſticus autem Sol ille juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, omnibus reſurrexit: ideo autem paſſus, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat*. S. Gregorius ad illa verba ſexti Pſalmi Pœnitentialis: *Quia apud Dominum miſericordia &c. Quis*, inquit, *exponere queat quantæ fuerit miſerationis ſacratiſſima pretioſi Sanguinis effuſione GENUS HUMANUM redimere*. At vero *genus humanum* non redemiſſet Chriſtus, ſi non pro omnibus paſſionem ſuam Patri Æterno obtuliſſet.

Epiſt. 83. ad Oceanum.

Commẽtario in pſal. 118. n. 57.

Tan-

Lib. 2. de Symb. ad Catechu. cap. 8.

Tandem ipſe S. Auguſtinus ejuſdem catholicæ veritatis nobis teſtis adeſt, dum Chriſtum in judicio impios ita allocuturum prædicit: *Ecce hominem quem crucifixiſtis ... agnoſcite latus quod pupugiſtis: quonian & per vos, & PROPTER VOS apertum eſt; nec tamen intrare voluiſtis*. Quod ſi quis dubitet cum Benedictinis S. Mauri, an hic liber, ſeu ſermo, uti eum nominant, ſit S. Auguſtini, en ei duo loca ex operibus S. P. indubitatis. *Enarrat. in pſal.* 95. *num.* 15. expendens ea verba, *judicabit orbem terræ in æquitate*, ait, *Non partem judicabit, quia non partem emit. Totum judicare habet; quia pro TOTO PRETIUM DEDIT*. Alter locus eſt ex *Epiſt.* 105. *aliàs* 166. *num.* 1. ubi Donatiſtas alloquens ait: *Vos potius recedite a plebibus, pro quibus Chriſtus ſuum ſanguinem fudit*. An nullus in plebibus Donatiſtarum erat præſcitus? Ergo & pro illis Chriſtus Sanguinem ſuum fudit. Hic autem loquendi modus non ſufficientiam dumtaxat pretii, ſed & oblationem, exhibitionem, præſtationem pretii, ex redimentis animo manifeſte declarat.

Tom. 6. oper. S. Auguſti. col. 555.

1. Tim. 2.
2. Cor. 5.

XVIII. Quando ergo S. Auguſtinus in Enchiridio & alibi ſententias Apoſtoli, *Vult omnes homines ſalvos fieri*. Et iterum, *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. De ſolis prædeſtinatis interpretatus eſt, de efficaci & conſequente voluntate loquebatur: nec hoc agebat, ut voluntatem antecedentem, quam Patres ipſo antiquiores admiſerant, excluderet, ſed Semipelagianos & Pelagianos, qui illis Apoſtoli teſtimoniis, ad illam unam & unicam voluntatem univerſalem, indiſcretam & uniformem reſpectu omnium tam ſalvandorum quam damnandorum ſtabiliendam

dam abutebantur, ex ultimis ſuis munitionibus vallisque disjiceret. Erravit ergo in criſi Janſenius, dum non attendens contra quos, aut quo tempore ſcripſiſſet illa Auguſtinus (nam ſi contra Pelagianos aut Semipelagianos ſcribebat, uti revera ſcripſit, a phraſibus eorum, cum ſciret eos eſſe aucupes verbulorum, erat Auguſtino ſtudioſe abſtinendum) putavit erronee, tres illas de efficaci & conſequente voluntate expoſitiones, quibus ſæpiſſime Auguſtinus uſus eſt, excludere aliam generalem ſed antecedentem: quam tamen S. Pater non minus luculenter, ut vidimus, expreſſit.

XIX. Veniamus ad Patres Græcos. S. Athanaſius in Symbolo fidei, *Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra*, inquit, ponitque inter eos articulos, quos, *niſi QVISQVE fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*: Atqui certum eſt quod UNUSQUISQUE hoc fide divina, cui falſum ſubeſſe nequit, credere nequeat, prout exigit clariſſime Sanctus Athanaſius, niſi ſimul eadem fide teneat, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe; dum *pro ſalute noſtra* idem valet ac, *pro mea & illius & iſtius &c.* ſalute, quod poſſet falſum eſſe, ſi non pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. S. Joannes Chryſ. expendens illa verba: *Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit ipſum*: *Quanam de cauſa*? ait: *Non hoc nobis debebat, ſed fecit gratia*. Et paucis interjectis. *Non pro fidelibus ſolum, ſed univerſo orbe terræ. Nam ipſe quidem mortuus eſt pro omnibus. Quid tum autem, ſi non omnes crediderunt? Ipſe quod ſuum erat implevit*. Accedat demum Epitome omnium SS. Patrum Angelicus Do- Hom. 4. in cap. 2. ad Hebr.

3. p. qu. 49. a. 2. ad 3. Doctor. Hic dè paſſione Chriſti loquens, ait. *Per paſſionem Chriſti eſt paratum hominibus remedium ſe tuendi contra nequitias dæmonum, etiam tempore Antichriſti. Sed ſi aliqui hoc remedio uti negligant, nihil deperit efficaciæ paſſionis Chriſti.* Si per paſſionem Chriſti paratum eſt remedium, pro illis etiam, qui remedio uti negligunt, & negligendo damnantur: ergo pro his etiam paſſio ex parte Chriſti oblata eſt.

XX. Ex dictis hucuſque paulo diffuſius, prout rei gravitas poſtulare videbatur, conſtat duplicem eſſe circa mortem Chriſti ſententiam: unam hæreticorum, negantium Chriſtum mortem ſuam, pretioſiſſimumque Sanguinem æterno Patri, pro ſalute omnium hominum obtuliſſe: alteram catholicorum, qui, etſi fateantur Chriſtum ſpeciali affectu & modo oraſſe, paſſionemque ſuam, pro ſalute prædeſtinatorum obtuliſſe; admittunt tamen quod generali intentione; ſive, quod in idem redit, voluntate antecedente, non conſequente, idem fecerit pro toto genere humano, ideſt, pro omnibus omnino hominibus: cujus antecedentis generaliſque voluntatis ſinceritas non incongrue explicari poſſet ex ſequente S. Thomæ doctrina:

3. p. q. 13. a. 4. ad 2. *Sic ergo præceptum illud deſignabat voluntatem ipſius*, Chriſti, *qua humanam gloriam refugiebat, ſecundum illud Joannis* 8. Ego gloriam meam non quæro. *Volebat tamen abſolute, præſertim ſecundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum, propter aliorum utilitatem.* Loquitur de præcepto dato duobus cæcis:

Matt. 9. *Et comminatus eſt illis Jeſus: Videte ne quis ſciat.* Supereſt oſtendatur, ſenſum propoſitionis trigeſimæ primæ Queſnellianæ hæreticum eſſe, non catholicum. Id bre-

breviter ſic oſtendo, fuſius idem acturus §. *ſeq.* Propoſitio hæc prolata ab homine ob Janſeniſmum exule: de propugnata prima præſertim & quinta Janſeniana, quodque Semipelagianos cenſuerit quoſcumque tenentes, Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum &c. accuſato ac convicto: epiſcopali judicio Janſeniſmi damnato: demum ab homine, qui unâ docet, Chriſtum ſe morti tradidiſſe ad liberandum ſuo ſanguine primogenitos, id eſt, prædeſtinatos, non poteſt lectori prudenti non imprimere & repræſentare ſenſum Janſenianum. Hæc, ultimo dempto, de quo §. *ſeq.* conſtant de Queſnello ex dictis *cap.* 2. §. 2. Senſus ergo illius propoſitionis habendus eſt Janſeniſticus, non catholicus. *Semel malus ſemper præſumitur malus*: quam regulam explicans S. Antoninus noſter ait: *Hîc ergo vides quod præſumitur ex præterito circa præſens & futurum, Interdum præſumitur ex præſenti circa præteritum: interdum circa præſens; interdum circa futurum &c.* quæ omnia ſimul ſumpta cogunt, ut accipiatur Queſnelliana in ſenſu Janſenii: qui etiam dicere auſus fuit, Chriſtum non magis pro ſalute reproborum, quam diaboli deprecatum fuiſſe: putavitque id probari ex Auguſtino poſſe: de quo aliquid dicendum priuſquam ad alium §. pergam.

De reg. juris in 6.

In ſum. p. 1. Tit. 20. lit. s.

XXI. Eſt, fateor, difficultas aliqua in argumento, quod Janſenius olim torſit ex verbis Auguſtini dicentis: *Si de aliquibus ita, Eccleſia, certa eſſet, ut qui ſunt illi etiam noſſet, qui licet adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum Diabolo; tam pro eis non oraret; quam nec pro ipſo: ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis ſuis*

Lib. 21. de Civit. Dei c. 24.

in hoc corpore conſtitutis , nec tamen pro omnibus exauditur . Ex his verbis conſequi viſum eſt Janſenio , Chriſtum , cui reprobi omnes noti erant , pro iis non oraſſe , nec paſſionem & mortem ſuam Deo obtuliſſe : verbo , nullum , nec minimum quidem ſalutis eorum deſiderium in corde benigniſſimo ſuo foviſſe . Non deeſt tamen huic nodo cuneus . Pro quo expediendo , oportet notare ex

Lib. 1. Dial. c. 8.

S. Gregorio: quod *obtineri nequaquam poſſunt quæ prædeſtinata non fuerunt: ſed ea quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, ut precibus obtineantur*. Hoc paulo poſt exemplo ex Scriptura maniſeſtiſſimo probat dicens : ,, Deus ſemen Abrahæ ,, multiplicari per Iſaac prædeſtinaverat , & tamen ſcriptum eſt : *Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro uxore ſua , eo quod eſſet ſterilis; qui exaudivit eum , & dedit conceptum Rebeccæ* . Si ergo ,, multiplicatio generis Abrahæ per Iſaac prædeſtinata fuit , cur conjugem ſterilem accepit? ,, Sed nimirum conſtat , quia prædeſtinatio precibus impletur ; quando is, in quo Deus multiplicare ſemen Abrahæ prædeſtinaverat, oratione obtinuit , ut filios habere potuiſſet . ,, Sic ergo Deus , qui Eccleſiam facit *Matrem filiorum lætantem*, ab æterno diſpoſuit, quod multorum ſalutem precibus ſuis obtinere debeat : & quia non ſcit qui ſint illi, ideo pro omnibus generaliter orat. Finis ergo orationum Eccleſiæ eſt, obtinere a Deo id , quod nonniſi precibus ſe daturum Eccleſiæ ab æterno diſpoſuit. Unde, ſi ponimus Eccleſiam cognoſcere reprobos , pro illis non oraret , ut ait Auguſtinus : quia deficit finis , ad quem obtinendum , preces Eccleſia fundit . Chriſtus vero debuit orare & deſiderare ſalutem omnium omnino homi-

hominum, quia reparaturus quod primus Adam perdiderat, humanum genus Deo reconciliaturus, juſtitiæ divinæ adæquate ſatisfacturus, nos in viam ſalutis reducturus advenerat; quæ omnia non perfecte adimpleviſſet, niſi pro omnibus mortem ſuam Patri æterno obtuliſſet, pro omnibus aliquo modo oraſſet, omniumque ſalutem, ad minus conditionate, optaſſet, Unde etiamſi Eccleſia non foret oratura, ut Auguſtinus loquitur, pro illis quos noviſſet reprobos: oportuit tamen Chriſtum aliquo modo pro omnibus orare, omnibus media, ut minimum ſufficentia ad ſalutem præparare, ut nullus ſalutis ſuæ æternæ foret impotens; ſitque Chriſtus univerſalis redemptor, ſecundus Adam; nec deficiat gratia, ubi abundavit peccatum; ſed contra, gratia, ut loquitur Apoſtolus, *ſuperabundet*: *Quia in ipſo complacuit*, nihil dimidiatum, *ſed omnem plenitudinem inhabitare*: *& per eum* (verba ſunt Apoſtoli) *reconciliare OMNIA in ipſum, pacificans per Sanguinem CRUCIS ejus ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt*. Non enim partem emit generis humani, ut ſupra ex Auguſtino dicebamus, ſed totum: adeoque pro toto preces, lacrymas, paſſionem & mortem Deo Patri dedit, obtulitque. Hinc Alexander Papa: *Chriſtus ſemel paſſus eſt, & TOTUM Mundum redemit*, & S. Joan. Chryſoſt. *cit. pag.* 127. *n.* 19. *Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit ipſum. Quanam de cauſa? Non hoc nobis debebat, ſed fecit gratia... Non pro fidelibus ſolum, ſed univerſo orbe terræ. Nam ipſe quidem mortuus eſt pro omnibus. Quid tum autem, ſi non omnes crediderunt? IPSE QUOD SUUM ERAT IMPLEVIT*.

Ad Rom. 5.

Ad Coloſs. 1. v. 19. & 20.

De conſecr. diſt. 1. c. ſufficit.

ſ. III.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Chriſtus Jeſus ſe morti tradidit, ad liberandum pro ſemper ſuo Sanguine primogenitos, id eſt electos de manu exterminatoris. Eſt. 32. Queſnel. ad Gal. 4. v. 4. 5. 6. & 7.

XXII. Hic jam tenemus confitentem reum, Queſnellum dico, profitentem, Chriſtum nonniſi pro electorum ac prædeſtinatorum æterna ſalute, vel, quod idem eſt, ad liberandum pro ſemper electos de manu exterminatoris morti ſe tradidiſſe. Unde, etſi alibi diceret, Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, id ita intelligendum foret, ut quidem aliquibus non prædeſtinatis gratias aliquas temporarias meritus ſit; non autem, quaſi pro ſalute æterna eorum morti ſeſe obtulerit, aut ſanguinem fuderit: hoc enim, prout ex dicta propoſitione manifeſtum eſt, ad ſolos pertinet electos, ſeu prædeſtinatos. Porro talis doctrina non ſufficit ut quis dicatur & ſit verus Catholicus. Probatur: Nam Patres Concilii Nicæni trecenti & octodecim, fidei catholicæ Symbolum ita expoſuêre, ut neceſſe ſit, ſi fidem eorum tenere volumus, credere *in Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum . . . qui propter nos homines, ET PROPTER NOSTAM SALUTEM deſcendit de cælo, & incarnatus eſt. . . & homo factus: crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt.* Et quia S. Thoma teſte ube-

1. p. q. 36. a. 2. ad 2.

uberior explanatio Symboli neceſſaria fuit ad ſupprimendos errores; conſequens eſt antiquum errorem, a Queſnello demum hiſce diebus noſtris fuiſſe reſuſcitatum: Janſenio, Calvino, Luthero, Prædeſtinatianis, de quibus jam dictum eſt, vetuſtiorem. Idem error damnatus legitur a Paulo Papa IV. *Bulla edita anno* 1555. ubi varios inter errores, *qui ipſius fidei fundamenta*, ſic Pontifex loquitur, *quatiebant*, hic etiam recenſetur; *Dominum ac Deum noſtrum non ſubiiſſe acerbiſſimam crucis mortem, ut nos a peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad VITAM ÆTERNAM RECONCILIARET*. Docuerat eundem Janſenius, cujus quintam propoſitionem intellectam, *ut Chriſtus pro SALUTE DUMTAXAT prædeſtinatorum mortuus ſit: impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam* declaravit, & uti talem damnavit Univerſa Eccleſia Catholica, præeuntibus Romanis Pontificibus Clemente X. Alexandro VII. cæteriſque hos ſubſecutis. Quidam ex Janſenii diſcipulis, an magiſtri ſui propoſitio, paululum ampliata, in ſpeciem ſaltem, potuiſſet tollerari, tentare olim voluit, aliam hanc propoſitionem aleæ exponens: *Dedit*, Chriſtus, *ſe metipſum redemptionem pro omnibus & ſolis fidelibus*, quod amplius eſt, quam pro ſolis electis & prædeſtinatis: ſed & hanc damnavit Alexander VIII. At Queſnellus, his omnibus minime abſterritus, ad primogenitos ſeu electos, pro ſemper, liberandos reſtrinxit. O! temerarium, quem nequiverunt aliena pericula reddere cautum.

XXIII. Dicet aliquis, falſum eſſe, quod Queſnellus ad ſolos mortem Chriſti reſtrinxerit Præ-

deſtinatos: quippe To *pro ſemper*, indicat modum ſpecialem, convenientem quidem primogenitis, minime reprobis; at propterea non negatur abſolutè mortuus Chriſtus pro his, ultimo loco recenſitis: ſicuti dum Thomiſtæ aſſerunt mortuum eſse Chriſtum efficaci, & conſequente voluntate, ſeu abſoluta pro prædeſtinatis, non cenſentur negare Chriſtum etiam mortuum eſſe pro reprobis. Priuſquam huic evaſioni, primo aſpectu plauſibili, reſpondeam, operæ pretium erit denuo exhibere, quæ fuerit duorum Eccleſiæ Luminum, in hac quæſtione ab adverſis partibus citatorum, Sanctorum, inquam, Patrum & Eccleſiæ Doctorum Auguſtini & Thomæ, circa univerſalitatem redemptionis Chriſti ſententia. Et Auguſtinus quidem non Judam ab illa excludit generalitate, *in pſal.* 68. dicens: *Nec agnovit pretium Judas, quo ipſe a Domino redemptus erat.* Ne vero dicatur, Judam ideo dici redemptum, quia temporalem juſtitiam adeptus eſt; en locum alium quo redemptio Chriſti ad eos etiam extenditur, qui nullum unquam auxilium intrinſece receperunt, nedum temporalem juſtitiam. Deſumptus eſt ex *Lib.* 1. *oper. imperf. con. Jul. n.* 30. ubi ſic Julianum naſo ſuſpendit adunco: *Præclari*, inquit, *Prædicatores! Sic prædicatis Jeſum, ut eum negetis parvulorum eſſe Jeſum. Unde namque hoc nomen accepit, in Evangelio legite, & nolite SALVATOREM NON SALVIS PUERIS INVIDERE.* Hæc meditentur Queſnelliſtæ dum interim Auguſtinum contractum, Thomam, dico, in medium advoco.

XXIV. Angelicus ergo divinæ voluntatis interpres voluntatem Chriſti, non dico, ad tempo-

poralem quamdam juſtitiam dumtaxat, verum ad ſalutem quoque extendit eorum, qui damnantur. Sufficeret quod dicit *Lectione 2. in Caput 8. primæ ad Corinth.* exponens illa Apoſtoli: *Peribit infirmus in tua conſcientia frater &c.* ſic enim ait ibidem: *Peribit infirmus... Propter quem ſalvandum Chriſtus MORTUUS EST?* Sed eſt alius egregius locus, ex 3. *p. quæſt.* 37. *art.* 2. ubi inquirit: *An convenienter fuerit Chriſto nomen impoſitum?* Affirmativæ reſponſionis hanc adducit rationem in corp. *Reſp. Dicendum, quod nomina debent proprietatibus rerum reſpondere... Nomina autem quæ imponuntur aliquibus divinitus, ſemper ſignificant aliquod gratuitum donum, eis divinitus datum, ſicut geneſ. 17. dictum eſt Abræ:* Appellaberis Abraham... *& Matth. 16. dictum eſt Petro:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Quia ergo Chriſto hoc munus gratiæ collatum erat, ut per ipſum OMNES SALVARENTUR; ideo convenienter vocatum eſt nomen ejus JESUS, id eſt SALVATOR.* Clarius adhuc loquitur in *ſolutione 2. argumenti*, deſumpti ex Iſaia de Chriſto dicente: *Vocabitur tibi nomen novum &c.* ex quo inferebatur, nomen Cap. 62. v. 2. *JESUS*, utpote multis commune, non debuiſſe imponi Chriſto. Cui ſic reſpondet Thomas: *Dicendum, quod his qui fuerunt ante Chriſtum, potuit convenire hoc nomen Jeſus ſecundum aliquam aliam rationem; puta, quia aliquam PARTICULAREM & TEMPORALEM SALUTEM attulerunt. Sed ſecundum RATIONEM SPIRITUALIS & UNIVERSALIS SALUTIS, hoc nomen proprium eſt Chriſto; & ſecundum hoc dicitur eſſe nomen novum.* Habemus ergo ex Angelico, adora-

bile nomen *JESUS* non ob temporalem & particularem; ſed ob ſpiritualem & univerſalem quam attulit ſalutem, competere Chriſto.

XXV. Nunc ad effugium Queſnellianum. Demus propoſitionem Queſnelli, prout jacet, non excludere, quod Chriſtus aliquo modo ſit mortuus pro quibuſdam non prædeſtinatis: at per hoc non ſit Queſnellus catholicus. Janſenius dixerat: *Si quid*, Chriſtus, *pro illis*, reprobis, *rogavit Patrem, pro temporalibus quibuſdam juſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, ſuditque ſanguinem ſuum*. Propoſitio 4. ab Alexandro VIII. damnata aſſerebat: Chriſtum *non pro ſolis electis, ſed pro omnibus & ſolis fidelibus, ſe metipſum oblationem dediſſe*: nec tamen propterea doctrina Janſenii, aut quarta illius propoſitionis eſt, aut habetur catholica. Docuerit ergo Queſnellus mortis Chriſti omnes fideles eſſe participes, quatenus virtute illius, temporalibus quibuſdam juſtitiæ effectibus exornantur, per hoc non receſſit a damnata pridem doctrina. Credere teneor ac profiteri, ſicut & Queſnellus tenebatur; juxta Symbolum Apoſtolorum, a SS. PP. in Conciliis generalibus explicatum; quod Chriſtus *propter nos homines* (i. e. propter me, & illum, & iſtum, & ſic de omnibus omnino hominibus; quia *Nos*, in nominativo, valet, *ego & ille &c* juxta S. Thomam. Ergo in accuſativo, *Me, illum, iſtum* &c.) *& propter noſtram SALUTEM deſcendit de cœlo &c.* Hanc fidem Auctor *Reflexionum Moralium*, dum ſcriberet, de Janſeniſmo violenter ſuſpectus, & dum Romæ propoſitiones ejus damnabantur, etiam accuſatus, convictus, & damnatus, clare & nitide exprimere de-

In 4. diſt. 3. a. 2. qu. 1. ad 2.

debebat, ſi eſſe catholicus & haberi volebat. Sed cum hoc ei curæ non fuerit, haud mirandum, quod judicatus ſit juxta regulas a S. Auguſtino obſervatas, in cenſura operum & dictorum Pelagii, de quibus *cap.*|2. §.1.

XXVI. Auctor *Theologiæ Suppl.* a pag.205. ita loquitur, ac ſi hæc propoſitio catholica haberi poſſet, caſu quo Queſnellus alibi dixiſſet, Chriſtum ſufficienter pro reprobis mortem oppetiiſſe: vel, aliquam intentionem habuiſſe, ut reprobis mors ſua prodeſſet. Sed neutrum ſufficiebat; cum Janſenius ultro fateatur primum, & amplius: *Pro dæmonibus*, inquit, *redimendis ſine dubio pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens*: ſecundum vero admittebat etiam Auctor quartæ prop. ab Alex. VIII. damnatæ; & tamen utriuſque propoſitio de morte Chriſti damnata eſt. Nihil ergo iſta Queſnellum juvare poterant. Adducit deinceps varias SS. PP. auctoritates, quas exponere ſolemus, de voluntate Chriſti abſoluta & efficaci. Sed præterquam, illi SS. PP. alibi ſe clarius (prout in præcedd. §§. oſtenſum eſt) explicent; non eâdem cum illis menſura metiendus Queſnellus venit: niſi ſcripta Lutheri e ſua pathmo, Calvini e Genevra, Pelagii ex Paleſtina, quo ille Auguſta, alter e Gallia, tertius Roma, ne ſuos cogerentur deſerere errores, aufugerant, eâdem reverentia, qua SS. PP. ſcripta, tractare velimus. Legat Auguſtini librum *De gratia Chriſti*, ibique diſcat, ſuſpectorum, accuſatorum, convictorum ac damnatorum hæreſis ſcripta exponendi modum. Legat libros *De præd.SS.* & *Dono perſev.* eundem ibi quoque reperiet. Ac ne diu quærere cogatur, ſubminiſtrabo ſpecimen aliquod. Quidam e SS. Patri-

Lib.3. de gra.Salv. c.20.§.4.

tribus Auguſtino antiquioribus uſi fuerant nomine *præſcientiæ*, non *prædeſtinationis*: eo nomine etiam Maſſilienſes utebantur, non tamen eodem modo utrorumque dicta Magnus exponit Auguſtinus. De SS. PP. ait *lib. cit. c.* 19. *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei* Præſcientiam, *& agitur de vocatione electorum, eandem* prædeſtinationem *intelligere?* At vero de Maſſilienſium præſcientia agens, aſſerit, idem eſſe, Deum præſciviſſe aliquorum vel fidem, vel fidei initium, ac deinde eos elegiſſe, ac dicere, eos a ſe ipſis fidem & electionem habere: quod ex toto libro *De prædeſt. SS.* nominatim e *cap.9.* colligi poteſt. Sic dicimus catholici: Quid prohibet, quando apud aliquos SS. PP. legimus nullum perire pro quo Chriſtus mortuus eſt, & agitur de prædeſtinatis, dicta illa interpretari de voluntate abſoluta? Verum, cum de Queſnello agitur, fideliſſimo Janſenii diſcipulo, imo totius factionis capite, eâdem regula uti, recta ratio, jura, exemplum Auguſtini prohibent, vetantque. Sancti Patres haud dubie profitebantur Nicænam fidem, atque cum maxima cordis teneritudine ac gratitudine recitabant verba illa: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem &c.* Pete a Janſenii diſcipulo, an ſincere credat Chriſtum ſuum eſſe redemptorem? Videbis hominem miſere ſe torquentem, aut dubie reſpondentem audies. Hujus rei exemplum dat nobis epiſtola relata ab Ex. D.Steyart, quam hic adjungere, operæ pretium eſſe duxi. Scripta eſt a Doctore Catholico ad Licentiatum de Janſeniſmo ſuſpectatum.

[Margin: De dono perſev.]

[Margin: Tom. 2. Opuſcul. pag. mihi 201.]

XXVII. *ERUDITISSIME DOMINE.*

Cum

Cum intelligam D. V. alibi procul inquirere, quid de tua fide circa Redemptionem Chriſti me fuerat auctore vulgatum: hiſce litteris D. V. ſignificandum duxi, ſuperfluam & ſuſpectam eſſe inquiſitionem illam tuam extra Lovanium, cum hîc me præſentem habeas, qui tibi ante inſtitutam iſtam inquiſitionem obtuli in Hallis *, *etiam per Notarium quem jactabas mittendum ut me interrogaret, plene referre quid de tua fide nuntiaverim. Nunc vero ne te vel alios fruſtra fatiges, totam rei ſeriem commemorabo. Ante biennium die valde (ſic memini) nivoſa, inter collegia ... & ... me ſtitiſti in platea, & queſtus de ſuſpenſa vel adempta tibi facultate ſacras confeſſiones excipiendi, blande & enixe rogabas, ut apud Illuſtriſſimum D. Archiep. noſtrum intercederem, quo tibi reſtitueretur prædicta facultas. Ego reſpondi: Licet de precum mearum ſucceſſu magnopere dubitarem, e veſtigio tamen daturum me tibi atteſtationem mea manu deſcriptam, qua cunctis declararem non eſſe te Janſeniſtam, neque eo nomine debere manere ſuſpenſum a prædicta facultate, ſi huic articulo ſubſcriberes*: Ego fide divina credo D. N. Jeſum Chriſtum eſſe Redemptorem meum, ſeu, pro ſalute mea mortuum eſſe. *Tu quidem ſubridendo reſpondebas*: Quis dubitat? *Ego ingenue me dubitare, an id crederes: & per manicam attrahere, ut ingredereris collegium .... ubi & tua de illo articulo fides, & mea de fide tua declaratio & atteſtatio ſcripto ſignaretur. Tu vero requiſitum præſtare abſolute recuſaſti, & a petita interceſſione urgenda deſiſtere, quam præfato articulo ſubſcribere maluiſti. Illa recuſatione tua, qua rem tam facilem & æquam præſtare noluiſti, cum ſervire tibi poſſet ad obtinendum quod vehementer deſiderabas, firmatum eſt judi-*

* Scholæ ſunt publicæ.

dicium meum de Tua tuorumque Symmiſtarum fide non bona : & ad amoliendam invidiam, quæ Illuſtriſſimo D. Archiep. N. ob revocatas vel ſuſpenſas tuas, & quorumdam aliorum facultates conſtari poterat, libere diverſis narravi, quod inter te & me geſtum fuerat... Habes ergo me ſparſi de te rumoris auctorem paratum ſatisfacere, ſi candide præſtes, quod juſtiſſime poſtulatur. Expectans celerem & apertam atque ſinceram reſponſionem tuam, maneo

Lovanii die XI. Martii 1698.

ERUDITISSIME DOMINE.

Eruditiſſimæ D. V. ad quævis obſequia congrua paratiſſimus famulus N. N. S. T. D. & Prof. Reg.

§. IV.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Proh! quantum oportet bonis terrenis, & ſibimet renuntiaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat, ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Eſt 33. Queſnell. ad Galatas 2. v. 20.

XXVIII. Eſt qui exiſtimat Queſnellum hac propoſitione docuiſſe, renunciationem terrenorum bonorum, per voluntariam paupertatem, eſſe ne-

neceſſariam ad hoc, ut fiduciam habere poſſimus, nobis appropriandi Chriſtum, ejus amorem, mortem &c. ſicque revocaſſe olim damnatas hæreſes Apoſtolicorum, Fratricellorum &c. Senſum hunc præ oculis habuiſſe videtur Auctor *Theol. ſupplicis*, dum annotationem ſuam ita orditur: *Id unum, quantum conjicere licet, in ea propoſitione cenſura dignum viſum eſt; quod ii ſoli, qui bonis terrenis, ac ſibimet ipſis renunciarunt, fiduciam habere poſſe dicantur, applicandi ſibi Chriſti Domini mortem, ejuſdemque amorem: quaſi & alii fiduciam illam habere non poſſint, ac etiam debeant.* Non diſtinguendo inter renunciationem quoad affectum, & quoad effectum, facilius prior ille ſenſus ſubrepere poteſt. Foret quidem, non abnuo, propoſitio illa damnabilis, ſi ita intelligatur; immo antiquatam excitaret hæreſim: verum hunc eſſe obvium ſenſum Queſnellianæ propoſitionis non video. Ecquis enim exiſtimet voluiſſe Paſchaſium eripere fiduciam ſalutis omnibus illis, qui voluntariam non voverint paupertatẽ? Hoc enimvero fuiſſet ſe ipſum (nunquam enim quod ſciam, Queſnellus tale votum emiſit) omni ſalutis fiducia privare: & ſolos religioſos paupertatem profeſſos, quibus Queſnellum & ſocios parum affectos ſcimus, ea fiduciâ donare. Alius ergo, nec unicus, huic propoſitioni, ſenſus damnabilis, obvius tamen, ſubeſt; quem, vel quos reſpexiſſe Clementem XI. in illius damnatione, dubitari non poteſt. Pag.209.

XXIX. Senſus ergo naturales & obvii hujus propoſitionis, ut contentæ in libro, quo ſimul continentur propoſitiones hucuſque expoſitæ, hi ſunt: I. Fiduciam quâ quis ſibi veluti appropriat amo-

amorem, mortem, myſteriaque Chriſti, fundari, non in fide divina de Chriſto pro omnibus paſſo & mortuo, ſed in chriſtiana renunciatione bonorum terrenorum & ſuimet ipſius. II. Fiduciam illam tantam eſſe, quanta fuerit hæc renunciatio. III. Hanc fiduciam nunquam (ſepono revelationem divinam) in hac vita eſſe certam poſſe. IV. Legitimè ſequitur, ex hac propoſitione, nullam eſſe ſpem Theologicam in peccatoribus, imo nec etiam in juſtis, ſecluſa revelatione: qui ſenſus omnes, ut negabit nemo catholicus, verè ſunt damnabiles: igitur ſolum probandum eſt, hos eſſe legitimos hujus propoſitionis ſenſus.

XXX. Probatur primus: Nam fiducia, quâ mihi ipſi quaſi approprio amorem, mortem & myſteria Chriſti, in fide divina minime fundari poteſt, ſi fide eadem non teneo, Chriſtum pro me mortuum fuiſſe. Porro hoc fide tenere nullus poteſt, in principiis Queſnelli; qui, ut in præcedentibus viſum eſt, ſuſtinet, falſum eſſe Chriſtum pro omnibus omnino, nullo excepto, mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe: igitur nullus, citra revelationem, credere fide divina poteſt, pro ſe mortuum eſſe Chriſtum; quippe fidei divinæ nequit ſubeſſe falſum; falſum autem eſſe poteſt, ſi Queſnello credimus, pro me mortuum eſſe Chriſtum: adeoque fide divina tenere hoc non poſſum. Fiducia ergo mea, ſi quam habeo, non ex fide, ſed aliunde, ſcilicet, ex chriſtiana bonorum temporalium, & meimet ipſius renunciatione accerſenda eſt.

XXXI. Ex hoc primo ſenſu habetur ſecundus: fiduciam noſtram tantam eſſe, quanta fuerit dicta renunciatio. Sicut enim, quia juxta principia

pia D. Thomæ, ſpes certitudinem ſuam participat a fide, eo major eſt ſpes & fiducia noſtra quo major fuerit noſtra fides; ita juxta Queſnellum, quia fiducia noſtra fundatur in chriſtiana omnium terrenorum renunciatione, proportionate diſcurrendum eſt. Immo, quantum ſonat illa propoſitio, nullam habère licebit talem fiduciam, niſi magnum in nobis ſentiamus temporalium contemptum: hinc illa exclamatio: *Proh! quantum oportet bonis terrenis & ſibimetipſi renuntiaſſe &c.* Nec dici poteſt cum auctore *Theol. ſuppl. l. c.* ſermonem forte hîc eſſe *de fiducia illa eminenti firmiſſimaque, Apoſtolorum propria; orta ſcilicet ex peculiari revelatione, qua noverant ſe ad prædeſtinatorum numerum pertinere, pro quibus ſpeciali quodam modo mortuus eſt Chriſtus*: talem enim ſenſum nullatenus patitur hæc propoſitio: tum, quia illam eminentem firmiſſimamque fiduciam nullus habere poteſt, citra revelationem; quantumcumque exiſtimet quis ſe affectum temporalium & ſui ipſius abjeciſse: ut nonniſi ineptiſſime de illa locutus fuiſse Queſnellus dici poſſit: tum, quia non dicit Queſnellus ſimpliciter: *Ut facit Paulus*, verum addit: *Dicens, qui dilexit me, & tradidit ſemet ipſum pro me Gal. 2.* Ubi non loquitur Paulus, fretus revelatione Divina de ſua ipſius prædeſtinatione; ſed contra, ait Chryſoſtomus citatus a S. Thoma: *Hic eſt affectus ſervi fidelis, ut beneficia Domini ſui, quæ communiter omnibus data ſunt, quaſi ſibi ſoli præſtita reputet: quaſi enim de ſe ſolo loquens Paulus ita ſcribit ad Gal. 2. Dilexit me & tradidit ſemet ipſum pro me.* Si ad officium ſervi fidelis pertinet hæc expreſſio, teſte Chryſoſtomo, loquitur Paulus divina revelatio-

3. p. q. 1. art. 4. arg. 3.

latione ſepoſita. Rurſus ergo ineptiſſime huic loco appoſuiſſet Queſnellus hanc notam, ſi de apoſtolica fiducia, revelationi divinæ innixa loqui intendiſset: ſed potius eam appoſuiſset Rom. 8. ubi Apoſtolus ait: *Certus ſum quod neque mors neque vita... poterit nos ſeparare a charitate Dei; quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Nihilo tamen minus fuiſset inepta: quandoquidem per quantamcumque temporalium, & ſui ipſius abnegationem, ad eam fiduciam apoſtolicam revelationi nitentem perveniri nequeat. Imo vero: ſi id intendit Queſnellus: nimirum, tantam poſse eſse bonorum temporalium & ſui ipſius abnegationem, ut inde homo certus fiat, certitudine illa Apoſtolica de ſua ſalute, incurrit anathema a
Seſs.6. can.16. Trid. fulminatum: *Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum, ſe certo habiturum, abſoluta & infallibili certitudine dixerit, NISI HOC EX SPECIALI REVELATIONE DIDICERIT, anathema ſit*; Sicque *incidit in prunas cupiens vitare patellam*. Per me ergo liceat *Theologiæ ſupplici* hoc modo exponere Queſnellum: interim ad ſenſum ſuperius datum revertor.

XXXII. Ex quo ſequitur tertium quod per hanc Queſnelli propoſitionem indicari, dixi, nimirum, nunquam in hac vita, *ſecluſa revelatione*, fiduciam certam haberi poſse, Chriſtum pro nobis mortuum eſse, & nos ad æterna bona; ad quæ non pervenitur, niſi per Chriſtum; pervenire poſse. Enimvero Queſnellus fundamentum fiduciæ noſtræ conſtituit in abrenuntiatione ſui ipſius & bonorum temporalium; non in fide, quâ credamus Chriſtum pro nobis mortuum eſse aut pretioſum ſanguinem fudiſse. Porro opera noſtra,

qua-

qualiacumque ſint, certam nobis fiduciam dare nequeunt : neſcit enim homo utrum odio vel amore dignus ſit. Hinc patientiſſimus Job ait: *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendere, pravum me comprobabit*. Et iterum, *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti*. Cap. 9. v. 20. V. 28.

XXXIII. Atque hinc jam pateſcit quartum quod ex Queſnelli propoſitione ſequi dixeram, videlicet, ſpem Theologicam e medio tolli. Eſt enim ſpes, juxta D. Thomam: *Certa expectatio futuræ beatitudinis*... Et, *non innititur principaliter gratiæ jam habitæ, ſed divinæ omnipotentiæ & miſericordiæ, per quam etiam qui gratiam non habet, eam conſequi poteſt, ut ſic ad vitam æternam perveniat. De omnipotentia autem Dei, & miſericordia ejus certus eſt quicumque fidem habet*, Catholicam ſcilicet, non Queſnelliſticam: hanc enim fidem ſequens, confidere haud poteſt, ut dictum eſt, Deum ſibi per Chriſtum propitium futurum, cum non credat, Chriſtum pro quolibet homine mortuum eſſe. His ergo paucis S. Thomæ verbis, quatuor illi, huc uſque expoſiti Queſnellianæ propoſitionis ſenſus funditus evertuntur, ut diligenter conſideranti patebit. Auguſtini quoque authoritate hic error diſſipatur. Dicit enim: *Quid autem ſperari poteſt, quod non creditur?* Quomodo Queſnelliſtæ ſpem ac fiduciam habent, ſe vitam æternam poſſe conſequi, qui non credunt Chriſtum pro cujuslibet hominis æterna ſalute mortuum? 22. q. 18. art. 4. Enchir. cap. 8.

XXXIV. At enim, inquiet Queſnelliſta, quicumque ſenſerit multum ſe jam renunciaſſe bonis temporalibus ac ſibi ipſi; ille ſperare pote-

rit. Quid ergo de peccatoribus dicet? Nonne hoc eſt eos in deſperationis barathrum adigere? *Liceat* ſaltem *ſperare timenti.* Longe hìc aliter Romana id eſt catholica diſcurrit Eccleſia, & cum ea S. Thomas, ne peccatoribus quidem ſpem adimens. Cum enim ſibi objeciſſet textum Auguſtini dicentis: *Si credit & diligit bene agendo, efficit, ut etiam ſperet.* Reſpondet: *Dicendum quod Auguſtinus loquitur de ſpe, qua quis ſperat ex meritis jam habitis ſe ad beatitudinem perventurum; quod eſt ſpei formatæ, quæ ſequitur charitatem. Poteſt autem aliquis ſperare antequam habeat charitatem: non ex meritis quæ jam habet; ſed quæ ſperat ſe habiturum.* Et 2. 2. q. 18. a. 4. c. *Spes certitudinaliter tendit in ſuum finem, quaſi participans certitudinem a fide, quæ eſt in vi cognoſcitiva.* Iterum in reſp. ad 3. *Dicendum, quod hoc quod aliqui habentes ſpem deficiant a conſecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obſtaculum peccati; non autem ex defectu divinæ potentiæ, vel miſericordiæ; cui ſpes innititur. Unde hoc non præjudicat certitudini ſpei.* Spes autem Queſnelliana fidei non innititur: quia ne credit quidem Deum per Chriſtum velle omnes homines ſalvos fieri: acciditque, ſecundum ipſum, ex defectu divinæ miſericordiæ, nedum liberi arbitrii, quod homo deficiat a conſecutione beatitudinis. Quamobrem cogitur, ut aliquam ſpei ſuæ conciliet certitudinem, ad renunciationem bonorum temporalium, & ſui ipſius confugere.

Lib. 1. de doct. Chr c. 37.

1. 2. q. 62. a. 4. ad 2.

XXXV. Obſervandum ergo Queſnellum, licet in multis cum Luthero, aut ſaltem Calvino conveniat, hìc tamen in oppoſitum ab illis iviſſe errorem. Calvinus replevit ſuos diſcipulos præ-

ſum-

ſumptione, idem fecit Lutherus: Queſnellus deſperatione. Primus, dum variis locis aſſerit, velle Chriſtum *fideles a metu damnationis ſecuros eſſe*. Imo 4. *inſtit. cap.* 17. *n.* 2. hanc bellam profert doctrinam: *Nobis ſecure ſpondere* audemus *vitam æternam noſtram eſſe . . . nec regnum cœlorum . . . . . poſſe magis nobis excidere, quam ipſi* Chriſto. Quem imitans Tindalus apud Foxum ait. *Non potes damnari, niſi Chriſtus damnetur; nec Chriſtus ſalvari, niſi tu ſalveris*. Queſnellus vero cum ſuo, *Proh! quantum oportet bonis terrenis & ſibimet ipſi renuntiaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat &c.* omnia replet terrore ac deſperatione. Quotuſquiſque enim eſt, qui ad talem temporalium, & ſui ipſius renunciationem pertingat, ut inde concludere poſſit, Chriſtum pro ſe mortuum? Imo audebit ne dicere Queſnelliſta, homines eo pertingere poſſe, ut ex ſua ad temporalia indifferentia, & ſui ipſorum abnegatione, certa cum fiducia, quæ ſpei chriſtianæ propria eſt, ſibi poſſint quaſi appropriare Chriſtum, ejus *amorem, mortem, aliaque myſteria UT FACIT PAULUS, dicens: Qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me?* Aut ſi hoc audeat affirmare, quid de peccatoribus dicet, qui in ſe nullam ſui ipſorũ & bonorum terrenorum renunciationem ſentiunt? illos perfecto a deſperatione vix ac ne vix quidem ſalvabit. Atque hinc forte ululatus illi ſeu latratus, qui ante aliquod tempus inter factionis illius conſortes obſervari cœperunt; quod publicis nunciis ubique divulgatum ſcimus: niſi forte futurorum infauſta ſint prognoſtica; ſolent enim ventura mala habere horribiles quoſdam præcurſores.

In Actis edi. 1610 pag. 1137

XXXVI. Memoria digna ſunt, quæ ſcribit

R. P. Joannes a Paltz Ord. Erem. S. P. Auguſt.
In Supplemento Cœlifodinæ, impreſſo Lipſiæ 1516.
A f. 158. col. 4. *De peregrinatione vituperabili*: e quibus aliqua hîc annectere, viſum eſt operæ pretium. „ Secun-
„ da peregrinatio, *inquit*, dicitur vituperabilis:
„ & eſt duplex. Una deceptoria; altera com-
„ pulſoria, ſive impetuoſa: & ambæ ſunt a dia-
„ bolo. Videns enim diabolus aliquas eſſe pere-
„ grinationes tendentes ad Dei & Sanctorum
„ honorem, & animarum ſalutem; nititur ſub
„ ſpecie boni etiam aliquas peregrinationes in-
„ ſtituere ad inhonorationem Dei & Sanctorum,
„ & in damnationem corporum & animarum ho-
„ minum: ſicut in veteri teſtamento inſtituit *Ex-*
„ *celſa* i. e. loca adorandi Deum, a Deo prohi-
„ bita, in locis nemoroſis & amœnis, quæ *qui-*
„ *dam Reges deſtruxerunt; propter quod eos Scri-*
„ *ptura præ cæteris commendat*. Sic modo, quam-
„ vis Chriſtianitas ſit plena Eccleſiis & Mona-
„ ſteriis, in quibus glorioſus Dei cultus agitur,
„ quam prius unquam agebatur; tamen nititur
„ ubique novos ſuſcitare curſus.... Primo, ut
„ cultus Dei in aliis Eccleſiis conſtitutus, a po-
„ pulo vilipendatur. 2. Ut ſtructura approbata-
„ rum Eccleſiarum negligatur. 3. Ut populus ſe-
„ quens hujuſmodi vana, a vero cultu Dei re-
„ trahatur &c. *Deinde fol. 159. col. 2. invehitur*
„ *contra currentes iſtos*: Sic tu, *inquiens*, hono-
„ ras diabolum ex tua præſumptione, ſuperbia,
„ & rebellione, quod vadis ad locum nondum
„ approbatum per Eccleſiam, vel Epiſcopum,
„ contra conſilium omnium Doctorum & exper-
„ torum. Tales curſus communiter ſuſcitant peſ-
„ ſimi nequam: ſicut quondam factum fuit in

„ Ni-

„ *Nickelszhuſen* per quemdam, quem Epiſcopus „ Herbipolenſis fecit comburi . . . . Et, ſi allegantur miracula, omnia illa ſunt ficta mendacia, ſive naturaliter facta. Si enim miracula in *Nickelszhuſen* fuerunt ficta, quæ tamen fuerunt in allegatione maxima, non eſt dubium quin ferme in omnibus novis curſibus ſint falſa, vel naturalia. *Addit fol.* 162. *col.* 2. quod olim dum currerent *Flagellatores* hæretici, plura miracula & veriſimiliora confinxerunt: . . . . finaliter tamen compertum fuit, quod omnia fuerunt mendacia & conficta. *Quærit* *deinde*, Quid ergo debemus facere ne decipiamur? *Reſp.* Debes ad quatuor reſpicere. Primo, ad locum, inveſtigando a Superioribus tuis & intelligentibus, an ſit approbatus &c. *fol.* 159. Alia eſt peregrinatio, *ait*, vituperabilis, quæ dicitur curſus compulſorius, ſive peregrinatio compulſoria, ſive impetuoſa; quando videtur hominibus quod compellantur ad peregrinandum, & quod oporteat eos currere, ſicut factum eſt iſto anno 1503. (*duodecim circiter annis antequam Lutherus inceperit hæreſim ſuam prædicare*) per *Miſnam* & *Thuringiam*, quando homines cucurrerunt ad quemdam novum curſum in *Franconia*, ſcilicet *Grymmental*: ſicut etiam quondam cucurrerunt ad *Wiltzenach*, & ante tempora in partibus Rheni juvenes maſculi cucurrerunt in maximo cumulo ad Sanctum Michaëlem . . . . Talis impulſivus curſus non eſt a Spiritu Sancto. Probatur auctoritate & ratione. Primo auctoritate Sacræ Scripturæ Sapien. 7. Spiritus Sanctus eſt *ſuavis*, *benignus*, *ſtabilis*, *certus & ſecurus*, ſci-

Fol. 159. col. 3.

„ licet in ſe, & effective: agitati vero ad taliter „ currendum, neque ſuavitatem ſentiunt ſpiri- „ tûs, neque benignitatem, neque ſtabilitatem „ contra præſentia mala, neque certi & ſecuri „ ſunt de veritate. Sed econtrario ſentiunt quan- „ dam amaritudinem & gravem tentationem ſpi- „ ritûs. Inſtabilitatem, incerti, trepidi, flentes „ & ULULANTES & manibus trementes; ne- „ que de his aliquam rationem reddere valen- tes. „ Quærit deinde idem Auctor *pag.162.col.2.* Quid poſſit hujuſmodi impetuoſus, ſeu impul- ſivus curſus ſignificare? Et addit: „ Reſpondet „ ſpecialiter R. P. Noſter Joannes Dorſten, „ quando determinavit contra ſimilem curſum „ impulſivum, qui agebatur ad *Wiltzenach* Anno „ Domini 1475. dicens: Quando quæritur quid „ ſignificet curſus iſte? Reſpondetur primo, quia „ Deus ſibi ſoli reſervavit certam notitiam futu- „ rorum contingentium, igitur ipſe invocandus „ eſt, ut illuminet ad cognoſcendum pericula, „ & adjuvet ad vitandum. Revelat autem futu- „ ra aliquando ſpecialiter & determinate: ali- „ quando in genere; ut, cum tranſgreſſoribus „ comminatur pœnas; & hoc frequenter fit per „ prodigia, quæ ſic dicuntur, quaſi procul di- „ centia, ſcilicet, ventura. Poteſt autem conſi- „ derari curſus iſte quintupliciter, *proſequitur* „ *idem Auctor ibid. col.3.* Primo ut prodigioſus „ & inſolitus...& ut ſic, ſignificat aliquam pla- „ gam venturam: ſicut dicit Oroſius hiſtoriogra- „ phus, & alii Scriptores, quod frequenter poſt „ prodigia, & inſolita, ſequitur aliqua plaga.... „ Secundo conſideratur iſte curſus ut multitudi- „ nis, quia valde multi currunt: & ut ſic, ſi-

„ gni-

„ gnificat mobilitatem ſeu mutabilitatem ani„ morum, & inconſtantiam mentis, nunc in ho„ minibus ... Tertio, ut multitudinis rudis & „ ſimplicis, hoc eſt puerorum & plebeiorum in„ doctorum: & ſic timendus eſt aliquis error, vel „ deceptio futura. Adverſarius enim, intendens „ ſuperſeminare zizaniam erroris, colligit & „ diſponit materiam ſuſceptibilem ſeminis mali „ .... Quarto conſideratur, ut currunt impe„ tuoſe, ſine deliberatione, turbantes ordinem „ Sanctæ Eccleſiæ; currentes contra obedien„ tiam majorum; & hoc modo ſignificare vide„ tur aliquam ſubitam turbationem venturam, „ non modicum perturbantem ordinem Sanctæ „ Eccleſiæ. Nec incredibilis eſt iſta ſignificatio. „ Cum enim Eccleſia bene ordinata, ſit terribilis „ Diabolo, ut caſtrorum acies ordinata; nihil „ tantum impugnare nititur in Eccleſia, ſicut „ ordinem; qui poſt Chriſtum eſt ſummum bo„ num in Eccleſia. Quinto conſideratur iſte cur„ ſus quoad locum, vel terminum, ubi a multis „ referuntur multæ deceptiones quæſtus cauſa „ fieri, circa venerabile Sacramentum. Et ſecun„ dum hoc timendum eſt, quod ſignificet ſpe„ cialiter aliquem errorem circa venerabile Sa„ cramentum futurum ex Bohemia, vel aliun„ de. „ Hæc præfatus Auctor. Porro notandum, quod explicatio primo data ſit ante turbas Huſſitarum in Bohemia: ſecundo, ante turbas Lutheri in Germania. Finiamus tandem hoc Parergon cum paragrapho, verbis Queſnelli 2. *Theſſ.* 2. *v.* 9. in quæ fortuito, aliud quærens incidi. *Quam juſtum eſt, Domine, ut qui verbo tuo & miraculis tuis ſunt increduli, ac rebelles Regno Amo-*

ris tui, tradantur illuſioni falſorum miraculorum, & tyrannicæ poteſtati Satanæ!

REFLEXIO SECUNDA.

XXXVII. Non ſat accurata idea voluntatis beneplaciti & ſigni; antecedentis & conſequentis in hos, circa voluntatem Dei & mortem Chriſti pro ſalute omnium omnino hominum, Janſenii & Queſnelli errores facile influere potuit. Crediderunt illi voluntates iſtas ita diſtingui, ut una, alteram excluderet. Hinc pro ſtatu innocentiæ non admiſerunt niſi voluntatem beneplaciti, generalem, indiſcretam, & communem, ex qua promanarint & promanaſſent, ſi ſtatus ille duraſſet, auxilia tantummodo ſufficientia, ad ſalutem; quæ ſcilicet, a cujuslibet hominis voluntate, abſque ullo ulteriori auxilio reddi poſſent efficacia ſicut inefficacia. Econtra, pro ſtatu naturæ lapſæ nonniſi voluntatem ſpecialem, diſcretam, ſolis prædeſtinatis auxilia ſolum efficacia, imo neceſſitatem imponentia, cæteris vero, aut nihil omnino gratiæ, aut non ſufficientem ad ſalutem gratiam conferentem agnoverunt. Utinam S. Thomam conſulere voluiſſent, ac ejus doctrinæ acquieſcere! Hic S. Doctor voluntates illas ita diſcrevit, ut tamen unam cum altera ſæpiſſime coincidere, unam & alteram ad ſtatum naturæ lapſæ ſeſe extendere fateatur. Loca varia S. Thomæ, ex quibus hæc doctrina eruitur, jam in antecedentibus adduximus: hic addendus venit unus; ſed, ni fallar, urgentiſſimus, ad oſtendendum voluntatem ſalvandi omnes homines poſt peccatum Adami, neceſſario eſſe debere beneplaciti, ni velimus,

mus ,quod abſit, Deum eſſe mendacem. Deſumitur ex *art.3.quæſt.23. de veritate ad 2.argumentum.* Prætendebat argumentum, quod ſignum divinæ voluntatis foret falſum, ſi id, in quod fertur, non ſit placitum Deo; nihil autem falſi poni debere in doctrina veritatis; adeoque nec voluntatem ſigni,quæ non ſit beneplaciti. Reſp.S.Thomas. *Voluntas ſigni* (tantum) *non pro tanto dicitur, quia ſignificet Deum velle illud,* (in quod ſignum fertur) *ſed quia id quod ſolet eſſe ſignum voluntatis apud nos, voluntas nominatur. Non autem oportet ut id, quod SOLET eſſe alicujus rei ſignum, ſit falſum, quando ei non reſpondet id quod SOLET ſignificare; niſi tunc TANTUM, quando ad ſignificandum illud adhibetur. Quamvis ergo præcipere in nobis ſit ſignum volendi illud, non tamen quandocumque præcipit aliquid vel Deus vel homo, oportet quod ſignificet ſe velle illud eſſe. Unde non ſequitur quod* (ſemper) *ſit ſignum falſum* (*præcipere*, ſed tunc tantum quando ſic præcipitur, ut ſimul præcipiens ſignificet ſe velle illud eſſe, & tamen non velit illud eſſe) *Et inde eſt* (nota) *quod in ACTIBUS non ſemper eſt mendacium, quandocumque aliqua actio agitur, per quam SOLET aliquid ſignificari, ſi illud* (quod SOLET ſignificari) *non ſubſit. Sed in VERBO, ſi non ſubſit illud quod ſignificat, de NECESSITATE eſt falſitas: quia ſcilicet verba ad hoc ſunt INSTITUTA ut ſint ſigna; unde ſi non reſpondet eis ſignificatum; eſt ibi falſitas: actiones autem non ſunt ad hoc inſtitutæ, ut ſignificent, ſed ut aliquid per eas fiat; accidit autem quod per eas aliquid ſignificetur.*

XXXVIII. Ex hac S. Thomæ doctrina ſequitur, quod ſi aliud nihil haberemus in Scripturis

ris quam præcepta annuntiandi omnibus gentibus Evangelium, conſilia orandi pro omnibus omnino hominibus, prohibitionem de non dando ulli hominum aliquod ſcandalum, quæ ſunt ſigna divinæ voluntatis ſalvandi omnes homines, nullum foret, ex hac parte, inconveniens, dicere, quod voluntas omnes ſalvandi, non ſit beneplaciti: quia hujuſmodi præcepta, conſilia, prohibitiones, ſunt actiones non per ſe ſignificantes formaliter, Deum velle omnes ſalvari; licet ſoleant apud nos eſſe ſigna, quod aliquid velimus. Sed plus tenemus ex Scripturis; formalia verba habemus, quibus Deus ſignificat ſe velle ſalutem etiam eorum qui pereunt; nec deſunt ea reſpectu Chriſti Domini. *Ezech. cap. 18. v. 23. Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis ſuis, & vivat?* Et *cap. 33. v. 11. Vivo .... ego dicit Dominus. Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua & vivat. Convertimini, convertimini a viis veſtris peſſimis: & quare moriemini Domus Iſrael? Matt. 23. v. 37. Jeruſalem, Jeruſalem .... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat filios ſuos ſub alas, & noluiſti? &c.* Si ergo in Deo non eſſet vere voluntas ſalvandi impios: ſi in Chriſto non fuit vere, congregandi filios Jeruſalem, falſitas erit in verbis iſtis: Quod im pium eſt cogitare.

XXXIX. Tam certum ergo eſt, Deum velle, voluntate beneplaciti, antecedente & conditionata omnes homines, etiamſi peccatores ſint, ſalvos fieri, Chriſtum Jeſum pro illis omnibus ſeſe in ara crucis obtuliſſe, quam ſit certum, Deum mentiri nequaquam poſſe: id eſt certitudine Fidei.

dei. Quid quod PP. trecenti & octodecim in Nicæno Concilio, & alii in ſubſecutis Conciliis, uſque ad Tridentinum incluſivè, in ſua fidei profeſſione inſeruerint hæc gravia ac conſolatoria verba: *Credo .... & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei Unigenitum .... Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt, de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit?* Quid quod Eccleſia verba illa poſuerit in ore omnium Sacerdotum, dum celebrant? Quid quod injungat Paſtoribus per
ſuum Catheciſmum, ut exponant populis, no- ad 2. Symboli Art. num. 6.
men *Jeſu* propriiſſime convenire Salvatori noſtro eam ob cauſam? *Multi quidem*, inquit, *eo nomine (Jeſus) fuerunt in divinis litteris: nam idem nomen Joſue, Nave filio, qui Moyſi ſucceſſit, & populum a Moyſe ex Ægypto liberatum, in terram promiſſionis, quod illi negatum fuerat, deduxit: eodem etiam nomine, filius Syrach Jeroſolymita, qui renovavit ſapientiam de corde ſuo, & Joſedech Sacerdotis filius, appellati ſunt. Sed quanto verius Salvatorem noſtrum hoc nomine appellandum exiſtimabimus? qui non uni alicui populo, ſed UNIVERSIS OMNIUM ÆTATUM HOMINIBUS, non quidem fame, aut Ægyptiaco, & Babylonico dominatu oppreſſis, ſed in umbra mortis ſedentibus, & duriſſimis peccati, & diaboli vinculis obſtrictis, lucem, libertatem, & SALUTEM dederit: qui eis COELESTIS REGNI JUS & HÆREDITATEM acquiſiverit: qui eos Deo Patri RECONCILIAVERIT?* Hæc, inquam, non juberet Romana Eccleſia populis proponi

in Symboli explicatione, niſi Jeſus noſter ſeipſum pro *univerſis omnium ætatum hominibus*, & pro eorumdem æterna *ſalute* in ara crucis obtuliſſet. Immo, cum juxta *S.Thom.* 1. *p.q.* 36. *a.*2. *ad* 2. *in quolibet Concilio inſtitutum* fuerit *ſymbolum aliquod propter errorem aliquem qui in Concilio damnabatur*, ſic tamen, ut *ſequens concilium non* faceret *aliud ſymbolum quam primum*: *ſed id quod IMPLICITE continebatur in primo ſymbolo per aliqua addita* explanaretur: conſequens omnino eſt, hanc, quam defendimus, veritatem, in ipſo Apoſtolorum Symbolo, implicitè contineri: fuiſſeque in Nicæno damnatos, qui contrarium aſſerebant.

XL. In hac fide potiſſimum ſpes chriſtiana fundatur. Hinc S. Thoma teſte, in ipſo fidei
2.2.q.17. art. 6. ad 2. ſymbolo ponitur expectatio ad ſpem pertinens, cùm dicitur: *Et expecto reſurrectionem mortuorum; & vitam venturi ſæculi*, ſive, æternam: Non quod expectatio illa ſit actus proprius fidei, *ſed inquantum actus ſpei præſupponit fidem*: *fidem*, inquit art. 7. c. *per quam nobis innoteſcit, quod ad vitam æternam poſſumus pervenire, & , QUOD AD HOC PARATUM EST NOBIS DIVINUM AUXILIUM*. At quomodo talem ſpem habere poſſunt Queſnelli aſſeclæ, qui nec ſciunt ſe de numero eſſe prædeſtinatorum, nec credere volunt, *Divinum auxilium omnibus paratum eſſe*, quò ad vitam æternam omnes poſſint pervenire; quin potius credant, Deum nullo modo velle omnes homines ſalvos fieri? Refugient ne ad bona ſua opera; ad renunciationem ſui ipſius, ac terrenorum bonorum? Sed quis neſcit inde nullam certam fiduciam haberi poſſe? *Ante terribilis judicis*

dicis ſubtile atque incomprehenſibile examen, inquit S. Gregorius, *non ſolum mala quæ commiſimus, ſed ipſa etiam, ſi qua in nobis ſunt, bene geſta timeamus: quia ſæpe in juſto judicio culpa eſſe deprehenditur, quod virtus ante judicium putatur.*

Lib. 3. Moral. c. 5.

XLI. Sed, vult Apoſtolus, ut cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur. At, idem etiam Apoſtolus ita ait: *juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum; per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Non minus cavenda deſperatio, quam præſumptio: media via incedendum, ſpem inter & timorem. Aſt timor non ex diffidentia de Dei univerſaliſſima miſericordia, ſed ex noſtræ oriatur infirmitatis conſideratione. Dubitare namque de Dei bonitate aut miſericordia, blaſphemiæ eſt: vereri opera ſua, etiam bona, modeſtiæ eſt & humilitatis: in nobis ergo cauſa eſt timoris; in Deo cauſa fiduciæ noſtræ. *In Domino ſperans non infirmabor. Pſ. 25. v. 1.*

ad Rom. 5.

CA

CAP. V.

De gratia hominis lapſi.

ſ. I.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurá notatæ.

Gratia non eſt aliud quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet. Eſt XI. Queſnellus Marci 2.v.11.
Dei gratia nihil aliud eſt, quam ipſius omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis ſcripturis. Eſt 19. Queſnellus ad Rom. 14.v.4.
Vera idea gratiæ eſt, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt. Eſt 20. Queſnel. Mar. 4.v.39.

I. QUidam ſcribens in hanc propoſitionem penultimam, poſtquam dixit, quod gratia actualis ſit nobis intrinſeca, & non Dei voluntas extrinſeca; quia nomen gratiæ actualis, ſeu auxiliaris propriè convenit actibus intellectûs & voluntatis, addit: ***Nec in Scripturis, Conciliis, & Patribus, aut Traditionibus ſit mentio auxilii ullius ſupernaturalis conſiſtentis in alia forma,***

aut

aut qualitate mortua, ſeu non vitali, quæ diſponat & moveat voluntatem ad ſalutariter operandum: ſicque ſub prætextu ſcribendi contra Queſnellum, invadit, nihil cum eo commercii habentes, Thomiſtas. Si hujus loci foret hos vindicare, facile foret ex Scripturis, Conciliis, Patribus ac Traditione, hujuſmodi auxilium fluidum probare. Sufficiat in præſenti ea exſcripſiſſe, quæ noſter Eminentiſs. S.R.E. Cardinalis Gotti habet *Tom. 9. Theol. q. 2. dub. 2. §. 2. num. 11.* ubi ſtatuit & probat ſequentem concluſionem: *Dico, in præfata diviſi one* (gratiæ in operantem & cooperantem) *dividitur etiam gratia actualis creata: non quidem quæ ſit noſtra actio, ſed quæ ſit actionis noſtræ principium: aliqua nimirum vis, per modum tranſeuntis, menti noſtræ impreſſa; qua Deus operatur & cooperatur in nobis ea, quæ ad ſalutem pertinentia volumus & facimus. Nam quæcumque bonæ actiones noſtræ aſſignentur, quamvis ſint quædam gratia, quatenus gratuito nobis donantur; propriè tamen non ſunt gratia actualis. Quia gratia actualis eſt illa, per quam Deus nos movet, vel nobiſcum cooperatur ad actiones bonas, ſeu ſalutares faciendas: & per conſequens ea gratia debet eſſe quoddam iſtarum actionum principium; & illæ actiones illius gratiæ effectus eſſe debent.* „ Et confirmat hoc D. Thomas 1. 2. *q.* 111. *art.* 2. ubi gratiam actualem, quam dividit in operantem & cooperantem, vocat *Divinum auxilium, quo Deus nos movet ad bene volendum & agendum*: ergo ex mente S. Doctoris, gratia non eſt ipſa volitio, ſed aliquid prius, & cauſa noſtræ volitionis. Et in reſponſione ad 3. *Homo autem*, inquit, *per gratiam operantem adjuvatur a Deo, ut bonum velit:*

,, *lit*: ergo bonum velle, eſt effectus gratiæ ope-
,, rantis, & non ipſa gratia operans. Unde in cor-
,, pore ejuſdem articuli ait: *Si gratia accipiatur*
,, *pro gratuita Dei MOTIONE, qua movet nos*
,, *ad bonum meritorium, convenienter dividitur gra-*
,, *tia per operantem & cooperantem*. Quibus appa-
,, ret S. Doctorem loqui de gratia actuali; quæ
,, non ſolum diſtinguatur ab actione creatæ vo-
,, luntatis, ad quam movet, & quam facit, ut
,, cauſa; ſed quæ diſtinguatur etiam a Deo, &
,, ab actione æterna, & increata Dei, tamquam
,, motio, & impreſſio temporalis ab ea producta
,, in voluntate creata, quâ Deus voluntatem
,, movet: unde illam vocat *auxilium, motionem*...
Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. ,, Imo S. Auguſtinus explicans modum, quo
,, Deus facit ut velimus, ac faciamus, dicit,
,, quod hoc præſtat *præbendo vires efficaciſſimas*
,, *voluntati*. Item, *lib. de grat. Chriſ. cap.* 2. gra-
,, tiam conſiſtere ait, *in aliqua ſubminiſtratione vir-*
2. Sent. diſt. 26. in fine. ,, *tutis*. Et S. Bonaventura dicit: *Unde non eſt aliud*
,, *dicere, gratiam movere liberum arbitrium, quam*
,, *gratiam eſſe inſtrumentum Spiritus Sancti ad mo-*
,, *vendum liberum arbitrium*. Non eſt ergo gra-
tia actus liberi arbitrii, ſed inſtrumentaria virtus, quâ Spiritus Sanctus movet liberum arbitrium ad actum. Hæc per tranſennam dicta ſint; ut pateat antiquitas, nobilitas, orthodoxia ſyſtematis, ponentis gratiam actualem operatricem in auxiliis fluidis & tranſeuntibus. Nunc ad Queſnellum revertamur.

Vita Cle. XI. l. 4. n. 37. II. Cum Janſenii cariſſimi magiſtri ſui *neceſſitantem gratiam* in vulgus propagare, *Reflexionibus* ſuis *moralibus* apud ſe ſtatuiſſet Queſnellus, ea idea gratiæ propinanda erat, quâ ſemel deguſtatâ, error

error ipſe abſque nauſea ebiberetur. Propoſito huic fini, convenientiſſimum viſum eſt, ſi crederetur gratia aliud eſſe nihil, præter Dei omnipotentiſſimam voluntatem. Tum nec unquam reſiſti, nec gratiæ reſiſti poſſe, non difficulter, hac idea imbutis, perſuaſurum ſe credidit. Scilicet, quia Scripturæ ipſæ dicunt: *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Rom. 9. v. 19.
Et: *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati*. Huc Eſth. 13. 9.
ergo collimant propoſitiones iſtæ: diſponere legentium animos, ut credant facilius, gratiæ Dei nec reſiſti, nec reſiſtere quemvis poſſe. Unde quemadmodum arbor virtute continetur in ſemine: ita in his propoſitionibus gratia ipſa neceſſitans Janſeniana: dicam melius; Lutheri & Calvini, virtualiter continetur. Nemo igitur inquirat, cur propoſitiones iſtæ ſint damnatæ? Merito quippe damnatur ovum, ex quo venenatus pullus prævidetur naſciturus. Niſi dicere mavis, ovum eſſe pullum jam inchoatum; eademque cum illo cenſura dignum.

III. Ineſt tamen alia hiſce propoſitionibus malitia. Cum enim indefinitæ ſint, & in materia doctrinali, æquivalent univerſalibus propoſitionibus. Unde ſignificant, nullam dari gratiam, per Spiritum Sanctum cordibus noſtris infuſam, eiſque inhærentem: quod damnatum eſſe in Œcumenico Concilio Tridentino, *c. præced. p. 94. n. 17.* oſtendimus. Deinde, ſi gratia *non eſt aliud, quam voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*, ubi erit gratia ſufficiens, qua opus nullum fit quidem, fieri tamen poteſt? Ubi gratia, cui ſecundum Scripturas, Concilia, Romanoſque Pontifices ſæpe reſiſtitur? Aut ſi in hoc ſtatu nunquam reſiſtitur gratiæ, perperam, quod

abſit, damnata eſt ſecunda Janſeniana: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Nec juvat quod Queſnellus nullam admittat gratiam *interiorem*: nempe ex hoc capite præ Janſenio merebatur condemnari; prout ex dictis colligi poteſt. Cæterum, quod de negatione gratiæ ſufficientis obiter dictum eſt, in ſequentibus magis confirmabitur, ad quæ Lectorem remitto.

ſ. II.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis; utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela & imitatio operationis Dei incarnantis & ſuſcitantis filium ſuum. Eſt 21. Queſnellus 2. ad Cor. 21.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in incarnatione, velut in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ: quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio. Eſt 22. Queſnellus Lucæ 1. 38.

Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis ope-

operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quâ creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam. Eſt. 23. Queſnellus ad Romanos 4. 17.

Juſta idea quam Centurio habet de omnipotentia Dei & Jeſu Chriſti, in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ, in ſanandis animabus a cupiditate. Eſt. 24. Queſnellus Lucæ 7. v. 7.

Deus illuminat animam & eam ſanat, æque ac corpus, ſola ſua voluntate; jubet & ipſi obtemperatur. Eſt 25. Queſnellus. Lucæ 18. 42.

IV. „ Ad hanc ſummam revocantur propoſi-
„ tiones illæ omnes: quod operatio divinæ gra-
„ tiæ in flectenda movendaque hominis volunta-
„ te, ſimilis eſſe dicatur operationi divinæ, qua
„ Deus res omnes creando produxit, humanam
„ naturam divinæ in incarnatione conjunxit,
„ mortuos ſuſcitavit, ægris ſanitatem reſtituit „
Ait *Theol. ſup.* & bene: verum in hiſce Dei operationibus multa conſiderari poſſunt. Nempe 1. Infallibilitas in effectu producendo. 2. Defectus reſiſtentiæ, ac etiã reſiſtendi potentiæ in creatura, quæ aut producitur, aut ſanatur pro nutu & imperio Dei, aut alteri naturæ unitur. 3. Modus operandi: nam hæc opera ita Deo auctori adſcribuntur, ut ad ea creatura, nullatenus activè, ſed mere paſſive ſe- Pag. 184.

 ha-

habeat. 4. Demum gratuitas: quatenus nullis præcedentibus meritis, & mundus creatus eſt, & humana natura divinæ copulata, & mortui ſuſcitati ſunt &c. Poteſt ergo operatio gratiæ hiſce divinæ potentiæ operibus comparari, ſive quantum ad omnes illas prærogativas, ſive quoad aliquam vel aliquas tantum. Et quidem fatetur mox citatus auctor, quod ſi comparationes incarnationis, creationis, ſuſcitationis mortuorum, curationis ægrorum adhibitæ forent a Queſnello, ad gratiæ *neceſſitantis*, ſolam libertatem a coactione exigentis, ideam ac ſpeciem animis ingerendam; *quaſi tam non poſſit voluntas humana gratiæ diſſentire, quam non potuit humana in Chriſto natura negare ſe Verbo Dei, eam ſibi ad unionem hypoſtaticam aſſumenti; nec potuêre creaturæ ex nihilo eductæ negare ſe creatoris imperio; nec ſuſcitati mortui negare ſe Chriſti voci, nec demum reſtituta ægris membra ſubducere ſe omnipotentis medici juſſui valuerunt: ad*
Pag. 185. *hoc, inquam* (Verba ſunt illius auctoris) *adhibitæ comparationes, ineptæ omnino ſunt, & in hæreſim apertam inducunt.* Nihil ergo ſupereſt, quo pateat meritiſſime has propoſitiones a Clemente XI. damnatas eſſe, niſi ut probetur, a Queſnello inſtitutas ſimilitudines illas, ad inculcandum, cum divina gratia neceſſitante, ſolam ſpontaneitatem, in homine lapſo, ad libertatem ſufficere: id eſt, ſatis eſſe, quod homo gratiæ conſentiat ſponte, etſi neceſſitate impellente; dummodo non cogente.

V. Id probare non difficilis eſt negotii. Si enim ego, aut alius quivis Theologus, exempla illa incarnationis, creationis, ſuſcitationis mortuorum, aut ſanationis ægrotorum aptiſſima

eſſe

eſſe ad oſtendendam *concordiam libertatis cum divinæ gratiæ efficacia* diceret, nonne merito mihi aut illi tribueretur, quod ſentiret ad libertatem minime requiri indifferentiam ad oppoſita, ſufficere ſolam ſpontaneitatem, ſive immunitatem a coactione? Utique dices: nam in omnibus illis exemplis aliud nihil quam pura ſpontaneitas, ſeu immunitas a coactione, minime vero a neceſſitate reperitur: itaque, ſi hominem liberum eſſe ſub gratia dicerem, quia ſe habet ſicut illa, circa quæ operationes iſtæ divinæ verſantur; liberum dicerem, quia ſpontaneè homo agit non coacte: minime vero ex eo quod ad oppoſita indifferens ſit. Sic autem ſeſe res habet cum Queſnello. Exempla illa induxit ut oſtenderet, qualiter cum efficacia gratiæ cohæreat arbitrii libertas; nedum ad probandam gratiæ efficacis infallibilitatem, ejuſve gratuitatem: quod ut probem ſolum repetenda eſt propoſitio 22. hìc ordine ſecunda: *CONCORDIA*, inquit, *omnipotentis operationis Dei in corde hominis, CUM LIBERO IPSIUS VOLUNTATIS ARBITRIO, demonſtratur illico nobis in incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ & gratiæ*. Viden' qualiter exemplo incarnationis utatur, ad explicandam gratiæ, & libertatis concordiam? Quod ſi comparatio ſubſiſteret, dicendum foret: ideo liberum arbitrium manere illæſum ſub gratia, quia non coactè, ſed ſpontanee operatur, ſeu, ad agendum applicatur; ſicut humanitas non coacte, ſed ſponte unitur divinitati in incarnatione: eſt enim comparatio, diverſarum rerum in ſimili qualitate collatio. Et licet poſtea in eadem Queſnelli propoſitione ſequa-

tur: *Quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio*: inde non ſequitur, quod comparatio illa inducta ſit unicè, ad oſtendendam gratuitatem & dependentiam gratiæ a Deo; ſed, quod non adhibita ſit unicè, ad oſtendendam liberi arbitrii cum gratia concordiam; verum ad alias etiam gratiæ divinæ proprietates oſtendendas.

VI. Confirmatur hæc probatio ex Auguſtino. Pelagius in ſcripto, neſcio quo, confeſſus videbatur gratiam Dei. Id legens Auguſtinus, *Lætitia repente*, inquit, *perfuſus ſum ... ſed pergens legere cætera, primo ex datis ſimilitudinibus, cœpi habere ſuſpectum. Ait enim*: „ Nunc ſi dixero, „ homo diſputare poteſt, avis volare, lepus „ currere, & non etiam per quæ hæc effici poſ„ ſunt commemoravero. i.e. linguam, alas, pe„ des, num ego officiorum qualitates negavi, „ qui officia ipſa confeſſus ſum? „ *Videtur certe hæc eum commemoraſſe, quæ natura valent..... non tale aliquid poſuit quale de gratia intelligi volumus*. Hæc Auguſt. Cum ergo Queſnellus ad oſtendendam gratiæ cum libero arbitrio concordiam, utatur ſimilitudinibus, ſolam coactionem excludentibus; ejus propoſitiones juxta Auguſt. ut minimum ſuſpectæ ſunt, quod tendant, ad gratiæ neceſſitantis, ſolam libertatem a coactione exigentis, ideam ac ſpeciem animis ingerendam.

De nat. & grat. c. 11.

VII. Eſt & aliud quod in hiſce propoſitionibus male olet, nempe, ſi *omnis* gratia ita, ut creatio mundi, reſuſcitatio mortuorum &c. eſt gratuita, poterit Deus omnem gratiam; & citra injuſtitiam, & citra indecentiam ullam negare

ho-

homini, etſi juſto, conanti & volenti: ſicque patet porta ad primam Janſenianam. Quapropter, ſecundum regulam noſtram ſecundam, proſcribi debuerunt: attento vel maxime, quod auctor earum primam Janſenii defendiſſe compertum eſſet, *ut pag.* 56. *num.* 10. dictum eſt. Pag. 41.

VIII. Fateor tamen his exemplis non incongruè poſſe explicari gratiæ *efficacis* infallibilitatem, & indefectibilitatem; quandoquidem, ut obſervatur *in Theologia ſupplici*, ad hoc, non modo apta concinnaque exempla illa ſint, verum etiam ex Sacris Litteris petita; & a SS. Patribus, ut hoc idem oſtendant, millies uſurpata. *Ad Epheſ.* 1. *v.* 18. 19. *&* 20. *Ut ſciatis .... quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus, ſecundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis*. Ecce explicatam efficaciam gratiæ exemplo ſuſcitationis Chriſti a mortuis. Ibidem *c.* 2. *v.* 10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*: explicat efficaciam exemplo creationis, *creati* inquit; gratuitatem: *in operibus bonis, quæ præparavit Deus*; non ſolum *prævidit*. *Ad Galat.* 6. *v.* 15. *In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*. Ecce rurſus gratiæ collationem creationi aſſimilatam. Valent quoque hæc exempla ad oſtendendam gratuitatem *totius cumuli* gratiarum, vel *primæ gratiæ*: quam independenter ab ullo bono voluntatis noſtræ motu, qui nobis eſſet ex nobis, à Deo largiri, SS. PP. conſtantiſſime docuerunt. S. Auguſt. *lib. de Prædeſt. SS. cap.* 15. *Eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis &* Pag. 186.

gratiæ ipſe Salvator, ipſe mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus: qui ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparavit? En gratiæ noſtræ gratuitatem exemplo incarnationis explicatam. Hoc rurſum repetit *De Dono perſev. cap.24. Nullum autem eſt illuſtrius prædeſtinationis exemplum, quam ipſe Jeſus.* Et quibuſdam interjectis, *Qui ergo hunc*, inquit, *fecit ex ſemine David hominem juſtum, qui nunquam eſſet injuſtus, ſine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipſe ex injuſtis facit juſtos, ſine ullo merito præcedentis voluntatis ipſorum; ut ille caput, hi membra ſint ejus.* Quod etiam habet in Enchir. cap.36. item *de Geneſi ad litt. lib. 8. cap. 12.* explicans illud Apoſtoli, ad Eph. 2. *Ipſius enim ſumus factura*, ſive, ut ipſe legit, *figmentum*, ait: *Ipſius enim ſumus figmentum, non tantum ad hoc ut homines ſimus, ſed ad hoc etiam ut boni ſimus.* Sanctus Proſper ſimiliter efficaciam, infallibilitatem, indefectibilitatem & gratuitatem gratiæ deſumit

Cap. 17. ex beneficio creationis, in carmine de ingratis.

At ſi dimota certandi nube, ſerenis
Quæ ſunt vera oculis mecum intueâre modeſte;
Et vetera exemplis manifeſtis plena videbis
Secula, & in noſtro cognoſces tempore multa,
Quæ doceant, VIRTUTE DEI converſa malorum
Corda, quibus RECTI NIHIL unquam inſederat, & quæ
NULLUM juſtitiæ SIGNUM SENSUMVE gerebant.
Namque ut nunc ſævas gentes & barbara regna
Ignoti prius, aut ſpreti, nova gratia Chriſti

At-

Attrahit, & terra templum ſibi condit in omni;
Sic prius immites populos, urbeſque rebelles
Vincente obſtantes animos pietate, ſubegit.
Non hoc conſilio tantum hortatuque benigno
Suadens atque docens, quaſi normam legis haberet
GRATIA, ſed mutans INTUS mentem atque reformans,
Vaſque novum ex fracto fingens, VIRTUTE CREANDI.

IX. Hiſce finibus ſi continuiſſet ſeſe Queſnellus, nullus ei litem moviſſet. Verum, cum hiſce exemplis uſus ſit, ad oſtendendam gratiæ & liberi arbitrii concordiam; merito damnatus eſt, tamquam qui aperte doceat, ad libertatem non requiri indifferentiam ad oppoſita; ſolamque ſufficere ſpontaneitatem, ſive quod idem eſt, immunitatem a coactione; quod jam olim in Janſenio damnatum & Calvino: in quorum hæreſim exempla illa, ita aptata, ad declarandam ſcilicet hujuſmodi concordiam, *apertè*, uti fatetur auctor *Theologiæ ſupplicis inducunt*. Pag. 185.

X. Quin, ſi rigoroſam hiſce propoſitionibus litem movere volumus, Lutheranæ quoque hæreſis fibram non exiguam, facile erit deprehendere: ſcilicet, quod ſicut humanitas in incarnatione, creaturæ omnes in prima ſui productione, mortui in reſuſcitatione, infirmi in ſua curatione, ſolum paſſive ſe habuerunt; ita quoque liberum hominis arbitrium, in operationibus gratiæ, ſolum paſſive ſe habeat: quod ad Lutheri ſpectat hæreſim, uti eruditis notum eſt, & Queſnelli hæc verba ſignificant: *Omnes* operationes gratiæ *ita .... dependentes a Deo ſunt, ut ipſa originalis operatio*: id eſt, tamquam a principio effecti-

ctivo adæquato. Voluntas ergo ſolum paſſive ſe habet.

§. III.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Gratia eſt operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire POTEST aut retardare. Eſt 10. Queſnellus *Matth.* 20. 34.

XI. Præcedenti paragrapho ab exemplis, quibus Queſnellus utitur, oſtenſum eſt, gratiam, pro ſtatu naturæ lapſæ ſolam ſpontaneitatem ſeu immunitatem a coactione nobis relinquere: imo ſub gratia liberum arbitrium ſe dumtaxat paſſive habere; tantundem enim ſignificant exempla illa, ſi rigorosè expendantur; Queſnellumque incidiſſe in hæreſim Lutheranam. Sed demus aliquid gratis Queſnello; non in toto rigore juris capiantur exempla iſta; ſit immunis a Lutheraniſmo; at non propterea ſtatim evadet catholicus. Eſt inter Fidem catholicam & Lutheraniſmum cahos magnum: a dextris præcipitia in quæ incidere, a ſiniſtris duræ cautes, ad quas allidere facillime quis poſſit, niſi lucernam poſitam ſupra candelabrum, Romanæ, inquam, Eccleſiæ deciſiones continuo præ oculis habeat. Viam rectam demonſtrat Tridentinum, dum *Seſſione 6. can.* 1. 2. & 3. monuit Pelagianorum & Semipelagianorum errores cavendos: deinde *can.* 4. accedens ad condemnanda Lutheri dogmata, non ſolum anathematizat eos qui dixerint, *Liberum arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari, ſed veluti inanime quodam*

dam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere; verum eos quoque, qui dixerint: *Neque poſſe diſſentire, ſi velit*. Eſto ergo Queſnellus gratis a Lutheraniſmo abſolveretur, negari tamen haud poteſt, in hunc poſtremum errorem incidiſſe. Hoc probatum dedi §. præcedenti ab exemplis quibus utitur: hic vero etiam patet ex propria ejuſdem confeſſione. *Gratia*, inquit, *eſt operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire POTEST aut retardare*.

XII. Quam eſt hæc propoſitio ſimilis huic Calvini: *voluntatem movet*, Deus, *non qualiter multis ſæculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari: ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties a Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt*: Quem trahit volentem trahit! Item: *Medium, quem Sophiſtæ imaginantur motum, cui obſequi, vel quem repellere liberum ſit, aperte excludi videmus, ubi aſſeritur efficax ad perſeverandum conſtantia*. Sed, ait auctor *Theol. ſuppl. Pares omnino loquendi formulas, immo graviores, majoriſque nervi in Auguſtino deprehendo; quibus gratiæ ſeipſa efficacis intimam energiam, vim prorſus invictam, indeclinabilem poteſtatem, inſuperabilem fortitudinem millies commendavit*. Tam artificioſe hæc dicuntur, ut ea legens exiſtimare poſſet, Queſnellum duplex diſtinxiſſe gratiæ genus, aliud quod ſufficiens dicimus, aliud efficax; ac de hoc poſtremo membro protuliſſe propoſitionem quam modo exagitamus. Niſi hoc ſupponatur, totum, quod hic dicit, recidit in nihilum. Quid enim, ſi Auguſtinus ſimilia dicat de gratia *ſeipſa efficaci*; an propterea non erat damnandus Queſnellus, qui

Lib. 2. Inſtit. c. 3. n. 10.

Ibid.

Pag. 157.

de

de gratia univerſim eadem prædicat? Et ubi in toto *Obſervationum* libro inveniet aliquid, quo hanc aſtutè ſuppoſitam gratiæ diſtinctionem ſtabiliat? Sed pergamus, videamuſque ubinam Auguſtinus loquatur paria, & majoris etiam nervi ac Queſnellus.

XIII. Ex omnibus, quæ producit, locis, nullus in ſpeciem fortior, deſumptô ex *lib. de corrept. & grat. cap.* 14. ubi Auguſtinus inter cætera ait: *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei humanas voluntates non POSSE reſiſtere, quo minus faciat ipſe quod vult &c.* Hæc omnino videtur dicere idem cum illa Queſnelli propoſitione: imo cum iis quæ antea ex Calvino retulimus. Attamen a prætenſa hac cum Calvino, adeoque cum Queſnello, colluſione, pridem Serrius noſter ultus eſt Auguſtinum, in ſuo contra Launoyum *Auguſtino vindicato*, cujus verba hîc tranſcribere non piget: „ Patitur & iſta (propoſitio) duplicem ſenſum. Aut enim de obſiſtendi poteſtate, actui „ conjuncta, ſermo fit; ut nimirum contingere „ reapſe non poſſit, ut Deo efficaci gratiá mo- „ venti reſiſtat homo: eſtque Auguſtiniana, ea- „ demque probatiſſima doctrina laudatis paulo „ ſupra Scripturarum, Conciliorum, atque Pon- „ tificum teſtimoniis confirmata: Aut de pote- „ ſtate ab actu ſejuncta, quam Scholæ Magiſtri „ antecedentem appellant, ſermo venit; quaſi ne „ diſſentiendi quidem potentiam ſervet homo, „ ſub imperio divinæ gratiæ; eſtque Lutheri (addamus & Calvini ac Janſenii) deteſtandus er- „ ror, ab Auguſtino apertiſſime prædamnatus, „ cum alibi ſæpe, tum maxime *libro de ſpir. &* „ *litt. cap.* 34. *Quando Deus agit cum anima ratio-*

Pag. 42.

„ *nali*,

„ *nali, ut ei credat (nec enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat) profecto & ipſum velle credere Deus operatur in homine: & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* „

XIV. Ecce qualiter Auguſtinus in libera hominis voluntate, tunc etiam, *quando Deus agit cum anima rationali. ut ei credat*; quando jam adeſt *vocatio & ſuaſio Dei*, admittat poteſtatem conſentiendi, vel ab ea diſſentiendi: *Conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*. Quod ergo alibi dicat: voluntates humanas non poſſe reſiſtere voluntati Dei; id de conſequenti voluntate, conjuncta cum actu neceſſario intelligendum venit. Quid quod eo ipſo loco eandem conſentiendi & diſſentiendi potentiam in voluntate, quam ſimul dicit, voluntati divinæ non poſſe reſiſtere, Auguſtinus admittat? Nonne, ſi hoc oſtendero, fatebere; Auguſtinum, niſi in una eademque periodo ſibi ipſi voluiſset turpiter eſſe contrarius, de alia & alia potentia intelligendum eſſe? Age ergo videamus utrum ex eodem ipſo loco id extundi valeat. Nolo dicas me Auguſtinum volentem nolentem in hunc ſenſum torſiſſe vel adegiſſe, quapropter Auguſtinus ipſe pro ſe loquatur: *Non eſt itaque dubitandum voluntati Dei .... humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult: quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Niſi forte, (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli Regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraelitarum ſubdere ſe memo-*

De corrept. & grat. cap. 14.

mo-

morato viro, & non ſubdere; QUOD UTIQUE IN EORUM ERAT POSITUM VOLUNTATE, ut etiam Deo valerent reſiſtere. Qui tamen hoc non fecit, niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium, quo placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. Audiſtin' *ſubdere ſe memorato viro, vel non ſubdere* in Iſraelitarum fuiſſe *poſitum voluntate*, & nihilo tamen minus, non poſſe voluntates hominum Dei reſiſtere voluntati? Quomodo ergo hæc conciliabis, niſi dicas, potuiſſe illos ſe ſubjicere & non ſubjicere potentiâ antecedente, non potuiſſe ſe non ſubjicere potentiâ conſequente: id eſt, fieri non potuiſſe, ut Deo *abſolute* volente Sauli tradere Regnum, homines non ei ſe ſubmitterent: hoc enimvero fuiſſet Deo formaliter reſiſtere; quod Auguſtinus poſt Scripturas bene negat fieri unquam poſſe.

XV. Hinc jam fieri ſatis poterit præpoſteris quorumdam lamentationibus, querulantium, dure nimis ac inhumaniter, cum Queſnello actum; utpote cujus aſſerta in toto rigore, abſque ulla mitigatione interpretata, damnata ſint; cum tamen aliorum, & maxime Auguſtini phraſes, benevola expoſitione molliri nonnihil ſoleant. Præpoſteram ſane querimoniam, quæ cum Auguſtino Queſnellum componat! Verum hoc omiſſo, ex modo dictis ſat patens eſt; nihil, dum Auguſtinum ita exponimus, per indulgentiam ei condonari; verum jure id ſuo exigere Auguſtinum; qui & alibi, & eo ipſo quoque loco ubi aſſerit voluntati Dei non poſſe reſiſti, potentiam tamen ad faciendum vel non faciendum id quod Deus vult, in voluntate clariſſime admittit; & tantum

non

non uſus eſt materialibus vocibus *antecedentis* & *conſequentis* voluntatis : adeo ut injuria etiam ipſi graviſſima fieret, ſi aliter ejus dicta exponerentur. At vero Queſnellus, nedum apud Matt. *cap.* 20. *v.*34. ubi hanc propoſitionem habet, ſed nec ullibi, in toto *Reflexionum Moralium* opere quidquam habet, quod rationabile fundamentum præbeat, eum benigne interpretandi: quin potius videri debeat noluiſſe, taliter dicta ſua exponi. Facillimum ſiquidem erat ei, poſt damnatos Lutherum, Calvinum, Janſenium, poſt vulgatas in ſcholis & libris diſtinctiones, potentiæ *antecedentis*, *conſequentis* ; *potentiæ ſimultatis*, *ſimultatis potentiæ* ; ſenſus *compoſiti & diviſi*, adhibita ex his diſtinctione aliqua, ſenſum pravum præververtere: ſciebat in Scholis catholicis plura affirmari aut negari de gratia efficaci, quæ de gratia univerſaliter loquendo non tolerantur : & poſt hæc omnia, audet generaliter aſſerere, gratiam nihil impedire *poſſe* vel retardare ; nullo adhibito dicti ſui lenimento: an non hoc ſignum eſt evidentiſſimum noluiſſe propoſitiones ſuas ſenſu, catholicis ſcholis uſitato, accipi? Quis ergo miſereatur ejus, qui ſui miſertus non eſt? Qui tam manifeſte oſtendit ſe catholice intelligi ne quidem velle, ſed potius Janſeniſtice? Qui infelix eſſe voluit, quia fieri noluit alieno periculo cautus? Janſenii, inquam, periculo & condemnatione cautior fieri debuerat, atque a damnatis in eo phraſibus abſtinere. Noluit id Queſnellus ſequi conſilium; ſed quaſi animoſior ex dilectiſſimi Magiſtri vulnere factus, cum is ſolum dixiſſet: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur* ; atque propterea damnatus : auſus

auſus eſt etiam addere aliquid Magiſtro, dicens: *gratiam nihil impedire POTEST aut retardare*: quaſi non plus eſſet hoc poſtremum, ac illud primum.

XVI. Non ergo eſt quod querantur Queſnelli fautores de nimio rigore adhibito in damnandis ejuſdem propoſitionibus, durus ipſe prior fuit, & in omni rigore ſententias ſuas intelligi voluit; qui cum poſſet, & deberet mollius loqui, aut ſaltem inſinuare, quo ſenſu intelligi optaret, id omnino neglexit. Si tamen neglexit, & non potius poſitivè noluit. Durus ipſe fuit qui Summis Pontificibus, in Janſenio hujuſcemodi locutiones proſcribentibus, deferre nihil voluit, catholicarum ſcholarum loquendi modo ſeſe conformando. Scilicet putavit non majorem ineſſe Summis Eccleſiæ Paſtoribus, quàm olim Romanorum Imperatoribus, poteſtatem; qui homines licet donare civitate poſſent (ut quidam ſcite inquiebat olim) verba non poterant: at in eo erravit turpiter. Cum enim Pontificum Romanorum interſit maximè, providere, ut antiquæ hæreſes funditus evellantur, ne identidem ſuccreſcant: *ex verbis* autem *inordinate prolatis* incurratur *hæreſis*, ut ait S. Hieron. apud S. Thomam, illorum eſt, verba Eccleſiâ donare, & Civitate; quibus qui non deferat, reus fiat. Durus Queſnellus prior fuit, qui univerſâ Eccleſiâ, quæ Pontificum Romanorum Decreta circa Janſenium reverenter, uti debebat, receperat, ſapientior videri volens, in ſuo ſenſu maluit abundare, quam ſe humiliter, & ordinis ſui, & Eccleſiæ judicio ſubjicere. Quid ergo mirum, quod in rigore ejus fuerint acceptæ propoſitiones, cum ſcriptum

1. p. q. 31 a. 2.

ſit,

ſit. *Qui inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet* Proverb.
mala? Magis mirandum, imo obſtupeſcendum eſt, 13. v. 3.
inveniri potuiſſe etiamnum hominem, uſque adeo durum & ſaxeum, ut maluerit in dubium vertere, Pontificeſne Romani, & univerſa per orbem Eccleſia, an vero Queſnellus erraverit? Hoc eſt vere dubitare, an Spiritus Sanctus Eccleſiam deſeruerit, Sponſam ſuam; & ad refractarium & inobedientem ſacerdotem ſeſe adjunxerit.

XVII. Scio Queſnelli patronos prætendere, anteſignanum ſuum, a quo nomen ipſis, aliud docuiſſe nihil, præter id quod docent Thomiſtæ, quantum ſpectat potentiam reſiſtendi gratiæ: ſed quod mentiatur iniquitas ſibi, vel inde ſolum patet, quod Thomiſticæ loquendi formulæ a ſummis Eccleſiæ Paſtoribus, etiam recentiſſimæ memoriæ, ſint approbatæ, Queſnelliſticæ damnatæ. Sed, en tibi accuratum, diſcernendi Thomiſtam inter & Queſnelliſtam, *criterion:* Pete, an gratia privari poſſit, & etiam privetur aliquando effectu aliquo, quem Deus gratiam largiens, antecedenti, ſed tamen beneplaciti, voluntate intendit? Videbis Queſnelliſtam, poſt multas ambages, hoc tandem admiſſurum, quod gratia privari poſſit, imo privetur ſæpe *aliquo effectu, quem ex natura ſua poſſet habere*: at, quod privetur aut etiam privari ulla ratione poſſit effectu, quem Deus per eam intendit, fatebitur nunquam. Thomiſta tamen & hoc libenter, poſt S. Thomam, admittet. Pete, an gratiæ aliquando reſiſtatur, aut reſiſti poſſit? Reſpondebunt, reſiſti ſæpius etiam efficaciſſimæ gratiæ. Verum ſi urgeas, hanc aut ſimilem, ſi candide loqui velint, explanationem obtinebis. Sicut lapis reſiſtit impetui, a quo ta-

men neceſſario vincitur: ita liberum arbitrium, concupiſcentiâ ſtimulatum reſiſtit gratiæ, attamen vincitur. Sed quis,obſecro, Lutheri aut Calvini diſcipulus hoc non libentiſſime admittat? Luth.Reſp.ad ar.36.ait: *In gratia dum fuerit, natura ejus talis eſt, ut contra gratiam indomitam pugnet*. Erit ergo & ipſe catholicus? aut ſi non eſt, nec propterea Queſnelliani catholici cenſeri debent.

ſ. IV.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurá notatæ.

Quantumcumque a ſalute remotus ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ei ſe videndum exhibet lumine ſalutari ſuę gratiæ, OPORTET ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum. Eſt 14. Queſnellus Marci 5. v.6. & 7.

Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam externam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur ille in corde obedientiam, quam petit. Eſt 15. Queſnellus Lucæ 9. 60.

Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti. Eſt 16. Queſnel. Act. 8. 12.

Gra-

Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum. Quicumque ad Deum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem fidei, NULLATENUS eſt doctus a Patre. Eſt. 17. Queſnellus Joan. 6. v. 45.

Semen Verbi, quod manus Domini irrigat, SEMPER affert fructum ſuum. Eſt. 18. Queſnellus Act. 11. v. 21.

XVIII. S. Auguſtinus adductis quibuſdam Pelagii verbis, non plene ſibi ſatisfacientibus, ſic contra eum expoſtulat: *Et certe maxima hîc erat cauſa exprimendi, quam diceret gratiam, ubi locum ipſum de quo reſpondetur, ſic concluſit Apoſtolus, ut diceret*: „ Infelix ego homo, quis me „ liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei „ per Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum. „ Similem expoſtulandi occaſionem & cauſam nobis hîc præbet Queſnellus. Ecce enim quinque præmiſſæ de gratia propoſitiones, gratiam ſemper effectum habere aperte docent, neceſſitatem inferre non obſcure innuunt, ei reſiſti non poſſe, colligendum relinquunt: maxima ergo cauſa ſuberat, ut diceret de qua gratia intelligi vellet: utrum de omni omnino interiori gratia, an de unico ejus membro; efficaci videlicet, ut diſtincta a ſufficienti. Rurſus explicandum erat, de qua neceſſitate loqueretur, dicens: *Quantumcumque a ſalute remotus ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ei ſe videndum præbet, OPORTET ut ſe de-* De grat. Chr. cap. 39.

dat &c. id eſt : *Neceſſe eſt* ut ſe dedat &c. Explicandum erat, inquam, an id intelligeret de neceſſitate conſequentiæ tantum ; an etiam de conſequentis, ut in Schola loquimur, neceſſitate : item, an non poſſit reſiſti, tam antecedenter, quam conſequenter. Hoc ille cum neglexerit, aut contempſerit facere, quidni utamur juris regulâ illâ : ***Contra eum qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.***

XIX. Ex hac ergo juris æquiſſima regula contra Queſnellum hæ propoſitiones interpretandæ veniunt ; ut ſibi imputare debeat, aut ei debeant aſſeclæ, quod damnatus ſit, velut renovans ſecundam Janſenii, ab univerſa Eccleſia damnatam aſſertionem : ***Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ, nunquam reſiſtitur.*** Tantundem ineſſe his propoſitionibus, negabit nemo, qui Logicæ regulas non omnino ignoraverit. Docent dialectici apud noſtrum Antonium Goudin, ***De regulis ſuppoſitionis***, propoſitionem indefinitam in materia naturali, aut quaſi naturali, univerſali ; in materia vero contingenti, aut quaſi, particulari æquipollere. Ubi cum nonnulla inter dialecticos ſit controverſia, ſcriptor famoſus, pariter famoſi ***Portus Regii*** Antonius Arnaldus, in ſuo ***De arte cogitandi*** ſat noto opere, ***par. 2. cap. 10 obſervat. 6.*** ſequentem regulam rationabiliorem exiſtimat : ***Poterit itaque***, inquit, ***hîc alia diſtinctio adhiberi, quæ ad rem magis ſit; ſcilicet, has propoſitiones indefinitas, in materia DOCTRINALI, univerſales eſſe, ut hîc***, Angeli ſunt incorporei : ***in rebus vero facti, & narrationibus hiſtoricis, eſſe particulares, ut quando in Evangelio dicitur*** : Milites, plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt

ca-

capiti ejus . *Perſpicuum enim eſt , hîc aliquos , non omnes milites intelligi* . Hoc ergo Auctore, Queſnellianis haud ſuſpecto Judice habemus , omnes illas Queſnelli propoſitiones , utpote dogmaticam & doctrinalem ſpectantes , univerſalibus æquipollere . Idem ergo illis ſenſus ſubeſt , qui ſecundæ Janſenianæ mox relatæ .

XX. At neceſſe non eſt contra Queſnellum ex Juriſtarum aut Dialecticorum officinis arma accerſere , quando ipſe damnatus auctor nobis gladium porrigit , quo eum confodiamus . Inſpice , Lector , & depoſitâ omni præventione perpende decimam ſeptimam , hîc ordine quartam propoſitionem , appende eam , ſed in pondere Sanctuarii . In illa propoſitione ſolum video duplicem gratiam diſcretam : exteriorem , & interiorem . Exterior , eſt *vox fidei* , puta Apoſtoli , aut prædicatoris annuntiantis fidem : interior , eſt *vox Patris , qua homines interius docet , ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum* . Si quidam non veniant ad Chriſtum, non inde inferre licebit,eos exteriorem vocem fidei non audiviſſe ; quia exterior illa gratia , vox prædicatoris fidei, non habet efficaciam certam & infallibilem ; unde fieri poſſit , ac ſæpe fiat etiam , quod multi audiant fidei prædicationem externam , non tamen ad Chriſtum veniant, uti Acta Apoſtolorum *cap.* 17. teſtimonium perhibent : quippe vel Paulo prædicante Athenis: *Quidam quidem irridebant; quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum . . . quidam vero viri adhærentes ei &c.* Sed pone , quod vox patris interius doceat ; omnes quicumque audiunt , veniunt : illa ſiquidem , non modo hortatur , ut veniant , ſed *facit venire* efficaciter ad

 Chri-

Chriſtum : intantum, ut ſi quando non veniant omnes, quotquot audiunt vocem exteriorem fidei, ſignum eſt manifeſtum, eos qui non veniunt, NULLATENUS eſſe doctos a Patre. Si enim ALIQUATENUS eſſent docti, utique venirent; quia vox Patris eſt vox Omnipotentis, ut dicit tertia propoſitio, cui nullæ illecebræ non cedunt : Et *ſemen verbi, quod manus Dei irrigat*, ideſt vox Patris, *SEMPER affert fructum ſuum*. Qui taliter diſcurrit, an non tibi videtur ſecundam Janſenii renovare propoſitionem : *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur?* Ita tamen diſcurrit Queſnellus: & ſi hunc, quem expoſui, ſenſum non habent adductæ ejus propoſitiones, nullum habent.

XXI. Videamus nunc, an forte aliud quidpiam in hiſce propoſitionibus latere poſſit. Scio equidem Paſchaſium infamatum, quod non propoſitionem aliquam unicam, ſed propoſitiones etiam in plurali renovaverit Janſenii. Tertia Janſenii propoſitio eſt : *Ad merendum vel demerendum non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*. Hanc quoque in hiſce propoſitionibus inſtaurat infelix Paſchaſius. Quid enim, amabo, ſibi vult : *Quantumcumque a ſalute remotus ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ei ſe videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, OPORTET ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum?* Nemo ſibi perſuadeat, illud OPORTET, *il faut*, ſolum importare convenientiam, decentiam, opportunitatem; nihil minus quam neceſſitatem ſimplicem, id eſt, ſolam immunitatem a coactione ſignificat. Id, præterquam ſat conſtet

ex

ex dictis, toto hoc capite, probo primo, quod mirabere, ex eo, quod uſus minime ſit Queſnellus termino magis ſignificativo, NECESSE EST, quem adhibere audacter potuiſſet, addito ſolummodo, explicationis gratia, *neceſſitate conſequentiæ, non conſequentis*, &, quod loqueretur *de gratia efficaci*: quâ loquendi formula Theologi paſſim utuntur: hac moderatione uti, conſultum non duxit Queſnellus; utique, quia aliter quam communiter ſentiant Theologi, ſentiebat: diverſa ergo voce erat utendum; & tali, quæ in quæſtionem ubi veniſſet, mitiori poſſet expoſitione abſolvi: interim vero proprium auctoris ſenſum, a communi catholicorum ſenſu diverſum amicis ingereret. Huic fini aptiſſima erat vox OPORTET, quæ duplici in ſenſu uſurpari ſolet; ut nunc convenientiam, nunc neceſſitatem ſignificet. Sed quis unquam ſomniavit Queſnellum, gratiæ efficaciam ubique exaggerantem, ſolum intellexiſſe, quod *conveniens* ſit peccatorem obduratum accurrere, ſe dedere, quando Jeſus ſe videndum ei exhibet? Reliquum ergo eſt, ut *To* OPORTET, neceſſitatem ſignificet: non qualem Theologi communiter admittunt, id eſt conſequentiæ, ſed conſequentis, quæ Janſeniana & Calviniana eſt.

XXII. Quod ſi cuipiam hæc noſtra probatio, non ſat urgens videatur; addamus & illam, quam inſtruente nos Innocentio XII. didicimus, Vid. pag. 40. n. V. probationem, ex aliarum cum hac propoſitionum connexione petitam. Tantæ eſt energiæ Chriſti gratia, ſine limitatione ulla, Queſnello, ut *Quantumcumque a ſalute remotus ſit peccator OBSTINATUS, quando Jeſus ei ſe videndum*

exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, *OPORTET ut ſe dedat*, *accurrat &c.* Cur hoc? *Quia nihil reſiſtit Omnipotenti*, ut habet propoſitio hic ordine 3. *gratia* autem *eſt operatio manus omnipotentis*, *quam nihil impedire POTEST*, *aut retardare*: eſt 10.
Vide §.3 *Eſt imitatio operationis Dei incarnantis & ſuſcitantis filium ſuum*, ſimilis ei, *quâ creaturas ex nihilo producit*, *& mortuis reddit vitam*. Sed hæ operationes inducunt neceſſitatem abſolutam; an hoc ſufficit ad libertatem? Ad merendum & demerendum? Utique, inquit Queſnellus, non quidem in ſtatu naturæ innocentis, ſed lapſæ: nam *concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis*, *cum libero ipſius voluntatis conſenſu*, *demonſtratur illico nobis in incarnatione*, *velut in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ & gratiæ*. Quid hoc, obſecro, aliud eſt, quam dicere: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ*, *non requiritur in homine libertas a neceſſitate*, *ſed ſufficit libertas a coactione?*

Ibidem.

XXIII. Cum Janſenio igitur, minime cum Auguſtino concinit Queſnellus: ut merito Epiſcopus Virdunenſis, cæteroquin Conſtitutioni *Unigenitus* non ut decebat ſubmiſſus, in *mandato ſuo* affirmet, ſe in *Reflexionum* libro reperiſſe *complures propoſitiones*, *tendentes ad fideles in errorem inducendos*: *præſertim circa quinque propoſitiones libri Janſenii*. Idem declaraverat Clemens XI. cum in Brevi, *Univerſi Dominici gregis &c.* quo primum Queſnelli librum damnaverat 1708. tum in ipſa Conſtitutione *Unigenitus*. Non erat ergo in dubium revocandum, fuiſſetne cum propoſitionibus Queſnelli damnatus ſenſus Janſenii, an vero SS. Patrum, aut catholicarum ſcholarum;

Die 10. Martii 1714.

ſed

ſed ſenſus Janſenii in Queſnello inquirendus & detegendus, pro publici Theologiæ Profeſſoris, gradibuſque Academicis exornati, qualem ſe profitetur auctor *Theol. ſuppl.* munere ac debito implendo. Horum ſiquidem officium eſt, *non modo Conſtitutionum Apoſtolicarum*, (verba ipſius ſunt *loc. cit.*) *Sacrorumque Eccleſiæ canonum .... Divinarum Scripturarum explicationes atque interpretationes, pro cauſæ quam tuentur opportunitate, facere marte ſuo, quibus verum earumdem ſenſum atque germanum aperiant* (*ad interpretandum enim doctores inaugurantur*) verum etiam; uti obſervatum Clementi XI. in Brevi, *Circumſpecta*, quo Facultatis Theologicæ Pariſienſis privilegia ſuſpendit; Apoſtolicæ Sedis Leges accipere, judicia ſubire, decretis obtemperare, pœnas exequi, ſanctionibus acquieſcere: quo Apoſtolica auctoritate donati fuerunt Doctoratus gradus, nunquam obliviſci, eccleſiaſticas pœnas formidare, famæ ſuæ conſulere; ac jusjurandum, quo initio omnium actuum academicorum, ſe nihil unquam dicturos, ſcripturoſve, quod Pontificiis Decretis repugnaret, diſerte ſpoponderunt, religioſiſſime obſervare. Exponere debebat Paſchaſium, docendo, nos, *niſi ad malum ſine gratia*; niſi ad bonum ſub gratia, liberos non eſſe; ita, ut *non plus vitæ* habeamus *pro peccato*, ſub *gratia baptiſmali*, i. e. Chriſti, *quam homo mortuus pro rebus mundi* (eſt 45. quæ hactenus dicta mirifice confirmat) unâ renovaſſe Manetis & Joviniani hæreſim: de quibus S. Thomas: *Habet humana mens*, inquit, *duas contrarias inclinationes, unam quidem in bonum ... quam conſiderans Jovinianus, dixit, hominem non poſſe peccare &c.* Vide dicenda ad prop. quadrageſimam quintam.

Pag. 5. & 6.

Dato 18. Novéb. 1716.

Eſt prop. 38.

q. 24. de verit. a. 12.

§. V.

ſ. V.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum. Abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt. Eſt 2. Queſnellus Joan. 15. v. 5.

Gratia Dei eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus. Eſt 9. Queſnellus 1. Corr. 12. v. 3.

XXIV. Ex hactenus dictis patere poteſt quid Queſnellus ſenſerit, de libero arbitrio divinâ gratiâ in ſtatu naturæ lapſæ afflato: hîc aperire incipit, quid ſentiat de eodem arbitrio, gratia efficaci nudato. Tale eſt ipſi, in hoc ſtatu, ut ſine gratia efficaci ab eo non ſolum fiat nihil, boni videlicet, ſed nec fieri poſſit: ſine ea nunquam Chriſtum confiteri poſſumus, quacum nunquam eum abnegamus. Igitur juxta hunc auctorem, hæc duo in hoc ſtatu, hominem agere & poſſe agere, ita connectuntur, ut, ſicuti verum eſt dicere, eſtque legitima ſequela: ***Homo agit: Ergo poteſt agere***: ita versâ vice, ſequitur bene: ***Non agit: Ergo non poteſt agere***: & iterum: ***Poteſt agere: Ergo agit.*** Quam ſint hæc & principiis, & verbis expreſſis Auguſtini, cujus diſcipulus videri voluit Queſnellus,

con-

contraria, ex ſequentibus patet verbis; *Non eſt autem conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit.* De grat. Chr. c. 14

XXV. Ut vis horum verborum capiatur melius, notandum, hæc ſcripta eſſe ab Auguſtino, poſtquam Pelagius coactus argumentis catholicorum, maximè Auguſtini, cœperat aliquid addere primo ſuo ſyſtemati, quo totum negotium ſalutis committebat libero arbitrio: poſtquam, inquam, cœperat addere Pelagius, gratiam poſſibilitatis, ſcribebat hæc Auguſtinus. Patet ſequentibus ex verbis ejuſdem capitis: *Venire poſſe,* inquit, *in natura ponit Pelagius, vel etiam, UT MODO DICERE COEPIT, in gratia; qualemlibet eam ſentiat, qua ipſa, ut dicit, poſſibilitas ADJUVATUR.* Putavit Janſenius, & poſt eum Queſnellus, quod Auguſtinus urſerit Pelagium, ut loco illius auxilii, adjuvantis *Poſſibilitatem*, pro ſtatu naturæ lapſæ, ſubſtitueret auxilium voluntatis & operis: (idem tenuit Arnaldus in *Analytica Synopſi libri de corr. & grat.* cujus verba *init.* §. 8. referemus) ſed erravit a mente S. P. Auguſtini toto, ut ajunt, oſtio. Hic enim non voluit, ut abjecto auxilio adjuvante poſſibilitatem, aliud, voluntatis & operis dictum, eidem ſubſtitueret, ſed adjungeret priori. Hoc ex infinitis locis demonſtrare, non foret difficile: pauca adferam, ſed manifeſta *Cap.* 25. ejuſdem libri, ſic contra Pelagium Auguſtinus: *Deſinat itaque jam Pelagius & ſeipſum & alios fallere, contra Dei gratiam diſputando. Non propter illorum trium unum, id eſt, propter poſſibilitatem bonæ voluntatis atque operis, ſed ETIAM propter voluntatem & operationem bonam, erga nos gratia Dei prædicanda eſt.* Sciunt latiniſtæ *To, etiam*, plerum- De grat. Chriſti.

rumque vim habere addendi aliquid præjacenti : Cicero *in Brutum*: *Voce, motu, forma etiam magnifica*: eam ſignificationem firmat Auguſtinus paulo poſt dicens: *Non SOLUM enim Deus poſſe noſtrum donavit, atque ADJUVAT, ſed etiam velle & operari operatur in nobis*. Idem repetit *cap.* 26. immediate ſequente: *Iſtam Dei gratiam*, ait, *in divinis eloquiis manifeſtam ETIAM Pelagius manifeſte fateatur*. Itaque, non ſubſtitutionem unius gratiæ pro alia, ſeu, mutationem unius in aliam; ſed additionem poſterioris ad primam, urſit Auguſtinus. Dum igitur *cap.* 14. dicebat: *Non eſt conſequens, ut qui poteſt venire etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit*, loquitur de illo, qui jam habet gratiam aliquam actualem, adjuvantem poſſibilitatem: idque maxime ex hoc intelligi poteſt, quod S. Auguſtinus poſſibilitatem naturalem ad opera meritoria, quam ſtatuebat Pelagius, nunquam admiſerit; ſed tam poſſibilitatem, quam operationem ipſam meritoriam, gratiæ tribuerit. Falſum eſt ergo, juxta Auguſtinum, quod ait Queſnellus, ſcilicet, Abſque gratia efficaci non ſolum nihil fieri, ſed nihil etiam fieri *Poſſe*. Datur enim aliquid medium, inter voluntatem radicaliter, ut ita dicam, potentem opus meritorium facere, & actualiter facientem: nimirum *poſſibilitatis gratia*; quâ habitâ, *non* adhuc *eſt conſequens, ut qui poteſt venire etiam veniat*; *niſi id voluerit atque fecerit*. Quippe Deus in cordibus hominum (verba ſunt Aug.) operatur, *non SOLUM veras revelationes*, quæ ſpectant ad poſſibilitatem, *ſed ETIAM bonas voluntates*.

Lib.cit. in fine c.24.

XXVI. Hunc medium motum, potentiam inter & actualem operationem, negavit Calvinus:

nus : aſſeruit Tridentinum. Hoc medio motu ſublato, eique *ſubſtitutâ* efficaci gratiâ. non *adjunctâ*, fit, ut quicumque proximè eſt potens bonum facere, etiam actu faciat : econverſo ; quicumque actu non facit, non poſſit etiam de propinquo facere. Ex quo ſequitur, juſtos dum mortaliter peccant, omitendo actum præceptum, non potuiſſe præceptum adimplere ; ſive ut dixit Janſenius : ***Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus atque conantibus eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, quâ poſſibilia fiant.*** Sequitur etiam S. Petrum, dum Chriſtum negavit, non potuiſſe confiteri Chriſtum ; ac vere dici poſſe, ***SS. Patres nobis in B. Petro exhibent hominem juſtum, cui gratia, ſine qua nihil poſſumus, in ea defuit occaſione, in qua eum non peccaſſe, dici non poteſt*** : quam propoſitionem in Arnaldo olim proſcripſit S. Facultas Theologica Pariſienſis, iiſdem notis, quibus Summi Pontifices primam Janſenii propoſitionem perſtrinxerunt, nempe, veluti ***temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate perculſam, & hæreticam*** : & Alexander VII. epiſtolam, ex qua excerpta eſt illa Arnaldi propoſitio, Auctoritate Apoſtolica confixit. Cardinalis quoque Noaillius Arciep. Pariſien. natalitiis tenebris damnavit male conſarcinatum libellum, cui titulus, ***Expoſitio Fidei*** ; uti refert noſter Graveſon. ea potiſſimum de cauſa, quod iſtam contineret propoſitionem : ***Sinè gratia efficaci nihil poſſumus.*** Quam quidem propoſitionem, ait Eminentiſs. ille Præſul eſſe fontem, principium ac fundamentum, non unius aut alterius, ſed quinque propoſitionum Janſenii. Has autē propoſitiones inſtaurat hîc Queſnellus : ***Gratia Chriſti***, inquit, ***principium EFFICAX boni***

Eſt 1. Janſen.

Tom. 2. Epiſt. 3.

ni cujuſcumque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque ea non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt. Et iterum: Gratia *cum qua Chriſtum nunquam abnegamus* ea ipſa eſt, *ſine qua confiteri ipſum nunquam poſſumus*: ideſt: ſine gratia efficaci, qua Deus efficaciter in nobis operatur, ne potentiam quidem habemus ad bonum *cujuſcumque generis.*

Pag.176. XXVII. Fatetur auctor *Theologiæ ſupplicis*, ſecundam primæ propoſitionis partem, prout & propoſitionem ſecundam, intellectas de potentia antecedente, quaſi abſque gratia efficaci, ſupernaturalis poteſtas, etiam remota & incompleta, nulla extet ad bonum, ſaltem ope ac beneficio gratiæ merè excitantis (quam ſufficientem vocitat ſchola) erroneas eſſe: ſi tamen de potentia ſupernaturali proxima, completa ultimo, abſolutiſſimaque accipiantur, quaſi ſine gratia efficaci non extet, ſed per ſolam efficacem gratiam conferatur, probatiſſimam Theologorum ſententiam eſſe, *aptamque loquendi formulam*, ex Sacris Litteris, Romanis Pontificibus, Conciliis, Patribus mutuatam; *Sine gratia enim non poſſe hominem bene agere* ſæpiſſime dicunt, etiam ubi de gratia efficaci ſermonem habent; potentiam proximam, completam, abſolutiſſimamque intelligendo; quam tunc ineſſe homini negant, dum efficaci gratiâ deſtituitur. Ita Innocentius I. Rom. Pont. *Epiſt. ad Epiſcopos Africæ, inter Auguſtinianas* 181. S. Leo Magnus *Serm.* 37. Cæleſtinus Rom. Pontif. *in Capitulis*. Concilium Carthaginenſe anni 418. *Can.6.* Concilium Arauſicanum II. *Can.* 25. Concil. Trident. *Seſs.6. Can.* 22. S. Auguſtinus *Lib. de grat. Chriſti cap.* 10. 14. *&* 26. *Lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 17. *Lib.* 2. *contra duas epiſt. Pelag. cap.* 9. *Lib.* 1.

ope-

operis imperf cap. 97. Lib. de corrept. & grat. c. 12. Tract. 92. in Joannem. Epiſt. ad Paulin. nunc 236. Sermone nunc 296. S. Proſper *Epiſt. ad Ruffinum, & Lib. contra Collatorem cap. 5.* S. Thomas *q. 24. de verit. art. 14.*

XXVIII. Hæc fere præfatus auctor. Ut ſubindicatam denuo cum Sanctis Patribus Queſnelli comparationem, de qua nonniſi a dementiſſimo, vel temerariiſſimo mortalium ſerio cogitari poteſt, prætеream, ex ipſis illius auctoris verbis evinco, Queſnellum a Sanctis PP. longius receſſiſſe: ſiquidem Patres illos citatos, *ſine gratia non poſſe hominem BENE agere* ſæpiſſime dicere, fateatur: at vero Queſnellus, *ſine gratia EFFICACI, NIHIL BONI poſſe fieri cujuſcumque ordinis* dicit, quæ immenſum diſtant. BENE operari SS. PP. eſt meritorie operari: aſt bonum facere, latius patet, ut infra probabitur. Deinde, nullus ex Patribus citatis expreſſe de gratia *efficaci* loquitur, ſicuti Queſnellus: quapropter commode interpretari poſſunt de gratia in communi. Quod ſi æquivalenter de *efficaci* gratia loquantur, cum nullus eorum non alibi admittat gratiam quæ det poſſe, cuique ſæpiſſime reſiſtitur; id eſt ſufficientem ab efficaci diſtinctam; Queſnellus autem hanc etiam ſcurriliter exploſerit: poſſunt ac debent illi de potentia completiſſima, actuique conjuncta intelligi: Queſnellus nec debet, nec porro poteſt. Vid. pag. 56. n. 12.

XXIX. Addit præfatus auctor, hanc formulam, videlicet, *Sine gratia efficaci .... non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt*, aptam eſſe, hiſce etiam temporibus. Ego vero reſpondeo, ineptiſſime hoc dici; poſt damnatum Janſenium atque

Queſnellum; poſt damnatam epiſtolam Arnaldi, ut paulo ante ex noſtro dictum eſt Graveſonio, *ea potiſſimum de cauſa*, quod iſtam contineret propoſitionem: *Sine gratia efficaci nihil poſſumus*, quæ eſt, Noaillio Card. teſte, non unius aut alterius, ſed *quinque* propoſitionum Janſenii principium ac fundamentum. An ergo, interro-
Pag. 177 gat ulterius, non licet amplius *Romanorum Pontificum, Conciliorum ac Patrum loquendi formulas uſurpare, eademque cum illis lingua loqui, in prædicanda divinæ gratiæ neceſſitate?* Reſp. Licet formulas SS. Patrum uſurpare, ſed elimatas, politas, explicatas. Ita faciebant Sancti PP. dum vivebant, quidni & facturi ſi viverent? Ergo & nobis idem factitandum. Libet verba S. Thomæ quæ conciſa alibi retulimus, hîc integra attexere:
Præfat. adOpuſ. *Errores circa fidem exorti, occaſionem dederunt Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, ut ea quæ ſunt Fidei majori circumſpectione traderent, ad eliminandos errores exortos. Sicut patet, quod Sancti Doctores, qui fuerunt ante errorem Arii, non ita expreſſe locuti ſunt, de Unitate divinæ eſſentiæ, ſicut Doctores ſequentes: & ſimile de aliis contingit erroribus. Quod non ſolum in diverſis Doctoribus, ſed in uno egregio Doctorum Auguſtino expreſſe apparet. Nam in ſuis libris, quos poſt exortam Pelagianorum hæreſim edidit, cautius locutus eſt de poteſtate liberi arbitrii, quam in libris, quos edidit ante prædictæ hæreſis ortum; in quibus libertatem arbitrii contra Manichæos defendens, aliqua protulit, quæ in ſui defenſionem erroris aſſumpſerunt Pelagiani, divinæ gratiæ adverſantes. Et ideo non eſt mirum, ſi moderni Fidei Doctores; poſt varios errores exortos, CAUTIUS & quaſi ELIMATIUS loquun-*

quuntur, circa doctrinam Fidei; *AD OMNEM HÆRESIM VITANDAM*. Ita S. Thomas: quæ, puto, interrogationi, Theologiæ candidatum magis, quam Publicum Profeſſorem, & Graduatum Academicum referenti, ſufficiunt.

XXX. Sed ad Queſnellianam. Fatetur ergo *Theol. ſuppl.* ſecundam primæ prop. partem, prout & propoſitionem 2. intellectas de potentia antecedente; quaſi abſque gratia efficaci, nec naturalis poteſtas ad bonum ejuſdem ordinis, nec ſupernaturalis, etiam remota & incompleta, nulla extet uſquam ad bonum ſupernaturale, ope ſaltem ac beneficio gratiæ mere excitantis (quam ſufficientem Schola vocitat) erroneas eſſe. Atqui Queſnellus poſt Janſenium ac Bajum, utramque poteſtatem homini, gratia efficaci deſtituto, denegavit? Quod potentiam naturalem ad bonum naturale attinet, probabitur ſubſequentibus §§. præſertim octavo: hic ergo ſolum de ſupernaturali agendum. Ut luce clarius hoc unicuique pateat, ſciendum, quod Janſenius in ſuo *Auguſtino* gratiam ſufficientem Thomiſticam omnino ſatyricè, ac indignis modis exagitaverit. Secutus eſt auctor *Epiſtolarum Provincialium*: ac tandem ſucceſſit etiam audacior alter, qui effutire auſus eſt, hanc damnatam ab Alexandro VIII. propoſitionem: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis quam perniciosa eſt; ſic ut proinde merito poſſimus petere*: *A GRATIA SUFFICIENTI LIBERA NOS DOMINE*. Ex his, tam infectis lacunis, quidam alii Scriptores, quandoque floſculos, ſcilicet! ornandis ſuis ſcriptiunculis, decerpunt. Fatentur tamen hujus ultimi generis Scriptores, in quibuſdam opuſculis ſuis,

 Tho-

Thomiſtas, admittendo cum gratia efficaci, ſufficientes, moraliter excitantes &c. fore apprimè catholicos: imo *falſitatem omnem ſuperare* quod eorum doctrina ſit cum Janſenio damnata. Nec defuit qui ederet librum in quo ex profeſſo concludit, *Janſenii ac Thomiſtarum diverſiſſima eſſe principia*: in quo ad 18. differentias unum inter & aliud ſyſtema aſſignat; licet eodem libro, quod mireris, dicat, merito peti a Thomiſtis, ut aſſignent ſuam a Janſenio diſcrepantiam. Et non ita pridem, anno videlicet 1734. editus eſt liber Ulifſiponæ, cujus auctor fatetur Thomiſtas, ſecundum Decreta Apoſtolica eſſe catholiciſſimos; non item ſecundum principia Scholæ ſuæ. Quod quid aliud eſt quam fateri, Scholæ illius principia eſſe toto cœlo, a principiis Sedis Apoſtolicæ diverſa? Hæc per tranſennam.

XXXI. Quod Romani Pontifices Thomiſtas probè catholicos agnoſcant, ſatis ſuperque eſt, ut dicteria quorumcumque invidorum intrepidè contemnant Thomiſtæ. Id ubi adverterunt Janſenii aſſeclæ, nihil immutato doctrinæ fundamento, cœperunt gratias parvas, efficaces tamen; id eſt, totum ſemper effectum ad quem a Deo dantur, producentes; quas ſtatuit, & ſubſtituit eorum Patriarcha, gratiis ſufficientibus Thomiſticis; cœperunt, inquam, has parvas gratias vocitare *ſufficientes*, ut ſic Thomiſtæ videri poſſent, adeoque catholici audire. Queſnellus; quantumvis ſciatur gratias ſufficientes Thomiſticè, ſcurriliter & impiè deriſiſſe; poſtquam vidit ſe damnatum, intactis Thomiſtis, hoc ſtratagemate ſibi utendum duxit; apprehenſa ſcilicet Thomiſtici pallii lacinia, pretioſo hoc pa-

Vid. pag. 56. n. 12.

paludamento, & tuto, conatus eſt ſe amicire; continuo in ſuis juſtificationibus inclamans, admittere ſe gratias ſufficientes Thomiſticas; nihil docere ſe præterquàm Thomiſtæ docent: retento interim toto doctrinæ ſuæ ſyſtemate. Quomodo id oſtendemus? Viam aperuit S. Auguſt. *Confiteretur ergo* (Pelagius, inquit Auguſtinus) *ſic ſe aliquando tenuiſſe, ſed jam non tenere, ut de correctione ejus apertiſſime gauderemus*. Rurſus cap.26. *Iſtam Dei Gratiam in divinis eloquiis manifeſtam etiam Pelagius manifeſte fateatur; ſeque tam diu contra ſenſiſſe non operiat impudentiſſimo pudore*. Similia habet S. Pater cap.30. Etſi vero Pelagius gratiam Dei *per ſingulas horas, per ſingula momenta, per ſingulos actus neceſſariam*: etſi diceret, quod Deus *nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat*: quod Deus *operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt .... dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei STUPENTEM SUSCITAT VOLUNTATEM*, &, quod *Nobis ſuadet omne quod bonum eſt*: quodque *in voluntate & opere bona laus hominis eſt, & Dei*: licet *in litteris ad Innocentium PP.* ſcripſiſſet: *Ecce, ad Beatitudinem tuam epiſtola iſta me purget, in qua purè atque ſimpliciter ad peccandum & non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino ſemper adjuvatur auxilio*; licet epiſtola ad Paulinum *Trecentis fortè verſibus nihil aliud quam Dei gratiam & auxilium* confiteretur, *noſque nihil omnino boni facere poſſe ſine Deo*; licet, inquam, Pelagius hæc omnia ubique buccinaret; tamen S. Auguſtinus, & Romana Eccleſia, ideſt catholica, Pelagium nunquam agnovit pro catholico; eo quod nul-

De grat. Chr. cap. 22.

Loc. cit. cap. 2.

Loc. cit. cap. 7.

Cap. 10.

Cap. 16.

Cap. 31.

Cap. 35.

nullibi agnoſceret, ſe quondam erraſſe. Ita nec Queſnellum errorem deſeruiſſe, quem tota in ejus libro videt Eccleſia, debemus exiſtimare: quia nunquam agnovit ſe erraſſe; ſciamus tamen quod gratiam ſufficientem, quæ non ſit efficax, ſcurriliter & impie deriſerit, tamquam juſtis inutilem, & peccatoribus damnoſam. Vide *cap.* 2. §. 2. *art.* 12. Adde quod gratiæ illæ parvæ Queſnellianæ, ſtantibus ejuſdem principiis, ut ut ſufficientes vocitentur, non verè ſufficientes ſint, prout ſunt gratiæ ſufficientes Thomiſticæ.

XXXII. Ad cujus evidentiam ex Apoſtolo
2. Cor. 3. notandum, quod *ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Igitur ut gratia, etſi in ſe parva ſit, (Deus enim non ſemper ab initio communicat nobis bonum perfectum, ut poſtea ex S. Thoma dicemus) vere ſit ſufficiens ad opus perfectum, vel ad ſalutem, neceſſario ſupponi debet Deus illam dare, cum intentione (ſaltem conditionata, *Niſi homo a gratia deficiat*) perficiendi in nobis boni inchoati: ſicut habens ſemen & agrum ad ferendum, dici poteſt habere media ſufficientia ad meſſem colligendam; ſuppoſito quod Deus velit dare incrementum, ſive per ſe, ſive per cauſas ſecundas. At ſi ponamus, quod Deus incrementum dare non vellet; quod mandaret nubibus ne pluerent ſuper agrum iſtum imbrem &c., non diceretur, per iſta ſola, homo habere ſufficientiam ad meſſem. Sic ergo ſe habet res in præſenti. Queſnellus & ſymmiſtæ volunt, quod gratia qualiſcumque, habeat ſemper totum effectum ad quem a Deo datur. Igitur ſi de parva gratia loquamur, Deus eam non communicat, juxta Queſnelliſtas, cum illa voluntate conditionata, jam

di-

dicta, perducendi nos ad bonum perfectius: quia parvam gratiam non ordinat Deus, juxta Queſnelliſtas, niſi ad parvum bonum, non vero ad majus, neque ad ſalutem; alias eam produceret: quia ut dictum eſt ſæpius, juxta principia illorum, gratia ſemper producit totum effectum ad quem a Deo datur.

XXXIII. At Thomiſtæ, Angelico Duce, longe hic aliter philoſophantur. Nam juxta hunc S. Doctorem, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: *& hujus voluntatis effectus, eſt ipſe ordo naturæ in finem* ſauts, *& promoventia in finem, omnibus communiter propoſita, tam naturalia quam gratuita: ſicut potentiæ naturales, & præcepta legis, & alia hujuſmodi*. Unde quidquid boni (ſive potentiæ naturales ſint, ſive quæcumque auxilia) a Deo homini confertur, ordinatur ad ejus ſalutem, ſicut media aſſumpta ex amore finis, ordinantur in finem: & quidem, ſic conferuntur, ut Deus ſemper paratus ſit, quantum in ſe eſt, benignas influentias ſuas continuare, uſque ad ipſam finis aſſecutionem; ſi in homine & ex homine non occurrât impedimentum. Hinc S. Thomas Deum ſæpiſſime comparat ſoli, qui, quantum de ſe eſt, omnibus ſeſe communicat; ita ut illi ſoli luce priventur, qui ſe avertunt ab ejus lumine, & abſcondunt a calore ejus. Loca quædam alias citavi; unum hic addam ex 1. 2. *qu.* 79. *art.* 3. *c.* In 1. diſt. 46. qu. 1. art. 1.

„ Deus eſt cauſa univerſalis illuminationis animarum; ſecundum illud Joan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ſicut ſol eſt univerſalis cauſa illuminationis corporum; aliter tamen & ali-

 ter.

„ ter.. Nam ſol agit illuminando per neceſſitatem naturæ: Deus autem agit voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ. Sol autem, licet quantum eſt de ſe, omnia corpora illuminet, ſi quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum: ſicut patet de domo, cujus feneſtræ ſunt clauſæ: ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt ſol; non enim ſuo judicio agit ut lumen interius non immittat; ſed cauſa ejus eſt ſolum ille qui claudit feneſtram. Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, *in quibus obſtaculum invenit*. „ Ecce, quam ideam nobis det Angelicus bonitatis divinæ. Sol eſt, quantum de ſe, omnibus gratiam communicans; ut ſol corporalis, ſuam lucem: hac ſola cum differentia; quod hic agat neceſſitate naturæ; Deus vero *voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ*. Cæterum, uterque ſol, & ſpiritualis & corporalis, nihil relinquunt tenebroſum, niſi *ubi obſtaculum reperiunt*. Unde *ibid.. q.*109. *art.*7. *ad* 1. generaliter affirmat, quod, *cum homo per liberum arbitrium, a Deo motum, ſurgere conatur a peccato, recipit lumen gratiæ juſtificantis*.

Seſſ. 6. cap. 13. XXXIV. Eamdem doctrinam Tridentinum expreſſit his verbis: *Nemo ſibi certi aliquid, abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet; operans velle & perficere*. Unde principes Scholæ noſtræ ſub initium Sæculi XVII. Thomas de Lemos, & Didacus Alvarez (ne quis exiſtimet nos poſt damnatum Janſenium & Queſnellum eo confugiſſe) hac

hac de re ita ſtatuunt: *Deus tribuens auxilium ſufficiens, in eo offert efficax: ſed quia homo reſiſtit ſufficienti, privatur efficaci, quod ſibi offerebatur.* Hæc Lemos *Tom.4. Panopliæ lib.4. par.2. tract.3. cap. 6. num.* 78. Alter vero *lib. 10. de Auxiliis diſp. 113. num. 8. in fine: Deus homini juſtificato tribuit auxilium excitans, & ſufficiens ad vitandum quodlibet peccatum, paratus conferre efficax, niſi ipſe ſua malitia eidem auxilio impedimentum præſtet.* Nec tamen illi fuêre primi doctrinæ illius inventores, cum Lemos *l. cit. cap. 2. n. 15.* pro ſe alleget Cajetanum, Ferrarienſem, alioſque plures.

XXXV. Itaque in principiis Thomiſticis, gratiæ minores, quas ſufficientes vocant, continent, ut ſemen ſegetem, majores gratias: Deumque ſupponunt paratum, opus quod per minores illas gratias incœpit, perficere: adeoque conſtituunt verè hominem potentem ad implendas obligationes majores, pertingendumque ad ſalutem: juxta illud S. Thomæ: *Illud quod poſſumus cum auxilio divino, non eſt nobis omnino impoſſibile; ſecundum illud Philoſophi in 3. Ethic. Quæ per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus,* ſuppoſito ſcilicet, quod amici ſint parati nos juvare; alias non diceremur illud poſſe per amicos: idem enim eſt non haberere amicum qui nos poſſit juvare, & habere amicum qui nolit juvare. 1. 2. q. 109. art4. ad 2.

XXXVI. At vero in principiis Queſnelli ac Janſenii, gratiæ parvæ; etſi continerent in virtute majores, atque ex natura ſua ad eas ordinarentur; nec ordinantur a Deo ad majores, nec ſupponunt Deum velle per minores & parvas gratias nos ducere ad majores; dum ſcilicet actu has

non concedit: quia juxta ipſos, gratia ſemper obtinet omnem illum effectum ad quem a Deo ordinatur: nec ulla in Deo, pro hoc ſtatu, eſt voluntas, niſi abſoluta; qua, quod vult facit; & quod non facit, non vult. Igitur homo remanet ſimpliciter impotens ad majores, dum ſolum habet gratias minores: adeoque hæ Janſeniſticæ, & Queſnelliſticæ non ſunt vere ſufficientes, licet ex natura ſua ordinarentur ad majores: id enim impertinens eſt; quia *ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Illa Queſnelliana, ſeu Janſeniana myſteria nobis pandit, aperitque quarta Queſnelliana: *Ita, Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, EADEM OPERANDO IN ILLO*: ex qua evidentiſſime ſequitur, ea, quæ Deus in nobis actu non operatur, non eſſe nobis poſſibilia.

XXXVII. Ut ergo illuc, unde digreſſa eſt, redeat oratio, quidquid dixerit & ſcripſerit Queſnellus, quidquid clamitent ejus aſſeclæ, admittere ſe *gratias ſufficientes Thomiſticas*, non eis plus fidei, quam Auguſtinus Pelagio, ac Pelagianis habuit, dandum eſt: donec abjurent erroris ſui caput, circa voluntatem Dei, ſalvandi omnes omnino homines; admittantque ſincere, Deum velle, voluntate antecedente, non ſterili, ſed fœcunda mediorum *ſufficientium vere* ad ſalutem, omnes omnino homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: dicantque poſt S. Thomam Quodl. 1. *a*. 7. *ad* 2. cum Thomiſtis: *Ex Deo eſt, ut homo ſe ad gratiam præparet: ſed quod gratia careat, non habet cauſam a Deo, ſed ab homine; ſecundum illud oſeæ* 13. 9. „ Perditio tua Iſraël; tan-
„ tummodo ex me auxilium tuum. „ Hæc niſi omnia ingenuè, & ex animo agnoſcant, verba &

voces in ventum ſpargunt, fumos vendunt: nec plus valere in ore Queſnelliſtæ, *gratia ſufficiens Thomiſtica*, quam in ore Pelagii *gratia, auxilium Dei &c.* exiſtimandum eſt. Videatur ſequens §.

ſ. VI.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſuræ notatæ.

In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis. Eſt 3. Queſnel. Actor. 16. v. 10.

Ita Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo. Eſt Queſnell. Marci 9. v. 22.

XXXVIII. Vellem equidem ſcire, quid reſponſurus foret Queſnelliſta quiſpiam interroganti: In vanumne præceperit Deus protoplaſtis noſtris, ut ſe, Deum ipſum, fide, ſpe, & charitate ſupernaturaliter colerent, atque a ligno Paradiſi medio ſeſe continerent? Concedetne in vanum id eis fuiſſe præceptum? Si negat vanum fuiſſe præceptum: ergo in vanum Deus non præcipit, etſi ipſe non det quod præcipit: illis ſiquidem, quod præceperat, non dedit. Sed, inquiet, habebant illi unde poterant præcepta ſervare. Negas ergo nos poſſe præcepta ſervare in hoc ſtatu ſine gratia efficaci? Ergo juſtis etiam, præcepta nō ſervantibus, ſunt ea impoſſibilia? Ecce quo ten-

dat

dat hæc, ſpecie tenus pia, propoſitio! Porro hunc verum eſſe ſenſum illius propoſitionis, dubitare non ſinit propoſitio altera: *Ita Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo*. Si enim illi demum poſſibilia ſunt præcepta, in quo Deus operatur omne quod præcipit, evidens eſt, eis non eſſe poſſibilia, in quibus illa Deus non operatur per omnipotentiſſimam gratiam ſuam: quos inter ſunt omnes juſti qui cadunt a juſtitia.

XXXIX. Dico *ſpecie-tenus pia*: nempe, quia primà fronte coincidere videtur cum hac Regii Prophetæ ſententia, *pſal.* 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Item, cum ea Auguſtini regula: *Præceptum fruſtra fit, niſi Deus juſtus operetur & velle, per inveſtigabiles vias ſuas*. Item cum alia illa *de grat. & lib. arbit. cap. 4. in fine; Homo gratia juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur*. Rurſus cum illo Gregorii effato; *Quicumque plantet aut riget, incaſſum vox correptionis exterius perſtrepit, niſi ille incrementum dederit, ſine quo nihil poſſumus facere*: quod ex *Pſal.* 126. ſumptum eſt. Hæc omnia coacervat Auctor *Theol. ſuppl.* daturus, ſi poſſibile foret, tolerabilem quemdam ſenſum, huic damnatæ propoſitioni. Sed in vanum. Etſi enim prima fronte videatur cum hiſce ſententiis, ut dixi, coincidere, toto tamen cælo differt. Nam primum & ultimum, (ut alia plura Scripturæ loca) quod ex priori ſumptum eſt, teſtimonium, homini ædificanti, plantanti, riganti, cuſtodienti, ſine Deo, vanitatem adſcribunt: & ſiquidem putet ſine Deo hæc procedere poſſe, inſipientiam, ſtultitiam, ſuperbiam, præſumptionem. Et recte: niſi

Lib. 2. oper. imperf. contra Julianum cap. 157.

Super pſ. 7. Pœnitentialé.

Pag. 181.

niſi enim Deus, quocumque demum modo, adju-vet hominem debilem, nihil unquam boni faciet, nuſquã proſperabitur, nec mala imminentia cavebit; quin facere, proſperari, aut cavere non poterit. At vero Queſnello ad hoc neceſſaria eſt determinate, *gratia efficax*. Dubitas? Addo propoſitionem ſecundam, *Jeſu Chriſti gratia, principium* EFFICAX BONI CUJUSCUMQUE GENERIS, *neceſſaria eſt ad omne opus bonum: abſque ea non ſolum nihil fit*, SED NEC FIERI POTEST. Cum ergo ſit innumerabilis hominum multitudo, quibus gratia efficax non datur; quos inter multi juſti: præcepta Dei a tanta multitudine impleri non poterunt, eruntque impoſſibilia. Et quidem propoſitio hæc, quatenus juſtos a juſtitia cadentes comprehendit, damnata erat in prima Janſeniana; imo longe ante a S. Tridentina Synodo: Seſſ. 6. c. 11. & cā. 23. horrentque aures, non Queſnellianæ, ſimilia audire: dum ſimiles voces Deum exhibent nobis crudelem. *Homini imputatur in crudelitatem*, ait S. Thomas, *ſi obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non poteſt: ergo hoc de Deo nullo modo eſt æſtimandū.* In 4. diſt. 18. a. 3. Quapropter Auguſtinus *De grat. & lib. arb. cap.* 4. *in fine*, ex præcepto infert auxilium, dicens: *Homo ergo gratia juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur*. Alibi, ut num. 41. dicetur, ſtultum eſſe dicit, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere: & iniquum, damnare eum, cui non fuit poteſtas juſſa complere. Et S. Leo ait: *Juſte inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio*; Ser. 116. neuter tamen loquitur de *gratia efficaci* determinate, ut Queſnellus: ſicque patet reſponſio ad unam Auguſtini, & alteram Gregorii auctoritatem: quamquam ad auctoritatem Gregorii

gorii etiam dici poſſit, nunquam *defacto* haberi fructum completum correptionis, plantationis, rigationis, niſi Deus per gratiam efficacem incrementum dederit: præcedit enim apud Gregorium: *Si ergo fidem ſine gratia Dei nemo habet: quis ſe facere fructum æſtimet, ſine adjutorio illius, qui ait:* „ Poſui vos ut eatis, & fructū afferatis: & fructus „ veſter maneat? „ ac tum ſequuntur verba ſupra relata. Poſſumus etiam ei aptare ſolutionem jamjam dandam, ad primam S. Auguſtini auctoritatem; atque has etiam illi applicare.

XL. Paulo plus difficultatis habere videtur primum Auguſtini effatum: nihil tamen eſt, ſi attentè inſpiciatur. Non dicit S. Pater: *Præceptum fruſtra DATUR, niſi Deus operetur & velle*; qui eſt ſenſus Queſnellianæ; ſed *fruſtra FIT*, inquit: quod non ad Deum præcipientem, ſed ad hominem de ſuis viribus præſumentem referendum eſt: ac ſi diceret: fruſtra i. e. ſine merito vitæ æternæ, fit præceptum ab homine, niſi Deus ſua gratia adjuvet, ut fiat eo modo quo oportet ad ſalutem: quod verum eſt. Quo ſenſu dixit idem Auguſtinus: *Etſi enim Dei mandatum videtur aliquando a non diligentibus, ſed a timentibus fieri; tamen ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus* imputatur, *nec recte bonum opus vocatur .... Ac per hoc gratiam Dei, qua* charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, *ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illa, QUOD AD PIETATEM PERTINET VERAMQUE JUSTITIAM, fieri poſſe non dubitet.* Toto id cœlo diverſum eſt a Queſnelliana: *In vanum Domine præcipis &c.*

De grat. Chr. cap. 26.

XLI. In vanum ergo Legem Deus Iſraëlitis de-

dedit, cum tamen Propheta Regius, exultans hortetur eos *pſ.* 147. *Lauda Jeruſalem Dominum lauda Deum tuum Sion . . . . . Qui annuntiat verbum ſuum Iacob & judicia ſua Iſraël. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis?* Sed parum hoc eſt, id ultrà admittit Queſnellus prop. 7. *Quæ utilitas,* ajens, *pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi legem ſuam?* Parum hoc ergo videtur Queſnello: peto ergo, parumne etiam ſit, quod Deus in Lege nova hominibus, etiam juſtis, det præcepta ſua; eis tamen nõ det quod præcipit, ſed relinquat in impotentia adimplendi pręceptũ? Igitur dicere debet, Deum juſte aliquid præcipere poſſe homini, etiam juſto, quod implere non poteſt, ſeu quod eſt obſervatu impoſſibile, nec ſuppetunt vires, quibus poſſibile fiat: quod in prima Janſeniana damnatum eſt. Hic eſt ergo planus & obvius ſenſus hujus propoſitionis, ſi ejus cum aliis connexio attendatur: juſtè quidem, ſed in vanum Deum præcipere, niſi det gratiam efficacem, quâ præceptum impleatur: id eſt, Dei præcepta eſſe hominibus, qui ea actu non obſervant impoſſibilia; juſtè tamen ad ea obligari: &, ſi non obſervant, uti obſervare non poſſunt, juſte tamen ab eis pœnam exigi: cum dicat Auguſtinus, *Neminem . . ſupplicio dignum, qui . . id non faciat quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Et iterum: *Quis enim non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere, & iniquum eſſe,*

De duabus ani. c. 11.

De fide con. Manichæos.

eſſe, eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere? Et has injuſtitias, & iniquitates, miſeri non intelligunt Deo ſe adſcribere. Scio Queſnelliſtas confugere ad poteſtatem implendi præcepta, quam habuimus in Adamo: ſed ſimul ſcio id omnino eſſe a mente Auguſtini alienum. Dicit enim *de grat. & lib. arb. c.* 22. Infantes *cum fletu reluctari videmus, quando baptizantur & divina Sacramenta ſuſcipiunt: quod eis ad magnum impietatis peccatum imputaretur, ſi jam libero uterentur arbitrio*: non ergo ſufficit Auguſtino libertas Adami, ſed propriam ad perſonale peccatum requirit: alias reluctatio infantium, peccatum eſſet, quod Auguſt. negat.

XLII. Alterum huic propoſitioni ſenſum af-
Pag.182. fingit Auctor *Theol. Suppl. Si nempe*, ait, *vanum Dei præceptum dicat, hoc eſt, incongruum, injuſtum, indebitum, niſi Deus per gratiam efficacem dederit ipſe quod præcipit*; ſed hic ſenſus adeo non eſt naturalis huic propoſitioni, ut idem Auctor fateatur, & dicat: *Is tamen notatæ propoſitionis ſenſus .. eſt omnino violentus*. Hactenus bene: verum quod deinde addit, *poteſtque Auctori affictus videri: nonne ſignandus nunc, notanduſque venit, tamquam qui ſolus cenſura inurendus Clementi viſus ſit? ne quis in ſenſum alterum, qui Gregorii & Auguſtini certiſſime fuit, latam ab eo cenſuram ſuſpicari poſſit*: hæc, inquam, quis patienter ferat? Dubitat ergo, an fuerit huic propoſitioni ſenſus violentus affictus? dubitat, an in ſenſu violento fuerit damnata? dubitat an forte non Gregorius & Auguſtinus fuerint hic cenſurati? Illuminare, Deus, illuminare: ut non pudeat eum proferre debitæ retractationis medicamenta, qui fecit vul-

nera.

nera. Recte tamen hunc ſenſum dicit violentum; quia Queſnellus directè contrarium docet; nempe, Deum congrue & juſte, in hoc ſtatu, præcipere poſſe, impoſſibilia: prout ex dictis conſtat abunde, & ex dicendis amplius conſtabit. Non eſt hîc quoque prætereunda inſignis hallucinatio, ut minimum dicam, *Theol. Suppl.* dum ex S. Auguſtino intendit probare, potentiam completam, abſolutiſſimamque, in hac vita, nobis ſolummodo per gratiam efficacem dari. Inducit ad hoc verba quædam Sancti Patris ex *Lib. de natura & grat. cap.42.* ubi tamen non agitur de gratia hujus viæ, ſed de conſummata patriæ. Sufficiet adducere verba Auguſtini integra, non mutila, hoc ut probatum maneat: *Neque de ipſa poſſibilitate contendo*, ait Auguſt., *cum ſanata & adjuta hominis voluntate, poſſibilitas ipſa* (eſſendi abſque ullo prorſus peccato) *ſimul cum eff ctu in Sanctis proveniat*, (hîc ſiſtit *Theol. Supplex*: verum ſequitur apud Auguſtinum) *dum caritas Dei, quantum pleniſſime natura noſtra ſana atque purgata capere poteſt, diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Quid clarius, quam agere S. Auguſtinum de gratia c nſummata patriæ; qua Sancti ita confirmantur in bono, ut nec unquam ſint ultra peccaturi, nec porro unquam peccare poſſint? Ad quid ergo adferuntur hæc, ubi probandum, non dari in hac vita, niſi actui conjunctam, potentiam completam abſolutiſſimamque? Aut quid illa *probatiſſima Theologorum ſententia*, ut ait, cum Queſnello commune habet? Nihil aliud Queſnellus docuit? Aperi oculos & lege: *Ita Domine omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.* Si etiamnum Pag. 179.

num dubitas, adde prop. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, NIHIL habet luminis, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum: eſt CAPAX omnis mali, & INCAPAX ad omne bonum.* At vero Theologi illi fatentur, eos etiam qui male agunt, poſſe bene agere; dicente etiam Auguſtino: *Non unum hominem, ſed genus hominum iniquorum dicit; qui ſibi adverſantur; non intelligendo ut bene vivant: non quia non POSSUNT, ſed quia NOLUNT.*

Enarr. in pſal. 35. *Dixit injuſtus.*

§. VII.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſuræ notatæ.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum. Eſt 5. Queſnell. Rom. 9. v. 18.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philoſophis ethnicis, non poteſt venire niſi a Deo: & ſine gratia non producit niſi vanitatem, præſumptionem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris. Eſt 41. Queſnell. Rom. 1. v. 19.

XLIII. Poterat objici Queſnellianæ præcedenti: Deum non in vanum præcipere, licet non

non det quod præcipit: quia notitia Dei, ejuſque legis; correptiones, gratiæ exteriores, quadam tenus reddunt præcepta poſſibilia. Quippe, Auguſtino teſte, tunc tantum nonniſi peccari poteſt, *Si lateat veritatis via*. Huic objectioni occurrit his propoſitionibus. Objectum olim Auguſtino fuit, ſi vera foret ſententia ejus circa Dei gratiam, correptiones, exhortationes, prædicationes inutiles prorſus futuras: ſolumque orandum eſſe Deum pro impiorum converſione. Idem argumentum defacto fit contra Thomiſtas. Verum hujuſcemodi objectiunculis Auguſtinus abunde, pro ſe atque Thomiſtis ſatisfecit, toto libro *De correp. & grat.* facilique negotio ſeſe expediunt, dicendo: exhortationes, correptiones, cæteraſque exteriores gratias, ad hoc valere peccatori, ut ſuaviter, & modo voluntati ſuæ proportionato, diſponatur ad gratiæ efficaciter aſſicientis receptionem. Unde S. Thomas ait: *Ideo ergo neceſſaria eſt correptio, quia voluntas hominis requiritur ad hoc quod a peccato abſtineat: ſed tamen correptio non eſt ſufficiens, ſine Dei auxilio.* Eſt quippe naturale homini, utpote agenti non ſolum phyſico, ſed unâ morali, ſuaſionibus, exhortationibus, correptionibus, terriculamentis, promiſſionibus induci ad operandum, vel abſtinendum ab operatione: ut illa omnia non poſſint non eſſe utiliſſima & convenientiſſima peccatori, ut inducatur ad libere abſtinendum a peccato, deſiderandum medicum, ſuſpirandum ad Deum, flagitandum ejus auxilium: præſertim quando Deus ſimul interne ejus intellectum illuminat, affectum ſeu voluntatem piis deſideriis accendit; verbo dum aperit ei aures, ſeu *cor, intendere his quæ* foris prædicantur. *Act.* 16. O XLIV.

De Spir. & litt. c. 3

1. 2. qu. 109. art. 8. ad 2.

XLIV. Queſnellum docentem,quod *gratia Adami erat illi proportionata* : *gratia* vero *Chriſtiana eſt omnipotens & digna Deo* (prop.37.) argumentum hoc opprimit prorſus. Ad quid enim, rogo, dedit Deus præceptum Apoſtolis annuntiandi Evangelium omni creaturæ ? Ad quid imponit nobis præceptum correptionis fraternæ? Ad quid per Paulum monet Timotheum, omneſque Epiſcopos : *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*? An forte ut ii peccatores,quos Deus efficaciter vult convertere, ſuaviter, & modo libero ſuo arbitrio *proportionato* diſponantur ad gratiæ receptionem ? At gratia erat quidem innocenti Adamo *proportionata* ; modo tamen eſt omnipotens & digna Deo : fruſtraneæ ergo ſunt, ſuperabundantes, ſuperfluæ gratiæ exteriores, hujuſmodi peccatoribus : porro Deus & natura, ut eſt in proverbio, nihil fruſtra faciunt. De primo ad ultimum, in hujuſmodi peccatorum gratiam, divina illa præcepta ſuperius expreſſa, data non ſunt : velit ſolum Deus illos converti, & obedietur : imperet, omnia fient, loquatur tamquam Dominus,& omnia ſibi ſubmiſſa ſunt. (propoſ.20.)Ad quid ergo adhibeantur eis adminicula illa exteriora ?

XLV. Aſſignanda tamen eſt horum adminiculorum utilitas. Pro hoc laboravit Auguſtinus, laborantque omnes omnino catholici. Queſnellus quid dicit? *Quando Deus*, inquit, *non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ ; exhortationes & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum*. Utiles ergo ſunt, juxta Queſnellum, gratiæ exteriores exhortationeſque ad peccatores illos magis obdurandum, quorum corda

da Deus unctione gratiæ ſuæ decrevit non emolli-
lire: cumque, ut dictum eſt, inutiles ſint & ſu-
ſupervacaneæ illis, quorum Deus corda, gra-
tiæ ſuæ omnipotentis unctione, pro ſuo benepla-
cito emollit, conſequens eſt, ut gratiæ exteriores,
exhortationes, correctiones, quas Deus identi-
dem adhibet, vel etiam fieri præcipit, ordinen-
tur ad peccatores magis obdurandos. Hoc eſt il-
lud horribile Calvini dogma: *Quos ergo in vita contumeliam* (alias, *vaſa contumeliæ*) *& mortis exitium creavit, ut iræ ſuæ organa forent, & ſeveritatis exempla, eos, ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat, & obſtupefacit.* Et iterum. *Ecce vocem*, Deus, *ad eos dirigit, ſed ut magis obdureſcant; Lumen accendit, ſed ut reddantur cæciores; doctrinam præfert, ſed qua magis obſtupeſcant; remedium adhibet, ſed ne ſanentur.* Hæc eſt illa prædeſtinatianorum blaſphemia, quod Deus creaturam rationalem *mirabili prorſus & inſcrutabili ſapientia gubernat, & adminiſtrat: per vias occultiſſimas, & ſæpe pro noſtra tenuitate contrarias, alias ducens mirabiliter ad æternam felicitatem, alias vero ad barathrum ſempiternum.*

Lib. 3. inſtit. c. 24. num. 12.

Cap. 24. n. 13.

XLVI. Eandem blaſphemiam, nec magis obſcure, continet propoſitio altera. *Omnis cognitio Dei, etiam in philoſophis ethnicis, non poteſt venire niſi a Deo: & ſine gratia non producit niſi vanitatem, præſumptionem, & oppoſitionem ad ipſum Deum.* Dicendo namque, talem cognitionem *non niſi*, id eſt *ſemper* producere vanitatem, præſumptionem &c. *nihilque præterea*, ſatis ſignificat cognitionem illam eſſe cauſam *per ſe* iſtorum effectuum. Nempe hoc diſcriminantur cauſa *per*

ſe & *per accidens*, quod illa ſemper, niſi impediatur; hæc vero non ſemper, ſed aliquando eundem effectum producat, uti philoſophis notum eſt. At vero dicere, cognitionem Dei, quæ non niſi a Deo venire poteſt, eſſe cauſam per ſe præſumptionis & vanitatis, impium & erroneum: exhortationes quoque & gratias exteriores obdurationem per ſeſe producere, blaſphemum & erroneum eſſe, Auctor *Theol. Suppl.* fatetur. Videtur tamen dubitare, an propoſitiones illæ hunc ſenſum faciant: ſed, pace ipſius dixero, idem eſt de illis propoſitionibus dubitare, faciantne hunc ſenſum, vel non faciant, ac dubitare, utrum hæc propoſitio: *Ignis applicatus materiæ combuſtibili, non producit niſi ignem*, faciat ſenſum, quod ignis per ſeſe ignem producat. Sicut ergo nullus prudens dubitat, quin ſecundæ hujus, exempli cauſa adductæ propoſitionis, ſenſus ſit, ignem per ſeſe producere ignem, nihilque præterea: ita dubitare ipſe haud debebat, faciantne Queſnelli propoſitiones hunc ſenſum; quod ſcientia vel cognitio Dei, gratiæque exteriores, per ſeſe producant pravos illos effectus, nihilque præterea: cum utrobique ſit eadem propoſitionis forma, ut conſideranti patet. Tametſi ergo gratis daretur, propoſitiones illas, utcumque flecti poſſe in ſenſum aliquem benigniorem, in rigore tamen & proprio verborum ſenſu, juxta approbatas omnibus bonæ dialectices regulas, proſcribi potuerunt, & debuerunt: quia naturalis ſenſus & obvius blaſphemus eſt: continentque, aut ſaltem natæ ſunt inducere legentes in horribilem Prædeſtinatianorum hæreſim: quæ ſufficere ad propoſitionis condemnationem regulæ noſtræ 2. & 10. docent.

Pag. 193. & 195.

XLVII.

XLVII. Idem Auctor a pag. 193., quo perſuadeat neceſſariam aliquam harumce propoſitionum explicationem, variorum SS. Patrum auctoritates coacervat: quaſi idem, aut fere idem ſignificent Patres ac doceant, quod Queſnellianæ iſtæ. Attamen attenta ſolummodo earum auctoritatum lectione, quidquid inde præſidii damnatis aſſertionibus accerſet, diſſipatur & evaneſcit. Dicit ergo 1. *Fatales illos philoſophicæ de Deo cognitionis effectus admodum exaggerat S. Fulgentius, gratiæque defectui perinde tribuit cap. ultimo lib. de veritate prædeſtin. & gratiæ*. Fallitur, aut certè fallere vult, dum inſinuat, fatales illos effectus *perinde*, ſive *æque* tribui gratiæ defectui a S. Fulgentio, ac Queſnello. Contrarium habetur ex illis ipſis verbis; quod mirum eſt non fuiſſe ei animadverſum; quæ refert ex laudato Sancto. Dicit enim Fulgentius. 1. *Quia ergo gratiam non acceperunt*, philoſophi Ethnici, *propterea cognoſcentes Deum gratias non egerunt. 2. Et quia vaſa iræ fuerant apta in interitum, hoc in eis operata eſt illa manifeſtatio, qua Deum agnoverunt, ut cognoſcendo ſuperbirent. 3. Non ut ſe humiliando diligerent. 4. Tali ergo cognitione ablata excuſatio eſt, non collata ſalvatio*. Primum, tertium, & quartum nihil difficultatis habent. Quippe lubens fateor, ſolam Dei cognitionem, ſine ulla gratia, non ſufficere ut Deo gratias agere, eumque, ſe humiliando, diligere valeant; ſicque ſalvationem ea cognitione conſequi. Secundum vero, aliquid difficultatis continet, propterea, quod dicat: *Hoc in eis operata eſt illa manifeſtatio, ut cognoſcendo ſuperbirent*: attamen verbis, quæ poſtea idem Auctor recitat ex S, Fulgentio, nebulæ omnes diſſipan-

 tur:

tur : ſiquidem ex illis clare pateat, fatales effectus huic manifeſtationi tantum adſcribi, uti cauſæ per accidens ; dum cauſam per ſe ejus aſſignat, ſapientûm illorum cor inſipiens, ſuperbiam &c. Accipe Fulgentii verba luce clariora, quibus eam philoſophorum de Deo cognitionem, naturæ lumine, vel Deo revelante habitam, cum fidelium cognitione per gratiam indita confert: *Per illam*, inquit, *cognitionem cor cæcum A SEMETIPSO inflatur ad mortem : per hanc autem divinitus illuminatur, & humiliatur ad vitam. Illa cognitione cor obſcuratur inſipiens, DUM QUOD DEI EST, HOMO SIBI SUPERBUS ASSIGNAT : hæc autem accipit lumen, ut hoc ipſum quod Deum cognoſcit ac diligit, non ex poſſibilitate naturæ, nec ex auditu legis, neque ex ſua voluntate, ſed ex Dei dono ſibi ineſſe non ambigat; ſemperque humilis eſſe meminerit, ne ſuperbus amittat, quod indignus accepit. Cognitio illa peccato adjicit prævaricationis reatum, iſta removet a peccatore ſupplicium. Illa juſte damnat, iſta gratis juſtificat. Illic SCIENTIA INFLANS nutrit, augetque peccatum, hîc caritas ædificans operit multitudinem peccatorum.* Hæc S. Fulgentius ; quibus verbis nihil clarius ad oſtendendum pravos illos effectus non cognitioni Dei, ſed pravitati ipſorum met ethnicorum, ſuperbiæ, vanitatique eorum adſcribendos eſſe. Unde quod ſuperius dixit: *Hoc in eis operata eſt illa manifeſtatio, qua Deum cognoverunt, ut cognoſcendo ſuperbirent*, de cauſa per accidens intelligendum venit: *A ſemetipſo*, inquit, *inflatur.*

XLVIII. Ut autem conſtet, quam longe Auguſtinus abſit ab errore Queſnelli, addendum
Pag. 196. aliquid eſt verbis, quæ citat *Theolog. Suppl.* ex

epiſt.

epiſt. 107. modo 215. ejuſdem S. Patris, ubi ait *num.* 11. *Opus eſt hoc gratiæ, quam qui accipiunt, doctrinæ ſalutari Scripturarum Sanctarum etſi fuerint inimici, fiunt amici: non opus ejuſdem doctrinæ, quam qui audiunt & legunt, ſine gratia Dei, peiores fiunt inimici*. Loquitur ibi S. Doctor de inimicis fidei, de quibus *num.* 6. dixerat. *Nempe ergo iſti Chriſtianæ pietatis inimici, legem Dei atque doctrinam, qua Chriſti prædicatur fides, vel omnino audire nolunt, vel ad hoc audiunt ſive etiam legunt, ut irrideant & deteſtentur, & quanta poſſunt contradictione blaſphement*. De inimicis ergo, & talibus inimicis exploratum eſt, eos nuſquam ex auditu aut lectione veritatum fidei evaſuros amicos, abſque gratia Dei, & ſine illa peiores etiam fieri inimicos, ex propria malitia: Cæterum non id omnibus neceſſario accidere Ethnicis, clariſſime docet Auguſtinus *De dono perſev. c.* 14. ubi loquens de Tyriis & Sidoniis, ait: *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*. Verum quidem eſt, illud qualecumque naturale munus intelligentiæ, nihil valere ad ſalutem, ſine gratia; non propterea tamen dicendum illico, eſſe noxium; nec valere niſi ad hominem magis obdurandum: vel dicatur, omnia Dei dona mere naturalia ſeipſis noxia & perniciosa eſſe; quod negat *Theol. Suppl. pag.* 193. & omnes catholici.

XLIX. Ad alias auctoritates S. Auguſtini ex *lib. de ſpir. & littera cap.* 14. ex *opere imperf contra Julianum cap.* 94. *lib.* 1. Sicut & ad illam S. Thomæ 2. 2. ſeu potius 1. 2. *q.* 98. *a.* 1. *ad* 2.

cum tangant legem veterem, commodius agetur cap. octavo ſequen. Confirmatur, quod S. Auguſtinus non cenſuerit, correptiones, & gratias exteriores non deſervire niſi ad cor peccatoris magis obdurandū, ſi cor non emolliat gratia, patet ex lib. *de correpţ. & grat. cap.* 5. ubi eum alloquens qui corripi non volebat, ait: „ Non vis enim tibi „ tua vitia demonſtrari; non vis ut feriantur, „ fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras: „ non vis tibi tu ipſe oſtendi, ut cum deformem „ te vides, reformatorem deſideres; eique ſupplices, ne in illa remaneas fœditate . . . . Quaſi „ laudanda, vel indifferenter habenda ſint vitia, „ ut neque laudentur, neque vituperentur: *aut* „ *vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor,* „ *vel dolor*; aut aliud agat cum ſalubriter ſtimulat, niſi ut rogetur bonus, & ex malis qui corripiuntur, bonos faciat qui laudentur. Quod „ enim vult pro ſe fieri, qui corripi non vult, & „ dicit, *Ora potius pro me*, ideo corripiendus eſt, „ ut faciat etiam ipſe pro ſe. Dolor quippe ille „ quo ſibi diſplicet, quando ſentit correptionis „ aculeum, *excitat eum in majoris orationis affectum*: ut Deo miſerante, incremento charitatis adjutus, deſinat agere pudenda & dolenda; „ & agat laudanda atque gratanda. Hæc eſt correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor pro peccatorum diverſitate ſalubriter adhibetur: & tunc eſt ſalubris, quando supernus „ medicus reſpicit„ ubi licet Auguſtinus requirat ſuperni medici aſpectum, ut correptio ſit *ſalubris*, id eſt, ad ſalutem & juſtificationem conducens; negat tamen, quod nihil agat *timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor*. Neque etiam ut ſit ſalu-

lubris requirit gratiam remiſſivam peccatorum ſimul infuſam : ſed ſufficit ei gratia aliqua minor , ut *rogetur bonus, ut medicum quærat, reformatorem deſideret*. Falſum ergo eſt , correptiones non valere, niſi ad cor magis obdurandum , niſi Deus cor emolliat per gratiam remiſſivam peccati , quæ prima eſt Queſnello , quam Deus peccatori largitur : prout ait propoſitione 28.

L. Similes utilitates correptionis colligere poſſumus ex S. Thoma: qui agens de verecundia, quæ naturaliter ſequitur correptionem , eam eſſe peccatoribus utiliſſimam oſtendit 2. 2. *q.* 144. per totam. *Art.* 1. docet verecundiam , licet proprie virtus non ſit , communiter dici virtutem , ſecundum quod omne bonum & laudabile in humanis actibus , virtus dicitur. *Ad* 3. Quod fovet honeſtatem , removendo ea quæ ſunt honeſtati contraria : non ita tamen ut pertingat ad perfectam rationem honeſtatis. *Art.* 4. *ad* 4. refert Ambroſium dicentem, quod *verecundia jacit prima temperantiæ fundamenta, inquantum ſcilicet incutit horrorem turpitudinis... Art.* 1. *ad* 5. dicit: quod ex multoties verecundari cauſatur habitus virtutis acquiſitæ , per quam aliquis turpia vitet , de quibus eſt verecundia. Cum igitur verecundia ex correptione naſci ſoleat, ſaltem in hominibus non omnino malis , hi omnes effectus adſcribi poſſunt prudenti correptioni. Dixi non omnino malis : quia ut obſervat S. Thomas *q. cit. art.* 4. *carent verecundia homines in peccatis profundati, quibus ſua peccata non diſplicent, ſed magis de eis gloriantur* : quibus etiam prodeſſe non ſolet correptio. Sed in his *qui mediocriter ſe habent, ſecundum quod eſt in eis aliquid de amore boni, & tamen non ſunt totaliter immunes a ma-*

Lib. 1. de officiis c. 43.

a malo, invenitur. *Ibid. ad.* 1. Quod ſi alibi dicat S. Thomas, correptionem non ſufficere ſine Dei adjutorio, ut loco ſupra cit: ex. 1, 2. *q.* 109. *a.* 8. *ad* 2. intelligendum non ſufficere, ut longo tempore, vel etiam, ut ſalutariter abſtineatur a peccato; Nullo tamen modo inde licet inferre, quod ſine gratia non deſerviat, niſi ad cor hominis magis obdurandum: tum ob auctoritates ſuperius ex S. T. citatas; tum quod inter eſſe ſalutare, & noxium, mediet moralis honeſtas, quæ nec ſalutaris, nec noxia eſt. Quod non reflectens Queſnellus, peccavit etiam contra dialecticam, non ſecus ac ille qui ſcriptum reliquit: *Aut odit aut amat mulier, nihil eſt tertium*: poteſt enim nec odiſſe nec amaſſe: & correctio nec ſalutaris eſſe, nec noxia: puta, ſi inducat hominem ad ceſſandum a peccato ob motivum aliquod honeſtum. Ut enim eſt apud Horatium *l.* 1. *Epiſt. epiſt.* 1.

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe... Huc faciunt verba illa, quæ in indicibus omnium pene Summarum S. T. V. *Verecundia, num.* 8. leguntur, verum in ipſa Summa non reperiuntur; extant tamen in *comment. S. T. in pſal.* 5. *v. ult. Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei: convertantur & erubeſcant valde velociter*, qui locus indicatur in *Tabula aurea* Bergomenſis, & inde ad indices alios per inadvertentiam translata ſunt: ut optimè advertit noſter Nicolai, eas expungens ex indice Summæ a ſe editæ: quod annotaſſe ſufficiat: huc, inquam, reſpiciunt verba illa: ait enim ibi Angelicus: *Sed aliter poteſt reddi ratio; quia ſcilicet a principio erubeſcit quis oculos hominum, ex hoc dolet, & vitat mala: in fine vero erubeſcit oculum rationis ſuæ &*

ocu-

oculum Dei. De primo Rom. 6. Quem fructum ha-
„ buiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?
„ *De ſecundo Luc.* 18. Publicanus a longe ſtans, no-
„ lebat nec oculos ad cœlũ levare. „ Apage ergo ſomnium Queſnelli: *quaſi timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor* nonniſi valeat obdurare.

§. VIII.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratiâ liberatoris. Eſt 38. Queſnellus Luc. 8. v. 29.

Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis niſi ad aberrandum, ardoris niſi ad te præcipitandum, virium niſi ad ſe vulnerandum: eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. Eſt. 39. Queſnell. Matt. 20. v. 3. & 4.

Sine gratia nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem. Eſt 40. Queſnell. 2. Theſſal. 3. v. 18.

LI. De his propoſitionibus, intellectis de gratia ſanctificante, idem dicendum quod *cap. 6.* §. 7. *&c.* dicturi ſumus de prop. 46. 47. 48. &c. Hic ſolum aliquid dicendum, quatenus intelligi poſſunt, de gratia actuali. Semper autem præ

ocu-

oculis habendum, quod Queſnellus, uti alibi probatum, aliam nullam ſufficientem gratiam admiſerit præter omnipotentem, producentem ſemper effectum ad quem datur a Deo; quæ non ſit aliud quam ipſa omnipotens Dei voluntas. Quippe exiſtimavit, ſed erronee, S. Auguſtinum, pro hoc ſtatu, induxiſſe gratiam efficacem loco ſufficientis Adamo collatæ: quod etiam docuit Magiſter ejus Arnaldus, in Analytica Synopſi doctr. lib. S. Auguſt. *de corrept. & grat.* editioni operum S. Auguſt. Anni 1644. inſerta, ſed juſſu Fran. Harlæi Archiep. Patris deleta, ubi in fine ſic lego: *Ibi maxime notandum eſt, ad ſolvendam difficultatem de caſu Adami, S. Auguſtinum gratiam ſufficientem in ſubſidium advocaſſe. Cur ergo eadem ſolutione non utitur in ſolvenda difficultate, de non perſeverantibus nunc fidelibus? niſi quia recte judicavit, nullum jam amplius eſſe gratiæ illi ſufficienti locum: quia ſani hominis adjutorium eſt, non medicinale, quo jam homo multis profundiſque vulneribus confoſſus indiget, Chriſti Salvatoris auxilium.* Hoc falſum eſſe ex iis quæ hic §. 5. dicta ſunt, ſatis, puto, apparet: eo vero ſuppoſito, nequit ex hiſce propoſitionibus concludi, niſi totalis ſubverſio libertatis humanæ per peccatum.

LII. Depingunt nobis ſacræ paginæ libertatem noſtram velut potentiam, quæ ad bonum & malum, ignem & aquam, vitam & mortem valeat ſeſe extendere, at ſi abſente gratia illa omnipotente; præter quam in via Queſnelli nulla datur alia pro hoc ſtatu, quamque Deus nec omnibus dat, neque dare paratus eſt, uti idem docet; homo non eſt liber niſi ad malum, *nihil habet luminis niſi ad aberrandum, ardoris niſi ad ſe præcipitan-*

tan-

tandum, virium niſi ad ſe vulnerandum: ſi nihil ſine ea amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem: ubi eſt, obſecro, poteſtas ad aliud extremum, bonum; quæ niſi adſit, tollitur libertas? Audiat Magiſtrum Sent. *lib. 2. diſt. 28. cap. ult.* ex *epiſt. Hieron. ad Damaſum* (ſi tamen Hieronymi eſt): *Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper indigere Dei auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos, qui cum Joviniano aſſerunt, hominem non poſſe peccare. Uterque tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus, hominem ſemper & non peccare, & peccare poſſe: ut ſemper nos liberi confiteamur arbitrii. Hæc eſt fides quam in catholica Eccleſia didicimus, & quam ſemper tenuimus.* Dicetne ex S. Thoma 1. 2. q. 109. a 4. *ad 2. Illud quod poſſumus cum auxilio divino, non eſt nobis omnino impoſſibile, ſecundum illud Philoſophi 3. Ethic.* „ Quæ per amicos poſſumus, per nos poſſumus?„ Sed hanc evaſionem ſtrenuè præcluſit noſter Alexander Sebille, in egregio opere, quo primus in Belgio Janſeniſmum oppugnavit: *D. Auguſtini ... Interpres Thomiſticus lib. 2. cap.* 10 Nam licet hoc verum ſit, quando homo divinum auxilium actu habet, vel ſaltem Deus paratus eſt, abſque nova hominis culpa, illud conferre: (prout D. Thomas illud axioma Philoſophi intelligit, juxta illud 3. contra Gent. c. 159. *Deus quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare*: & illud Leonis PP. Serm. 116. *Juſte nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.*) tamen nullo modo dicendum eſt eſſe in poteſtate hominis facere bonum, ſuppoſito quod ad quodcumque bonum indigeat gratia Dei ſupernaturali, in caſu, quo nec

actu

actu illam gratiam ſupernaturalem habet, nec Deus paratus ſit illam dare. Iam vero, juxta Paſchaſii principia, neque dat Deus, neque paratus eſt dare eam gratiam omnipotentem, ſine qua nihil fit, nec fieri poteſt boni, niſi quibuſdam tantum; cæteros, quos nec ſalvare ullo quidem modo vult, in ſua impotentia & infirmitate relinquit, juxta Queſnellum.

LIII. Nec juvat ſi dicas, multos ex his, quibus illud deeſt auxilium, habere charitatem, vel fidem, vel naturale lumen rationis, quibus mediantibus poſſunt bonum, remote ſaltem, facere. Non, inquam, juvat: nam & Adam in innocentiæ ſtatu, per dona quæ acceperat, plus poterat, quam homo lapſus, illis omnibus, mox recenſitis inſtructus: & tamen Auguſtinus non dubitat aſſerere, quod, ſi auxilium actuale ei defuiſſet, ſine ſua culpa cecidiſſet: non aliam ob cauſam, niſi quia dona illa habitualia non ſufficiunt ad tollendam impoſſibilitatem. Præterea; Janſenius *Tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 15. omnes illos poſſibilitatis modos recenſuit & admiſit, his tamen minime obſtantibus vidit evidenter ſequi, quod ſine auxilio actuali efficaci & neceſſitante; quod ſolum admiſit pro hoc ſtatu, uti & Queſnellus; aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, etſi volentibus & conantibus ſint impoſſibilia &c. Tandem, etſi aliqui ex illis, quibus Deus non dat nec dare vult gratiam illam omnipotentem, præditi ſint donis illis habitualibus, innumeri ſunt, quibus illa deſunt: ergo illi ſaltem ſunt ſimpliciter impotens ad bonum; ſicque nec liberi.

De corr. & grat. c. 11.

LIV. Sed quid laboro in oſtendenda illa impotentia, cum ipſæmet propoſitiones eam apertiſſi-

tiſſime tradant: *Nihil habet virium, niſi ad ſe vulnerandum, nihil ardoris niſi ad ſe præcipitandum, nihil luminis niſi ad aberrandum*: verbo, homo illa gratia deſtitutus, *eſt capax ad omne malum, incapax ad omnè bonum*. Ubi accurate animadvertendum venit, hiſce propoſitionibus, non vagam aliquam moralem, peccandi aliquando, neceſſitatem; ſed phyſicam, ex defectu poteſtatis ad bonum, ſuam trahentem originem, in quolibet actu, qui fit, ſine gratia illa omnipotente Queſnelliana, adſtrui. Moralem jam dictam, ex infirmitate ac debilitate naturæ lapſæ, ex vehementia tentationum, ex multitudine diſtractionum, & occaſionum, ex deordinatione erga ultimum finem in peccatoribus, provenientem, non tam abnuit Auguſtinus & Thomas, ut potius primus ex S. Ambroſio, alter evidentiſſima ratione probet. Phyſicam nec in Auguſtino, nec in Thoma, ſed in Luthero, Calvino aut Janſenio invenire potuit Queſnellus. De dono perſ. c. 8. 1. 2. qu. 109. a. 8.
Atque, ut de primis taceam; Janſenius hominem in primo ſtatu liberum fuiſſe fatetur: *Erat quippe*; verba ipſius ſunt, *De grat. primi hom. cap.* 14. §. 6. *inſtar bilancis in æquilibrio conſtitutus, & inſtar globi rotundiſſimi, in planitie perfectiſſima, verſus omnem partem æque mobilis*: quam ob cauſam non indigebat Adam in ſtatu illo, ſi Janſenio fides, niſi adjutorio *ſine quo non*; (contra manifeſtam Fulgentii, fideliſſimi Auguſtini diſcipuli & interpretis, ſententiam *Lib. 2. ad Thraſ. c.* 3. *Non alia gratia ſtantem Angelum a ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque operata gratia: in hoc ut ſurgeret; in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur; in* Edit. Rothomag. 1652. T. 2. pag. 61. col. 1. in fine.

iſto ut ſanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit; illum infirmari non ſivit. Illius eſca, iſtius medicina. Quæ

Serm. 34. de diverſis cap. 3. ſententia ex ipſo Auguſtino, dicente, *Deus medicus, opus eſt etiam ſanis, ut ſanitas ipſa teneatur,* deſumpta videtur) poſt peccatum autem, Deus bone! quæ metamorphoſis. Audiamus Janſenium e tripode oracula fundentem, *De grat. Chr. Salv.*

Tomo 3. pag. 183. col. 2. *lib. 4. cap. x. §. 2. Hinc patet, cur ſtatui innocentiæ, & primo homini tamquam PROPRIUM aſſignaverit, ita liberum eſſe, ut bene velle poſſit & male: cum id Scholaſticorum judicio, omnibus hominibus, niſi beati fuerint, ex vi liberæ voluntatis competere videatur .... Secundo patet qua ratione verum*

Pag. 184. col. 1. *ſit, quod in homine lapſo, ante gratiam ... non ſit amplius illa primæva flexibilitas, qua bene velle poſſit, & male ... Hinc ergo fit, quod liberum arbitrium; ante gratiam, ex Auguſtini doctrina.* (ita perperam putavit Janſenius) *non ſit amplius liberum ad agendum bonum: ſed tantummodo ad malum.*

Loc. cit. col. 2. *Hinc patet quarto, jam poſtquam gratia poſt lapſum nos adjuvare cœperit, eſſe quidem in homine liberum arbitrium ad utrumlibet faciendum, bonum ac malum, ſed non ita ſicut ante lapſum in innocentiæ ſtatu, atque Angelis fuit. Illorum enim ſic liberum erat, ut ſuo ſe nutu, nihil impediente vel urgente libertatem, flecteret ad utrumlibet: ſolum, ſi male, non ſine adjutorio, ſi faceret bene. Nunc autem ipſum adjutorium beneficæ ſuavitatis facit, ut bonum velit: quo ſi deſertum fuerit, ipſum adjutorium, ut ita loquar, noxiæ ſuavitatis facit, ut malum velit. Illam quippe ſuavitatem quæ ſuperaverit, voluntas conſentiendo ſequitur .... Sexto hinc etiam claret, cur Auguſtinus* (quod falſum eſt) *omnem omnino gratiam pure ſufficientem, ſive ante fidem, ſive etiam*

poſt

poſt fidem auferat. Ratio perſpicua eſt, quia cum ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei; niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur..... Sed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia: ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem poſſit ſequi; niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur. Quamquam ex alio capite ipſa ratio gratiæ ſufficientis integræ naturæ, ac libero arbitrio ſeipſum viribus ſuis diſcernenti propria eſt, & propterea inepta naturæ laſæ vel reparandæ, vel adjuvandæ. Fere dixerat Janſenius, non eſſe in poteſtate hominis, pro hoc ſtatu, vias ſuas bonas aut malas facere. Et vere non video in quo differat hæc Janſenii doctrina, a damnata illa *Seſſ.6.can.6. Tridentino.* Hic eſt fons, unde fœtentes aquas ſuas, de neceſſitate phyſica ad malum, orta ex defectu phyſicæ ad bonum poteſtatis, haurire Queſnellus, Janſenii amantiſſimus, potuit. Sancti Patres, ſuperius citati, ad ſummum, neceſſitatem quandam moralem, & vagam peccandi aliquando, in homine lapſo admittunt: verum, juxta illam Janſenii doctrinam, & Queſnellianas, quas præ manibus habemus, propoſitiones, phyſica admittenda eſt peccandi neceſſitas, in quolibet actu, ſine gratia omnipotente elicito; unde velint nolint, coguntur cum Janſenius, tum Queſnellus poſt, & cum Calvino *Lib.1. inſtitut. c.2. num.7.* Edit. Amſtel. 1667. dicere: *Liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat, boni æque ac mali electionem: ſed quia mala voluntate agit, non coactione.* Valeant illi cum ſuo Calvino: perplacet ſententia Magiſtri: *Nos vero dicimus, hominem ſemper* l.2. diſti. 28. c.ult.

 & non

& non peccare, & peccare poſſe: ut ſemper nos liberi confiteamur arbitrii. Hæc eſt fides quam in catholica Eccleſia didicimus, & quam ſemper tenuimus.

LV. Adducit in favorem harum propoſitionum auctor *Theol. ſuppl. pag.* 188. varias auctoritates S. Auguſtini, Conc. Arauſicani 2. *can.* 22. Auctorem libri *de vocatione gentium lib.* 1. *cap.* 8. varios demum Theologos, quos citaverat *pag.* 174. nominatim, probabiliter docentes, *quod nempe nulla hujuſmodi gratia*, actuali, *excitatus & motus homo, nativiſque corruptæ naturæ viribus omnino relictus, nil niſi ad malum poſſit.* Sed vere nihil proſunt omnia illa damnatis propoſitionibus. Pleræque enim S. Auguſtini auctoritates, uti illæ ex *libris contra Pelagianos* editis deſumptæ, ſolum probant hominem ſine gratia non poſſe opus undequaque bonum, ideſt, etiam meritorium vitæ æternæ, quod afferebat Pelagius, elicere: illæ vero ex *libris contra Julianum*, id ad ſummum probant, quod ſine gratia, non poſſit homo aliquod opus bonum, hoc eſt, quo ſe ad gratiam conſequendam diſponeret; uti Julianus inter cætera prætendebat; efficere. Expoſitio hæc bonæ critices regulæ, qua ex ſcopo auctorum, ſenſum eorumdem venari docemur, conformis eſt. Illud vero ex *ſerm.* 10. *de verb. Apoſt. Noſtrum nihil eſt, niſi peccatum quod habemus.* Item aliud ex *Tract.* 5. *in Joan. Nemo habet de ſuo niſi mendacium eſt peccatum*: ambabus ulnis amplector. Quinimo intimis omnium cordibus inſculptam opto auream hanc Auguſtini

Serm. 10. de verb. Apoſt.

ſententiam: *Præveniet te Deus in omnibus: præveni & tu aliquando ejus iram. Quomodo? Confitere iſta omnia a Deo te habere: quidquid BONI*

ha-

habes, eſſe ab ipſo: a te, quidquid MALI. Quippe ex *can*. 20. Conc. Arauſic. 2. cum *nulla faciat homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo*: peccatum vero ſit a Deo ſolum permiſſivè, ab homine vero ut a prima, & proxima cauſa: nam primum deficiens, eſt creatura: recte dixit Auguſtinus, nihil *noſtrum* eſſe *niſi mendacium & peccatum*: cum omne bonum a contrario Deo adſcribendum ſit, cujuſcumque illud ſit ordinis, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis. Verum ex hoc male concluditur, ad omne bonum requiri gratiam ſupernaturalem, eamque omnipotentem: quaſi vero influxus Dei naturalis ordinis, nil niſi malum proferret! Ad id vero quod ex *Capitulis epiſt.* Cæleſtini annexis adducitur: *Nemo niſi per Chriſtum bene utitur libero arbitrio* facillima reſponſio eſt, ſi reflectamus ex Auguſt. nos arbitrio & rebus mundi bene uti, ſi ita iis utamur, *ut de corporalibus temporalibuſque rebus, æterna & ſpiritualia capiamus*: id eſt meritorie: concedimus autem ad meritum gratiam requiri. Unde nihil contra nos facit locus iſte. Explicatio hæc, ſeu diſtinctio, a S. Thoma mutuata eſt; qui explicans qualiter fides & ſpes, in abſentia charitatis, ſint veræ, ſed non perfectæ virtutes, ait: *Et ideo fides & ſpes poſſunt eſſe ſine charitate: ſed ſine charitate, proprie loquendo, virtutes non ſunt. Nam ad rationem virtutis pertinet, ut non ſolum ſecundum ipſam aliquod BONUM operemur, ſed etiam BENE, ut dicitur. 2. Ethic.* Videmus hic clare, aliud eſſe operari BONUM, aliud BENE. Hoc ſine charitate non fit; ſecus illud.

Lib. 1. de Doctrina Chriſti cap. 4.

1. 2. qu. 65. a 4. c.

LVI. Eodem modo reſponderi poteſt ad illorum Theologorum auctoritates: attamen ali-

quid addendum ; quia dicit illos Theologos docere, quod homo ſine gratia *nihil niſi ad malum poſſit*. Unius ſolum & alterius Theologi, quos *pag*.174., ad quam remittit *pag*. 191., citat, ſententiam referam ; poterit exinde de aliis judicari. Primus eſt Alvareſius noſter. Is *De auxiliis* ea ipſa diſputatione 50. *lib. 6. a Theologia ſuppl.* citata, ſtatim ab initio, hæc formalia habet : *Certiſſimum eſt enim, in doctrina S. Thomæ, imo & juxta decretum Bullæ Pii V.... poſſe hominem, abſque auxilio gratiæ, elicere aliquem actum bonum moraliter, qui ſit vere bonum, ac veræ, ſed tamen imperfectæ virtutis opus, comparatione objecti, ſeu boni particularis*. Alter quem citat, eſt Lemoſius noſter. At is quoque eodem, quem citat loco, nimirum *Panoplia grat. Tom.3. lib.3. par.2. tract.2.* idem docet quod Alvareſius. Sic enim lego *cap.6. num 69. Dicendum ergo primo : homo in natura lapſa ſine auxilio gratiæ, non ſemper facit opus morale malum, ſive ex objecto, & genere, ſive ex mala circumſtantia : ita, ut nullum poſſit opus bonum morale efficere. Hæc catholica veritas eſt, contra Lutheranos & Calviniſtas definita in Sac. Conc. Trid. ſeſs.6. de juſtif. can.7.... Quinto dicendum, aliqua bona opera moralia ex objecto, & fine, & abſque mala circumſtantia efficere poteſt homo in natura lapſa ſolis ſuæ naturæ viribus, cum concurſu generali Dei, ordinis naturalis, abſque omni auxilio ſupernaturali divinæ gratiæ. Hæc illa media via eſt, qua (ut in prima concluſione præmiſimus) catholica veritas, inter duos extremos incedit, vitans errores Pelagianorum, dicentium hominem talem omne bonum opus facere poſſe : & Lutheranorum & Calviniſtarum contendentium bonum opus* (nullum)

ef-

efficere poſſe ; utrumque errorem æqualiter damnans &c. Tales tamen viros, qui doctrinam Thomiſticam ſumma cum gloria propugnarunt in famoſis illis *de Auxiliis* concertationibus, Auctor *Theol.ſuppl.* citare audet,ac ſi docuerint, quod homo ſine gratia, *nihil niſi ad malum poſſit!*

LVII. Sed, quod intolerabilius longe eſt, addit: *Quibus omnibus præluxiſſe videtur D. Thomas 2. 2. qu.136. art.3. ad 2.* Præluxit ſane Sanctus Doctor illis authoribus, ſed in damnanda illa aſſertione, non in aſſerenda. Illud vero quod S. Thomas aſſerit loco citato, hoc eſt; quod ad amorem virtutis, & vitii fugam, tales, ut potius eligat quis graviſſima mala ac cruciatus tolerare, quam, v. g. patriam prodere, aut aliquid aliud inhoneſti committere, (de quibus caſibus agitur in argumento) licet neceſſaria non ſit gratia habitualis,requiratur tamen auxilium aliquod actuale gratiæ Dei; propter heroicitatem, ut ſic dicam, iſtorum actuum. En argumentum S. Th. 2. cum ſua ſolutione. *Præterea. Aliqui non exiſtentes in ſtatu gratiæ magis abhorrent mala vitiorum, quam corporalia mala. Unde quidam gentilium leguntur multa mala toleraſſe, ne patriam ponderent, aut aliquid aliud inhoneſtum committerent: ſed hoc eſt patientem eſſe: ergo videtur quod patientia poſſit haberi abſque auxilio gratiæ.* Huic argumento reſpondet S.Thomas. *Dicendum quod bonum politicæ virtutis commenſuratum eſt naturæ humanæ. Et ideo abſque auxilio gratiæ gratum facientis poteſt voluntas humana in illud tendere; licet non abſque auxilio gratiæ Dei. Sed bonum gratiæ eſt ſupernaturale: unde in illud non poteſt tendere homo per virtutem ſuæ naturæ. Et ideo non eſt ſimilis ratio.* Di- Pag.175.

cat nunc auctor *Theol. ſuppl.* utrum exiſtimet S. Thomam requiſiviſſe gratiam Chriſti, de qua Queſnellus agit, id eſt entitative ſupernaturalem in caſu, de quo in argumento agitur? Si affirmat: ergo a S. Thoma damnatæ hic ſunt propoſitt. Queſnelli 26. 27. 28. & 29. quibus aſſeritur nullam gratiam concedi ante fidem. Si dicat S. Thomam ſolum requirere gratiam, id eſt, influxum aliquem extraordinarium, ac prorſus indebitum, ordinis naturalis, ad quid inducit hunc textum pro Queſnello, exigente gratiam Chriſti, id eſt, ſupernaturalem, ad quodcumque opus bonum, cujuſcumque generis? Qualecumque autem ſit auxilium illud gratiæ Dei, quod Sanctus Thomas requirit ad tolerandum multa mala, ne patriam quis prodat, aut aliquod aliud inhoneſtum committat, nemo ſenſatus inde inferet, requiri juxta S. Thomam auxilium ſupernaturalis gratiæ, ad quemlibet actum honeſtum, etiam leviſſimum: præſertim cum S. Thomas innumeris locis doceat contrarium. Videri poteſt 2. 2. *q.*10. *art.*4. ubi docet, quod *cum infidelitas ſit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent: remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde manifeſtum eſt, quod infideles non poſſunt operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria; tamen bona opera ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt. Unde non oportet ut in omni opere ſuo peccent. Sed quandocumque aliquod opus operantur EX INFIDELITATE, tunc peccant.* Porro inter illa opera ad quæ ſufficit bonum naturæ, recenſet S. Thomas 1. 2. *q.* 109. *art.*2. ædificare domos, plantare vineas: 2. 2. *q.* 23. *art.* 7. conſervare civitatem *q.* 24. *de verit. art.* 14.

art. 14. Dare eleemoſynam ex quadam naturali dilectione vel benignitate, dicit eſſe bonum proportionatum viribus humanis: additque: *illud autem bonum quod eſt naturæ humanæ proportionatum, poteſt homo per liberum arbitrium explere. Unde dicit Auguſtinus, quod homo per liberum arbitrium poteſt agros colere, domos ædificare, & ALIA PLURA BONA FACERE SINE GRATIA OPERANTE.*

LVIII. Concludo hunc §. verbis Lemoſii noſtri *loc. cit.* ubi, poſtquam ex Tridentino & Arauſicano 2. probaſſet quintam ſupra memoratam conclusionem, eandem ita confirmat. „ Idem „ clarius traditur a Pio V. contra quemdam Mi- „ chaelem Bajum, in quadam Bulla a Grego- „ rio XIII. confirmata & publicata an. 1579. 4. „ Kal. Febr. Pontif. an. 8. in qua inter alias illius „ Authoris damnatas aſſertiones hæc 37. loco „ conſtituitur: *Cum Pelagio ſentit, qui boni ali-* „ *quid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis vi-* „ *ribus ortum ducit, agnoſcit*.... Et alia ejuſdem „ Authoris reprobatur, quæ eſt num. 25. quæ „ ſic habet: *Omnia opera infidelium ſunt peccata.* „ Et alia 27. quæ talis eſt: *Liberum arbitrium ſine* „ *gratiæ Dei adjutorio, nonniſi ad peccandum valet.* „ Quæ omnes propoſitiones damnatæ ſunt ab „ utroque Pontifice Summo, & a Concil. Tri- „ dent., & Arauſicano citatis: quas etiam prius „ S. P. Auguſtinus damnavit; perpetuo docens, „ quod poteſt homo in natura lapſa, ſine gratiæ „ auxilio aliqua bona opera moralia ex objecto; „ & ſine mala circumſtantia facere; ita quod in il- „ lis nullo modo peccet; ut conſtat ex inductis „ teſtimoniis, Eandem ſemper docuit S. Tho- Pag. 29. num. 80.

„ mas, ut patet ex 1. 2. *q.* 109. *a.*2. & 4. & 2. 2.
„ *q.*10.*a.*4. ubi docet non omnia opera infidelium
„ eſſe peccata. Ratio etiam id convincit: ſi enim
„ homo non poteſt ſine auxilio gratiæ efficere
„ aliquod bonum opus morale: ergo ſic operando
„ ſemper peccat; & ex conſequenti extinctum
„ manet liberum arbitrium ad bonum per peccatum
„ originale: quæ eſt hæreſis Lutheranorum
„ & Calviniſtarum, in Sacris Conciliis damnata.
„ Nec huic obſtat veritati, quod ab Apoſtolo
„ dicitur, *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*.
„ Non enim intendit (ut communis eſt SS. Patrum
„ intelligentia) quod omnia opera infidelium
„ verè, & propriè peccata ſint. Unde illius
„ teſtimonii duplex vera intelligentia eſt. Prima,
„ quod omnia opera infidelium meritoria
„ non ſint, & ſic largo modo peccata dicantur;
„ inquantum nempe nihil conducunt ad ſalutem
„ & meritum. Secunda (quæ magis propria videtur)
„ eſt, quod omnia opera infidelium,
„ quæ ab ipſis fiunt, quatenus infideles ſunt, &
„ procedunt ex infidelitate, vel ad ipſam ordinantur,
„ illa vere peccata ſint; non autem bona
„ aliqua naturæ opera, quæ ab ipſis non fiunt
„ ex infidelitate, vel ad ipſam ordinantur, ſed
„ ex quadam naturali bonitate, communi ipſis,
„ & aliis, qui infideles non ſunt; qualia ſunt bona
„ aliqua moralia, puta, dare eleemoſinam
„ propter naturalem pietatem: dicere verum,
„ & non mendacium, & ſimilia. Ita S. Thomas
„ exponit 2.2.*q.*10.*a.*4... Non etiam obſtat quod
„ in Conc. Arauſicano 2. definitur; *can.* 22. nimirum,
„ quod *nemo habet de ſuo niſi mendacium*
„ *& peccatum*. Senſus enim eſt, quod ſine Deo

„ vel

„ vel auxiliante per gratiam, vel per generalem „ influxum ordinis naturalis, non poteſt habere „ homo ex ſe ſolo, niſi peccatum, atque menda- „ cium: quia prima cauſa mendacii atque peccati „ homo ſolus eſt: de cujus vera intelligentia co- „ pioſe dictum eſt ſupra. „ Hæc Lemoſius. Igitur Queſnellus illos contrarios renovans errores, merito damnatus eſt: ſive, ipſe ſe damnatione antiqua ultra involvit: uti pag. 39. num. 4. dictum eſt.

ſ. IX.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis, claudendo totum in fide & precibus. Eſt. 68. Queſnel. Act. 2. v. 21.

LIX. Propoſitio hæc ſponte fluit ſua ex præcedentibus, toto hoc capite diſcuſſis. Si enim defacto non datur niſi gratia illa omnipotens, quæ totum ſemper efficit, ad quod efficiendum a Deo datur: (gratias inefficaces Janſeniſticas, quæ vere ſufficientes non ſunt, haud moror) ſi ſine illa nihil boni cujuſcumque generis fieri poteſt: ſi ita nobis adveniat, ut mortuis actio, ſeu potius voluntas reſuſcitativa, ægris, ſanativa Dei: ſi omnes ita gratuitæ ſunt, ſicut ipſa originalis operatio, id eſt, incarnatio Filii Dei, fruſtra peccatores *ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad curren-*

rendum in ſtadio cohortando (quamvis id laudet & probet Trident.) deſudant : imo obſunt ſibi potius ; & *quanto vehementius peccator nititur ſe diſponere ad gratiam , tanto gravius peccat* : unde concludendum Queſnello erat , Deum abbreviaſſe *viam ſalutis* , *claudendo totum in fide & precibus* . Precibus , inquam , non quas peccator pro ſe ipſo fundit ; quippe *Oratio impiorum novum eſt peccatum* , ut habet prop. 59. ; ſed quas Eccleſia , vel juſti pro peccatoribus fundunt . Hic eſt ipſiſſimus error Monachorum illorum Adrumetinorum, qui apud Auguſtinum dicebant ; *Ergo præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus , qui nobis præſunt* : (pro hoc ponit Queſnellus Fidem(*Et ut faciamus orent pro nobis* ; *non autem nos corripiant & arguant* , *ſi non fecerimus* . Ecce preces, quas , non peccator pro ſe ipſo, ſed peccatoris converſionem deſiderans, pro peccatore fundit : ac ſic etiam intelligenda neceſſario venit propoſitio Queſnelliana ; præſertim,dum ut connexa cum quinquageſima nona , intelligitur atque appenditur .

(Seſſ. 6. cap. 11. — De correp. & gr. c. 3.)

LX. Ubi ergo ſunt opera bona , pro quorum accumulatione Scriptura Sacra fere ubique vult nos eſſe plurimum ſollicitos ? *Quodcumque facere poteſt manus tua , inſtanter operare : quia nec opus , nec ratio , nec ſapientia , nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas. -- Satagite,ut per bona opera certam veſtram vocationem , & electionem faciatis : hæc enim facientes , non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus , in æternum Regnum Domini Noſtri , & Salvatoris Jeſu Chriſti* . Nolo hîc diſcutere, an negaverit verè Queſnellus neceſſitatem bonorum operum ad ſalutem . Satis mihi in præſenti , ex hac & aliis

(Eccle. 9. v. 10. — 2. Petri 1. v. 10.)

pro-

propoſitionibus ſequi, non debere nos de illis eſſe multum ſollicitos: id eſt, non magis, ac ſoliti ſimus eſſe, utrumne ante generalem reſurrectionem ſimus reſuſcitandi: vel, utrum miraculoſe ab aliqua infirmitate ſanandi ſimus: cum hæ operationes divinæ miſericordiæ & omnipotentiæ ſint juſta idea, quæ haberi debet de divina gratia in ſanandis animabus a cupiditate, ut vult prop. 24. Cum ergo in hac quoque propoſitione dicat, negotium ſalutis totaliter clauſum in fide & precibus, omnino rationabiliter dicitur, Queſnellum ſollicitudinem exercendi ſe in bonis operibus excluſiſſe. Hoc eſt Chriſtifideles in fanaticos Anabaptiſtas, in angulis recluſos, cœleſtis gratiæ illapſum præſtolantes, taciturnos ſedentes, torvumque aſpicientes pro parte convertere: aut ſane in libertinos. Non tales tamen, qui nec Deum credant: aut Angelum aut Dæmonem, aut Spiritum; ſed politicos illos, qui ex capitalibus religionibus, Chriſtianiſmo, Judaiſmo, Turciſmo, Ethniciſmo, primam, ut rationi magis congruentem, præ cæteris eligunt; eique ſe exterius conformant; interne vero permittunt ſe agi paſſionibus: docti, omnia in præſenti ſtatu ex neceſſitate abſoluta evenire: quæ, utut adverſa ſit libertati ſtatus innocentiæ, hujus tamen corruptæ naturæ libertatem conſtituit. Sic videmus quoque ex Calviniſmo, cui hîc conſentit Queſnellus, memoratas illas ſectas, ut innumeras alias prætercam, prodiiſſe.

LXI. Quod amplius eſt, Queſnellus non requirit hac propoſitione fidem Romano-catholicam, ſed præciſe chriſtianam, qua in Chriſtum ut Meſſiam creditur. Hoc ut manifeſtum fiat, de-

ſcri-

ſcribenda hîc venit propoſitio illa cum ſuis adjunctis, queiſcum apud Queſnellum extat, &,dubio procul, in examine diſcuſſa eſt. Sic ergo habet
An.1695 Edit. Latina *Act.2.v.21. Vera religio non amplius uni populo affixa eſt, Religio univerſalis eſt CHRISTIANISMUS. Invocare Dominum, non aliud eſt, quam in ipſo ſpem omnem reponere, & nonniſi ab ipſo gratiam faciendi ejus voluntatem EXPECTARE. Quæ Dei bonitas ſic in compendium redegiſſe* (alias abbreviaſſe, vel abbreviavit) *viam ſalutis fide & oratione concludendo omnia.* Sufficit ergo Queſnello *Chriſtianiſmus*, cum fiducia in Deum, ad ſalutem. Sic ſibi propitias reddebat omnium chriſtianorum Sectas, apud quas prævidebat, cum ſuum ederet *Reflexionum Librum*, ſibi aliquando aſylum fore quærendum. Huc quoque ſpectat prop.94. *Nihil peiorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium; & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

LXII. Fruſtra autem nobis opponit *Theol.*
Pag.119. *Suppl. Compendiariam ſalutis viam in fide & precibus ponunt Sacræ Literæ*: Reſpondetur enim 1. ut reſpondere ſolent catholici Lutheranis & Calviniſtis, ſolam fidem ad ſalutem neceſſariam aſſerentibus, Sacras Litteras non debuiſſe ubique omnia ad ſalutem neceſſaria repetere; ſed ſufficere ſi unum hîc, aliud alibi collocet, addatque:
Matt.12. v.23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Reſpondetur 2. Sacras litteras inculcare ut ſolliciti ſimus bonis operibus ſalutem noſtram & electionem certam facere: hanc ſollicitudinem principia Queſnelli, ut dictum eſt, excludunt. Reſp. 3. Aliud

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, omnia ſalutis remedia in breve redigere compendium; aliud, *abbreviare* viam ſalutis, atque in duobus *claudere*. Primum facit Scriptura: alterum Queſnellus. Et quid eſt, obſecro, *abbreviavit, claudendo totum in fide & precibus*, niſi dicere, hæc ſolum a nobis exigi: reliqua Deo curæ futura? Hoc dixit Queſnellus: Scriptura nullibi.

LXIII. Nihilo plus proficit adducendo Auguſtinum. Enimvero Auguſtinus de Monachis illis Adrumentinis, qui nequidquam minus ad ſalutem quam Queſnellus requirebant, haud contentus, etiam integrum librum edidit ipſis, & in ipſis Queſnello, confutandis. Scripſerit ergo Auguſtinus. *Opus unum eſt, in quo ſunt omnia: fides quæ per dilectionem operatur*. Item: *Pete ab illo ſalutem, & ſalus tua ipſe erit*. Scripſit etiam S. Thomas, ut quidam referunt in ejus vita, ſorori petenti, quid facto opus, ut ſalva fieret? *Ut velis*: ecce compendium breviſſimum, ſeptem incluſum litterulis. Dixit etiam S. Ignatius de Loyola: Si vis ſalvus eſſe; ſic ora, quaſi nihil poſſes: ſic age, quaſi nullius ope indigus. Hi ſancti cum S. Scriptura paucis multa: Queſnellus multis pauca. *Abbreviando* & *claudendo* totam viam ſalutis in duobus. Liceat nobis compendia illa Queſnelliana ignorare.

In Pſal. 89.

In Pſal. 52.

REFLEXIO TERTIA.

LXIV. Ex his fere patet qualem ſibi Queſnellus ideam finxerit libertatis humanæ, humanarumque actionum. Scilicet, homo ipſi eſt navigii inſtar, quod pernici ac rapido fluvio, in diverſa quaſi brachia diviſio, impoſitum, non niſi deorſum in mare præceps ruit, aut ruere poteſt; niſi

ad-

adverſo vento, vim ipſam fluminis ſuperante, ſurſum, adverſo flumine feratur; quodque tum demum ſurſum ferri poteſt, quando actu fertur. Tale eſt Queſnello liberum arbitrium in ſtatu naturæ corruptæ. Amore proprio, in varia quidem, ac ſibi etiam adverſa, ruente agitur deorſum in præceps, id eſt in peccatum; ita ut nulla ejus ſit actio, omiſſio nulla, quin ſit gravius aut levius peccaminoſa; niſi vi & virtute gratiæ, impetum amoris proprii ſuperante, in bonum feratur: in quod tunc ferri poteſt, quando defacto, vi gratiæ in illud fertur. Hinc motiones morales, puta exhortationes, correptiones, exempla, flagella, cæteræque gratiæ exteriores, quibus homo ratione præditus, natus eſt moraliter moveri, inutiles ſunt, imo noxiæ, hominemque peiorem, & obduratiorem aptæ natæ ſunt reddere; niſi gratia interius animum in bonum impetu ſuo abripiat. An hæc non ſit ſpecies quædam Manichæiſmi? Ecquid enim intereſt neceſſitatem illam unde contraxerit homo, an ex prima ſua inſtitutione, ut Manichæi ſomniabant, an vero ex culpa non perſonali, ſed capitis ſui, ac primi parentis?

LXV. Quam hæc diſtant, imo adverſantur Thomiſtarum (quos aliqui inſcitiâ dicam, an malevolentiâ? Queſnelli aſſeclas buccinant) doctrinæ ac primis etiam principiis! Eſt homo Thomiſtis inſtar navis mari impoſitæ, vento vigoroſo quidem, ſed propitio afflatæ, omnibus proſperæ navigationi neceſſariis adminiculis inſtructæ, præſertim expedito gubernaculo, quo poſſit, in quamcumque voluerit partem curſum deflectere: nec deſunt remi, quibus poſſit ſe juvare ad captandam auram. Homo, inquam, voluntate,

am-

ampliſſima ſcilicet poteſtate, & quæ a nullo bono creato, imo nec divino non clarè viſo, ſufficienter, id eſt neceſſario moveri poteſt, præditus, adjuncta ratione æque vaſta & ampla, aſpiratur a Deo, poniturque in motu. Quo nunc curſum intendet? Voluntas in motu poſita, applicat ducem ſibi adjunctum intellectum, vocatque in conſilium. Hic, quid utilitatis, quid commodi, quid boni, quid mali dextrorſum, quid item ſiniſtrorſum occurrat, exquirit, voluntatique proponit. Hæc, cujus eſt determinare curſum, cum nihil inveniat, quod ſe rapiat, anceps hæreret facillime, niſi unum aliquod occurreret, quod præ aliis aliquanto plus placeret; ſoletque id magis placere, quod præſenti voluntatis diſpoſitioni magis conforme eſt; unuſquiſque enim indicat prout affectus eſt. Verumtamen non ſibi totaliter relinquitur: providet Deus per exhortationes, correptiones, prædicationes, exempla, & interdum etiam ægritudines, & flagella, donum gratiæ &c. ut recte curſum inſtituat; ne ſirenes aliquas allicientes, objecta ſenſuum dico, & habitus vitioſos aut audiat, aut certe contemnat: nihil tamen horum, ut planum eſt, eum neceſſitat, ſed liberrimam ei electionem & optionem relinquit. Dum ſic voluntas, intellectu facem præferente, in diverſa velut apis de flore in florem, pervagatur, complaceat ſibi tandem in uno præ aliis: ſi in bono, Deo id adſcribendum: ſi in malo, aliunde eſt. Duplex hoc motionis genus eleganter expreſſit Sanctus Bernard. *De grat. & lib. arb. c. 14. n. 51. Deus,* inquit, *voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.*

LXVI. Porro hæc complacentia, quod bene ob-

obſervandum, non eſt aliquis actus, vel actio, ſed quies voluntatis in uno præ alio, ex qua, ſi aliqualiter perſeveret, naſcitur deſiderium, quo jam ſignificatur motus quidam. Unde erravit Janſenius dum dixit: *Quid eſt delectari hominem juſtitiâ vel mendacio, niſi actu aliquo in juſtitiam, vel mendacium tamquam ſibi convenientia, & jucunda moveri?* Eſt, inquam, complacentia, quædam inchoatio, delineatio, rudimentum deſiderii, ſeu coaptatio voluntatis ad deſiderium, in quo jam importatur aliquis motus, etſi in complacentia nullus adhuc ſit, aut intelligatur. Præſtat audire S. Thomam id ſuis verbis angelicis explicantem. *Dicendum quod paſſio* (loquitur de paſſione amoris in iſto articulo:) *eſt effectus agentis in patiente. Agens autem naturale, duplicem effectum inducit in patiens. Nam primo quidem dat formam, ſecundo dat motum conſequentem formam; ſicut generans dat corpori gravitatem, & motum conſequentem ipſam: & ipſa gravitas, quæ eſt principium motus ad locum connaturalem, propter connaturalitatem, poteſt quodammodo dici amor naturalis. Sic etiam ipſum appetibile dat appetitui, primo quidem quamdam coaptationem ad ſe ipſum; quæ eſt quædam COMPLACENTIA APPETIBILIS; ex qua SEQUITUR MOTUS ad appetibile. Nam appetitivus motus circulo agitur, ut dicitur in 3. de Anima: appetibile enim movet appetitum* (metaphorice) *faciens quodammodo in eo ejus inclinationem; & appetitus tendit in appetibile realiter conſequendum, ut ibi ſit finis motus, ubi fuit principium. Prima ergo immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor: qui nihil eſt aliud quam complacentia appetibilis; & ex hac*

Lib. 4. de gr. Chr. cap. 11.

1. 2. q. 26 art. 2. c.

hac complacentia SEQUITUR MOTUS in appetibile, qui eſt deſiderium &c. Patet ergo ex S. Thoma, quod complacentia non ſit motus, ſed illius principium, præludium, ac rudimentum: idem docet *q.25. art.2.* Rurſus colligi idem poteſt ex ſequentibus ejus verbis. *Dicendum quod, ſicut dictum eſt, bonum eſt cauſa amoris per modum objecti. Bonum autem non eſt objectum appetitus, niſi prout eſt apprehenſum; & ideo amor requirit aliquam apprehenſionem boni quod amatur: & propter hoc Philoſophus dicit 9. Ethic. quod viſio corporalis eſt principium amoris ſenſitivi: & ſimiliter contemplatio ſpiritualis pulchritudinis vel bonitatis, eſt principium amoris ſpiritualis. Sic igitur cognitio eſt cauſa amoris ea ratione quâ & bonum, quod non poteſt amari niſi cognitum.* 1.2.q.27 art.2.c.

LXVII. Non ſolum objecti propoſitione, ſed innumeris aliis modis Deum uti, verbis ſequentibus explicat S. Thom. *Mutatio*, inquit, *voluntatis effici non poteſt ſine aliquo movente per modum excitantis. Omne enim motum neceſſe eſt ab alio moveri: nec differt quidquid ſit illud, quod hujuſmodi variationis occaſionem præbeat, quaſi voluntatem excitando; ſive ſit admonitio hominis, vel ægritudo corporis, vel aliquid hujuſmodi: quæ omnia conſtat divinæ providentiæ ſubjecta eſſe, & in bonum electorum ordinata. Unde quidquid illud fuerit quod hominem excitaverit ad convertendum ſe, ut gratiam gratum facientem accipiat, gratia gratis data dici poteſt.* Hæc S. Th. Conſentit auctor *libri de vocat. gent.* *Gratia quidem Dei illa*, inquiens, *in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terren-* In 1. diſt. 28. art. 4. Lib. 2. cap. 26. Edit. Pariſ. 1711.

rendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei atque conjungitur; quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi: de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit: quæ opitulatio per INNUMEROS modos, ſive occultos ſive manifeſtos omnibus adhibetur; & quod a multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ.

LXVIII. Nec videri debet alicui ſuperfluum, quod Thomiſtæ defendentes neceſſitatem prædeterminationis phyſicæ ad omnem omnino actum & motum, ſtabiliant hujuſmodi motiones morales: tum, quòd hic nondum agatur de aliquo actu aut motu, ſed de complacentia ſeu quiete, quæ eſt principium deſiderii, ſeu motus: tum, quia homo eſt agens ad duplicem ſpectans ordinem, phyſicum videlicet & moralem: unde cum ſit ſolum agens ſecundum, movens motum; duplex genus motionis expoſcit, phyſicum & morale. Deus ergo attingens omnia a fine uſque ad finem *FORTITER*, & diſponens omnia SUAVITER, utroque motionis genere utitur, ut hominem convertat in bonum. Id uſque adeo verum eſt, ut nec in converſionibus maxime miraculoſis, ſoleat diverſa illa motionum genera prætermittere. Inter converſiones mirabiles, & quæ maxime commendent potentiam Dei in humana corda, recenſet S. Auguſt. Aſſueri immutationem, de qua *Eſther.* 15. *Convertit Deus & tranſtulit indignationem ejus in lenitatem*: reflectitque Auguſtinus, *multo maius eſſe, indignationem a contrario in lenitatem convertere atque*

De grat. Chr. cap. 24.

trans-

transferre, quam cor, neutra affectione praeoccupatum, ſed inter utramque medium in aliquid declinare: unde talis converſio, non niſi efficaciſſima Dei operatione fieri potuit, & tali, quâ *Deus*; Bernardus loquitur in *Scbala Clauſtralium cap. penult*; *ut vulgo dici ſolet, bovem cum cornu trabit, quando non vocatus ſe infundit*. Non tamen hîc defuit motio moralis aptiſſima ad convertendum cor hominis voluptuoſi ac carnalis, qualis Rex ille erat: eximia videlicet, & incredibilis pulchritudinis regina, *roſeo colore vultum perfuſa, gratis & nitentibus oculis*. *Eſth.* 15. v. 8. in ſubitum pallorem, & mortis imaginem mutata. Dum vero hæc exterius lenitatem moraliter ſuaderent, Deus interius cor immutabat potenti manu ſua.

LXIX. Aliud mirabilis converſionis exemplum ſuppeditat nobis Paulus, qui cum eſſet in actuali flagitio, ſpirans minarum & cædis, ſtatim quamdam perfectionem juſtitiæ conſecutus eſt: ſed nec hîc defuit moralis externa motio, viſum ſimul & auditum percellens & occupans; & quidem miraculosè producta, uti obſervat S. T. 1.2. q. 113. a. 10. c. *Quam rabida*, inquit S. Auguſt. Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 22. Pauli *voluntas, quam furioſa, quam cæca! qui tamen una deſuper voce proſtratus, occurrente utique tali viſo, quo mens illa, & voluntas, refractâ ſævitia retorqueretur & corrigeretur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili perſecutore, mirabilior prædicator effectus eſt*. Mens Pauli contundenda, non palpanda; terrenda, non blande allicienda erat. Huic fini nihil aptius fulmine de cœlo, cum horribilis tonitrui fragore ruente in hominem, eumque ſolo allidente. Sic Saulus a concurrentibus omnibus hiſce cauſis, ac ſimul Deo

 gran-

grandiori voce intus tonante, convertitur in Paulum. Huc referri poteſt illud Auguſt. *Cum ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem; eademque res ſæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob juſtificatus eſt?* item illud S. T. *Invenimus enim ordinem infallibilem eſſe reſpectu alicujus dupliciter. Uno modo inquantum una cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine divinæ providentiæ. Alio modo quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium & deficere poſſibilium, pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad conſecutionem effectus, loco ejus quæ deficit, vel ne altera deficiat .... & hoc modo eſt in prædeſtinatione &c.* Patet ergo quod præter motionem illam phyſicam, quâ voluntas a Deo primitus in actu conſtituitur; de qua S. T. *Deus*, inquit, *movet voluntatem hominis ſicut univerſalis motor, ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum: & ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle*: præter hanc, inquam, dari varii generis motiones morales, quibus homo allicitur, invitatur, ſuaviterque attrahitur ad hoc vel illud particulare bonum; aut abſterretur a proſecutione mali: *Sepiam viam tuam ſpinis*. Oſee 2.

Lib. 1. ad Simpl. q. 2. nu. 14.

Q. 6. de verit. art. 3.

1. 2. q. 9. a. 6. ad 3.

LXX. Duplex illud motionis genus, phyſicum & morale, de quo huc uſque, ſufficere poſſet ad generandam in anima ſimplicem complacentiam objecti propoſiti, quam diximus quietem quandam voluntatis, ortam ex bono per intellectum eidem propoſito. Sed hîc non ſiſtitur: nam ut

ut ait S. Leo *Serm. 5. de quadrag. Deus ideo præceptum dat, ut excitet deſiderium, ET PRÆSTET AUXILIUM.* Et S. Auguſtinus *de grat. Chr. c. 10. Sed nos*, inquit, *eam gratiam volumus, iſte*, Pelagius, *aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verum etiam creditur & ſperatur: non ſolum revelatur Sapientia, verū etiam & amatur; nec ſuadetur ſolum omne quod bonum eſt; verū & perſuadetur.* Enim vero complacentia illa, licet ſit quædam quies appetitus in bono, dum adhuc tenera eſt, infirma, nondum appetitus plene domina; ubi tamen ex duratione firmior ac robuſtior evaſerit, occupat ita appetitum, ut fiat in eo quaſi pondus quoddam inclinans appetitum in objectum appetibile; id eſt, fit tandem amor perfectus, metaphoricum appetitus pondus, de quo Auguſtinus alibi: *Amor meus pondus meum; eo feror quocumque feror*. Porro, amor, ſi cum electione ſit, qua unum alteri præferatur, dilectio dicitur: in qua jam auditur ſonare actus poſitivus: unde S. Auguſt. *ut autem diligatur* bonum, *caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris &c.* Igitur ex complacentia eſt amor, ex amore *ſequitur motus ad appetibile* qui eſt deſiderium, ut ait S. Thomas 1. 2. *q. 26. a. 2.* Ut in hunc motum & quemlibet aliū prorumpat appetitus, exigit, ut Deus prævie in ipſum appetitum influat: quia *quantumcumque natura aliqua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur a Deo... Non ſolum autem a Deo eſt omnis motio, ſicut a primo movente; ſed etiam ab ipſo eſt omnis formalis perfectio, ſicut a primo actu*. Sic ergo, juxta S. Thomam, ad ſalvandam in Deo rationem univerſaliſſimæ cauſæ, non ſufficit motio illa prima

Extat T. 5. Oper. S. Augu. in app. col. 260.

Vid. Goudin. T. 4. phil. q. 3. a. 2. §. 1.

S. T. 1. 2. q 109. a. 1. c.

phyſica, quâ conſtituit voluntatem in actu, movendo illam *ut univerſalis motor, ad univerſale objectum voluntatis*; nec ſufficiunt motiones morales, quæ ſolum valent complacentiam, id eſt, quietem in uno præ alio, non motum producere; ſed requiritur alia magis ſpecialis, quâ attingat omnem formalem perfectionem, in actu quocumque repertam; præſertim ipſam ultimam actualitatem eſſendi; quæ cum ſit univerſaliſſimum quid, ſoli univerſaliſſimæ cauſæ, Deo, ut effectus proprius ejus, correſpondet: id eſt, requiritur prædeterminatio phyſica; quo nomine aliud nihil intelligimus Thomiſtæ, quam motionem veram ac realem, quâ Deus tamquam cauſa prima efficit in nobis, quidquid perfectionis eſt; ipſam etiam ultimam actualitatem omnium operationum no-
C.26.12. ſtrarum: ut ſic propriiſſime intelligatur illud Iſaiæ: *Omnia opera noſtra operatus es nobis Domine*: Et il-
Philip.2. lud Apoſtoli: *Operatur in vobis velle & perficere*
1.cor.12. *pro bona voluntate*. Itẽ *Operatur omnia in omnibus*.

LXXI. Addendum, hanc ſpecialem motionem conformem eſſe diſpoſitioni cauſæ ſecundæ: quæ ſi ſit in debita diſpoſitione, hæc etiam diſpoſitio, debita & bona, Deo ut Auctori adſcribenda eſt; prout obſervat Emus noſter S. R. E. Cardinalis Gotti *De grat. Quæſt. 2. Dub. 5. §. 2. n. 16.* ubi ait: *Secundo: congruitatem & circumſtantias ad ſuſcipiendam gratiam, Deum ſua gratia facere, non ſupponere, docet idem Auguſtinus Homil. 23. inter quinquaginta, his verbis*: „ Adulter non fuiſti in „ illa vita tua præterita, plena ignorantiæ, non„ dum illuminatus, nondum bonum malumque „ diſcernens, nondum credens in eum, qui te „ neſcientem regebat? Hoc tibi dicit Deus: Tunc

„ re-

„ regebam te mihi ſervabam te mihi. Ut, aut
„ adulterium committeres, ſuaſuor defuit: ut
„ ſuaſor deeſſet ego feci. Locus & tempus de-
„ fuit: ut hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor,
„ non defuit locus, non defuit tempus: ut non
„ conſentires, ego feci. Agnoſce ergo gratiam
„ ejus, cui debes, & quod non admiſiſti &c. „
Si autem fuerit in prava diſpoſitione, hæc non a Deo, ſed aliunde eſt. Quod vero ſpecialis illa motio conformis ſit diſpoſitioni cauſæ ſecundæ, docet S. Thomas *q. 3. de malo art. 2.* cujus verba etſi notiſſima hîc locum habeant oportet. Sic ergo ibidem Angelicus: „ Motus primi moventis non
„ recipitur uniformiter in omnibus mobilibus,
„ ſed in unoquoque ſecundum modum ejus....
„ Cum enim aliquid eſt in debita DISPOSI-
„ TIONE ad recipiendum motum primi moven-
„ tis, ſequitur actio perfecta, ſecundum inten-
„ tionem primi moventis: ſed ſi non ſit in debita
„ DISPOSITIONE & aptitudine ad recipien-
„ dum motum primi moventis, ſequitur actio
„ imperfecta.... Sic ergo dicendum, quod cum
„ Deus ſit primum principium motionis omniũ,
„ quædam ſic moventur ab ipſo, quod etiam ſe
„ ipſa movent, ſicut quæ habent liberum arbi-
„ trium: quæ ſi fuerint in debita diſpoſitione &
„ ordine debito ad recipiendam divinam motio-
„ nem, ſequentur bonæ actiones, quæ TOTA-
„ LITER reducuntur in Deum ſicut in cauſam.
„ Si autem deficiant a debito ordine, ſequitur
„ actio inordinata, quæ eſt actio peccati. Et ſic,
„ quod ibi eſt de actione, reducitur in Deum ſi-
„ cut in cauſam. Quod autem ibi eſt de inordina-
„ tione non habet Deum cauſam, ſed liberum
„ arbitrium.

CAP. VI.

De Virtutibus Theologicis.

§. I.

Propoſitiones Queſnellianæ, censura notatæ.

Nullæ dantur gratiæ niſi per fidem. Eſt. 26. Queſnell. Luc. 8. v. 48.

Omnia alia ſalutis media continentur in fide tamquam in ſuo germine & ſemine: ſed hæc fides non eſt abſque amore & fiducia. Eſt. 52. Queſnell. Act. 10. v. 43.

I. PLures alias hiſce ſimiles propoſitiones habet Queſnellus, de quibus diſtinctis paragraphis duxi agendum: tum quod diverſos exhibere poſſint ſenſus damnabiles: tum, ut quæ dicenda ſunt, diſtincta facilius intelligantur. Hinc bigam illam propoſitionum conſiderabimus, quatenus hunc naturalem exhibent ſenſum, nimirum: Ante fidem, fiduciæ & amori (utique tali, qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus remuneratur, juxta propoſitionem 44; id eſt, charitati) conjunctam, nullam dari homini gratiam, ſalutis medium nullum. Hunc eſſe ſenſum naturalem & obvium harum propoſitionum, nullus, puto, qui præjudiciis depoſitis, ſolos propoſitionum terminos attente conſideraverit, negaturus

rus eſt. Sicut enim recte dico, hominem carentem ſemine & germine, non habere media ad habendam ſegetem vel meſſem; ita, ſi fides cum amore & fiducia eſt ſemen & germen omnium ſalutis mediorum; qui tali caret fide, omnibus ſalutis mediis careat, neceſſe eſt.

II. Itaque juxta has aſſertiones non modo infideles, verum fideles etiam in peccato mortali exiſtentes, cum charitatem ſeu amorem, mox deſcriptum, non habeant, non magis habent poteſtatem filii Dei fieri, quam lapides, de quibus poteſt Deus ſuſcitare filios Abrahæ; quin & multo minus, quam lapides, dum ſinguli actus non ex charitate procedentes, carnali cupiditate infici ac corrumpi, adeoque homines poſitivè indignos, ut filii Dei fiant, reddere, doceat idem Auctor: contra id quod ſcriptum eſt, *Joan.1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. Quam ſententiam S.Jo:Chryſ.exponens apud S. Thomam, ita ſcribit: *Non autem dixit: quoniam fecit eos filios Dei fieri, ſed, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, oſtendens quoniam multo opus eſt ſtudio, ut eam, quæ in baptiſmo nobis impreſſa & formata eſt adoptionis imaginem, incontaminatam ſemper cuſtodiamus... Simul autem oſtendere vult, quoniam hæc gratia advenit volentibus & ſtudentibus: etenim in poteſtate eſt liberi arbitrii & gratiæ operatione filios Dei fieri*. Vides hic commendari diligentiam, conatum, ſtudium noſtrum ad imaginem adoptionis aut conſervandam, aut reſtaurandam, ſub gratiæ opitulatione. Verum ſi Queſnellianæ Theſes ſemel animos imbuerent hominum, jaceret ſtudium, refrigeſcerent conatus perditam adoptionis imaginem reſarciendi: puſillanimes deſperatio

In Catena Aur. P. Nicolai.

ratio

ratio abſorberet, ſolutioribus & audacioribus etiam calcar adderetur ad liberius peccandum: dum diffiderent canatus ſuos ſibi poſſe prodeſſe; imo obeſſe, dum dicuntur eſſe nova peccata, crederent.

III. Accedit quod hiſce propoſitionibus manifeſte innovetur quinta ab Alexandro VIII. condemnata: *Pagani, judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum: adeoque hinc recte inferes, & in illis eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia ſufficienti*. Si enim fides, conjuncta fiduciæ & amori, ſeu caritati, eſt germen & ſemen mediorum ſalutis, ubi hæc deeſt, ſicut revera deeſt Paganis, Judæis, hæreticis, aliique hujus generis, id eſt, peccatoribus in mortali exiſtentibus; nullum illi habent a J.C. influxum; eſtque in eis voluntas nudis & inermis &c. Quid, quod eædem aſſertiones contineant totius Janſeniſmi virus, cujus fundamentum aliqui non immerito in ſincera voluntate ſalvandi omnes homines negata, eique ſubſtituta neſcio qua velleitate, nihil omnino gratiæ conferente, collocant? Enimvero cum voluntas Dei & Chriſti ejus nuſquam ſit effectu vacua pro hoc ſtatu, uti docet Queſnellus *prop*.31. ſi, ubi non eſt fides illa, nullum ſit ſemen, germen nullum ſalutis, evidenter ſequitur, illis jam dictis Deum ſalutem haud ſincere, quantum de ſe eſt, velle; ſicut voluit Adamo in ſtatu innocentiæ; cui & ſalutis media ſufficientia ex voluntate illa aderant.

IV. Quam hæc aliena ſunt a mente M.Patris Auguſtini & fide catholica! *Enarratione in pſ*.35. *Dixit injuſtus* &c. *Non unum*, inquit, *hominem*, *ſed*

ſed genus hominum iniquorum dicit, qui ſibi adverſantur, non intelligendo ut bene vivant: non quia non poſſunt, ſed quia nolunt. Textus hic clariſſimus eſt ad probandam, ex mente Auguſtini, ſalvandi omnes homines in Deo eſſe voluntatem, minime ſterilem, utpote effundentem vel præparantem gratias ſufficientes, quibus genus hominum iniquorum poſſent bene vivere; ſed ideo non recte vivunt, quia nolunt: eſt etiam expreſſiſſimus ad oſtendendum, Queſnellum, docendo, iniquos carere ſemine & germine ſalutis, tota via, ut ajunt, aberraſſe a mente S. Patris: ſimulque oſtendit eos, qui Queſnellianos, non erubeſcunt vocitare *Auguſtini diſcipulos*, turpiſſime hallucinari, & errare, quia errare volunt. Accedit Auctor libri *De vocat. Gent.* olim Auguſtinus creditus, *cap.*20. ubi poſtquam aſſeruiſſet, quod homo de ſua habeat mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit, continuo ſubjungit: *Quæ opitulatio per innumeros, ſive occultos, ſive manifeſtos modos OMNIBUS adhibetur: & quod a multis deſeritur, ipſorum eſt nequitiæ.*

V. Hiſce graviſſimis Auctoribus accedit S. Thomas innumeris in locis, e quibus unum ſolum hic referam ex 1.2.*q.*109.*art.*7. ubi poſtquam primo loco ſibi objeciſſet textum Apoſtoli dicentis: *Exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, Reſpondet: *Ad primum dicendum, quod illud indicitur homini, quod pertinet ad actum liberi arbitrii, qui requiritur in hoc, quod homo a peccato reſurgat: & ideo cum dicitur: Exurge & illuminabit te Chriſtus, non eſt intelligendum quod tota exurrectio a peccato præcedat illuminationem gratiæ; ſed, quia cum homo per liberum arbitrium, a Deo motum,* Ad Eph. 5.

ſur-

ſurgere conatur a peccato, recipit lumen gratiæ juſtificantis. Quibus verbis manifeſtiſſime admittit auxilium gratiæ moventis in homine exiſtente in peccato, antequam receperit gratiam juſtificantem. Falſum ergo eſt, in principiis S. Thomæ, quod fides juncta charitati eſt ſemen & germen omnium ſalutis mediorum.

VI. Fateor interim S. Thomam in eodem articulo aliquid habere, quod primo intuitu videri poſſet Queſnello favere. Sed primo ſolum, ut dixi, intuitu: quod nec ipſos Queſnelliſtas latet, alias, haud dubie, locum illum non neglecturos, cum ſoleant obvia quæque avide corripere. Reſponſio eſt ad 2. *argumentum*, ubi hæc habet S. Thomas: *Non poteſt homo per ſe ipſum reparari, ſed indiget ut denuo ei lumen gratiæ infundatur: ſicut ſi corpori mortuo reſuſcitando, denuo infunderetur anima*. Quale argumentum hinc erui poſſit, in propatulo eſt. Nullus tamen Queſnelli fautor, ſaltem quod ſciam, hac auctoritate unquam eſt uſus. Quid ita? Nempe, Sanctum Thomam, gladio ſuo ancipiti binos hic mactare errores perſpexerunt. Primum Juliani, qui etſi operibus, ſolis naturæ viribus effectis meritum omne denegaret; aſſerebat nihilominus, iis viam ſterni aut aperiri ad gratiam: hunc, inquam, jugulat Thomas, aſſerens primam gratiam ita animæ infundi, ſicut *mortuo corpori reſuſcitando, denuo infunderetur anima*; id eſt, abſque eo quod natura, ne hilum quidem ad hoc conferat: quippe *a privatione ad habitum*, ut in proverbio eſt apud Philoſophos, *non datur regreſſus*. Alter, quem eodem loco refellit S. Thomas, error, eſt ipſe idem Queſnellianus, quem modo verſamus; refellit dico, mactat, ac

jugu-

jugulat, nedum verbis ex *Reſp. ad* 1. mox exſcriptis, ſed in corporis etiam articuli fine, ſequentibus: *Ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc, quod homo a peccato reſurgat, quantum ad habituale donum, & quantum ad interiorem Dei motionem*, qua ſcilicet diſponatur ad habitualis doni ſuſceptionem; prout explicaverat *eadem quæſt. artt.* 2. 3. & 6. in quo ultimo articulo, hæc pretioſa valde verba habet: *Ad hoc autem quod præparet ſe homo ad ſuſceptionem hujus doni* (gratiæ habitualis) *non oportet præſupponere aliquod aliud donum habituale in anima: quia ſic procederetur in infinitum: ſed oportet præſupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam moventis, ſive inſpirantis bonum propoſitum. His enim duobus modis indigemus auxilio Divino, ut ſupra dictum eſt*, nempe *art.* 2. & 3.

VII. Addamus & alterum locum omnino ſingularem, ut amplius pateat, falſum eſſe, quam quod maxime, S. Thomam ullatenus favere illis Queſnelli propoſitionibus, quibus ſtatuit, fidem eſſe primam gratiam, fontem, radicem, germen omnium ſalutis mediorum. Sumitur ex 2. 2. *q.* 4. a. 7. ubi inquirit, *utrum fides ſit prima virtutum?* Reſolvit, per ſe loquendo eſſe primam: *ſed per accidens poteſt aliqua virtus eſſe prior fide. Cauſa enim removens prohibens eſt prior: removere autem prohibens pertinet ad cauſam per accidens, ut patet per Philos. in* 8. *Phys*, *& ſecundum hoc aliquæ virtutes poſſunt dici per accidens priores fide, inquantum removent impedimentum credendi. Sicut fortitudo removet inordinatum timorem impedientem fidem: humilitas autem ſuperbiam, per quam intellectus recuſat ſe ſubmittere veritati fidei: & idem poteſt dici de aliquibus aliis virtutibus &c.* At vero

ro 1. 2. *q.* 113. *a.* 4. plus dicit S. Thomas de actibus virtutum moralium, in ſpecie, miſericordiæ, ſcilicet, quod etiam præparet ad fidem: verba ſunt ex *Reſp. ad* 1.... *Actus autem miſericordiæ operatur circa peccatum per modum ſatisfactionis; & ſic conſequitur juſtificationem: vel per modum præparationis, inquantum miſericordes miſericordiam conſequuntur; & ſic etiam poteſt præcedere juſtificationem: vel etiam ad juſtificationem concurrere ſimul cum prædictis virtutibus, ſecundum quod miſericordia includitur in dilectione proximi*. Jam peto, poſitne actus ullus eſſe cauſa, etiam per accidens, & præparatio ad fidem ſupernaturalem, imo juſtificationem, qui non aliquo modo ex gratia procedat? Saltem non poteſt juxta D. Thomam, ut patet ex verbis ejus *num.* 6. *citatis*. Si non poſſit, ergo ante fidem dantur aliquæ gratiæ, quibus homo diſponatur paulatim & præparetur ad fidem: ſicque hæc non eſt prima gratia, nec fons, radix, & germen omnium mediorum ſalutis.

VIII. Jungamus & hoc: juxta propp. Queſnellianas 4. & 39. *Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis niſi ad aberrandum, ardoris niſi ad ſe præcipitandum, virium niſi ad ſe vulnerandum, eſt capax omnis mali; & incapax ad omne bonum. Nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*: Si fides eſt prima gratia, nullæque dantur gratiæ ante fidem; antequam homo fidem recipiat, non poterit niſi peccare, juxta Queſnellum: At juxta S. Thomam, homo ante fidem quam habeat, poteſt aliquos actus elicere, haud dubie cum auxilio gratiæ, quibus ſe præparet ad fidem accipiendam: & dicet aliquis Queſnellum eſſe Thomiſtam? imo ſicut Lutherus Evangeliſta:

id

id eſt per antiphraſim. Finaliter, juxta S. Thomam *q. 24. de verit. a.* 11. Dæmones dicuntur obſtinati in malo: quia *adeo eorum mens eſt firmata in malo, quod omnis motus liberi arbitrii ipſorum eſt inordinatus, & peccatum: & ideo nullo modo ſe poſſunt ad gratiam habendam præparare, per quam peccatum dimittitur*. Si ergo ante fidem nulla datur gratia, ſi ante gratiam non poteſt homo niſi aberrare, ſe præcipitare, ſe vulnerare, ſi nihil amare niſi ad ſuam condemnationem, ſi eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum, quæ omnia Queſnellus docet; eſt ergo homo ante fidem obſtinatus in malo, haud ſecus ac Dæmones. Quod S. Thomæ eſſe principiis conforme, inſolentiſſimæ foret inſaniæ vel ſuſpicari.

ſ. II.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Fides eſt prima gratia & fons omnium aliarum. Eſt 27. Queſnellus 2. Petri 1. v. 3.

Prima gratia quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio. Eſt 28. Queſnell. Marci 11. v. 25.

IX. Quam hæc propoſitio 27. dicit primam eſſe gratiam & fontem omnium aliarum, fides, eadem omnino fides eſt, in qua propoſitione 52. *Omnia ſalutis media* contineri, *tamquam in ſuo germine*

mine & ſemine, dicuntur : id eſt, fides, quæ *non eſt abſque amore & fiducia*. Prima igitur gratia quam Deus confert, fides eſt, cum amore & fiducia copulata. *Amore*, inquam, *non quo nos ipſos ac mundum diligimus : qui ad Deum, quod referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum malus eſt;* ſed amore *qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus remuneratur*, ſcilicet, caritate : quam ſolam Deus coronat, *prop*. 55. quam Deus ſolam remunerat, *prop.* 56. Manifeſte illa ſequuntur ex *prop* 44. quæ nonniſi duos admittit amores, unum bonum, alterum malum, ex quibus volitiones omnes & actiones noſtræ naſcuntur. Atque ex hiſce Queſnellianis principiis, per evidentem conſequentiam, ſequitur propoſitio illa 28. Prima gratia quam Deus concedit peccatori, ſive fideli ſive infideli, eſt remiſſio peccatorum. Quippe charitas ſtatim juſtificat.

X. Quis autem non videat hiſce duabus propoſitionibus varias alias, pridem ab Univerſa Eccleſia proſcriptas, inſtaurari? Ac primo quidem inſtaurantur Bajanæ 63. & 64. *Illa diſtinctio duplicis juſtitiæ*, ajebat ille, *alterius, quæ fit per ſpiritum charitatis inhabitantem; alterius quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis juſtificatio impleatur, ſimiliter rejicitur*. Et rurſus: *item, & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & novæ vitæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur : alterius, qua vivificatur, qui verè juſtificatur, & palmes vivus in Chriſto efficitur, pariter commentitia eſt, & Scripturis minime congruens*. Deinde

inde Lutheri, ejuſque aſſeclarum aſſertiones ſequentes innovantur: *In ipſa innovatione & transmutatione hominis veteris, qui filius Diaboli eſt, in novum hominem, qui filius Dei eſt, homo mere paſſivè ſe habet; nec facit quidquam, ſed fit totus. -- Non ſecus atque ſi Deus truncum aliquem aridum in novam, virentem ac florentem arborem convertat, ita ſolet hominem gratia Dei renovare*: idem, *Poſtilla de Nativ. -- Converſio voluntatis noſtræ depravatæ omnino ſolius Dei eſt, ſicut etiam reſuſcitatio in carnali carnis reſurrectione ſoli Deo eſt tribuenda*: ita *Concordia Lutheranorum*. *In initio converſionis nihil debet nobis tribui, magis quam cum creamur: in hoc actu habemus nos paſſive, abſque omni virtute activa*: ita Rivetus *in Controv.* Hæc, dico, omnia renovantur illis Paſchaſii propoſitionibus. Enimvero, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione atque adjutorio, nihil facere poſſumus, quo nobis juſtificationis gratia conferatur, ut definit *Trid. Seſſ.6. Can.*3. Si ergo ponatur ipſa fides juſtificans ac peccata remittens prima gratia, manifeſtum eſt nos juſtificationi noſtræ nullo prorſus modo cooperari; ſed mere paſſive, more truncorum aridorum, in virentes ficulneas nos transmutari; prout in reſuſcitatione & creatione, homo mere paſſive ſe habet.

Luth. de Servo arbit. to.2. fol. 454.

Fol. 62.

Cap. de lib. arbit. pag. 580.

Tract. 3. ſect. 27.

XI. Hoc ſignificare propoſitiones illas Queſnelli inde etiam confirmari poteſt, quod affectet ille, de gratiæ efficacia loquens, eandem creationi, reſuſcitationi mortuorum, ſanationi morborum aſſimilare, ut videre eſt Cap.V. §.2. quæ ita ſunt Dei operationes, ut homo nullo modo eis cooperetur, ſed mere paſſive ſe habeat. At vero Tridentinum *Seſſ.6. can.* 4. anathema dicit aſſe-

Pag. 162.

renti liberum hominis arbitrium, in ſua juſtificatione *nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere*: quod explicans latius *cap.*5. ejuſdem Seſſionis ita diſcurrit: *Declarat præterea, ipſius juſtificationis exordium, in adultis, a Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe: hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando, diſponantur: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam, coram illo, libera ſua voluntate poſſit*. Quibus verbis, ante juſtificationem, adeoque ipſam fidem juſtificantem, ſtatuit gratiam quamdam prævenientem & excitantem, cui homines aſſentiendo & cooperando, ad ſuam ipſorum juſtificationem, id eſt, fidei juſtificantis infuſionem diſponantur.

XII. Contra hanc apertam Tridentini doctrinam inſurgere auſus eſt Queſnellinus, aſſerens, primam gratiam fidem ipſam eſſe, ſeu primam gratiam ita efficacem eſſe, ut fidem ſemper gignat: quod ex Calvino diſcere potuit, qui prior ipſo hanc Trid. doctrinam impugnare non eſt veritus, in *Antidoto Conc. Trid. Seſſ.6. cap.6.* ſic perorans; *Dico aperte repugnare, quod hîc pronunciant Triden. Patres, cum illa Chriſti ſententia, Quiſquis audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Nam ut prudenter animadvertit Auguſtinus, inde ſequitur, nullum a Deo audire & diſcere, quin ſimul in Chriſtum credat;*

mo-

motumq; Spiritus Sancti SIC ESSE EFFICACEM, UT FIDEM SEMPER GIGNAT. Conſtituunt autem hoc in hominis optione, ut Dei inſpirationi, ſi velit, auſcultet. Hæc nullo modo conciliari poſſunt. Brevius hoc dixit Queſnellus, aſſerens: *Fides eſt prima gratia : Prima gratia eſt peccatorum remiſſio.*

XIII. Juxta Calvinum ergo, atque Queſnellum, fides & gratia remiſſiva peccatorum infunduntur, etiam adultis, ſine ulla prævia præparatione. Quæcumque enim præparatio ad illa, deberet eſſe ex gratia. Sed ante primam gratiam, nulla gratia datur: ergo nulla præparatio, ſi fides & remiſſio peccatorum eſt prima gratia, datur ante fidem & remiſſionem peccatorum. Uterque autem iiſdem rationibus & fundamentis nititur, quibus Martinus Lutherus. Hic in *reſp. ad art. 36.* Bul. Leonis X.
ſic philoſophatur: „ Scripturas audiamus. Chri-
„ ſtus dixit Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.*
„ Quid eſt hoc nihil, quod ſine Chriſto facit li-
„ berum arbitrium? Præparat ſe, inquiunt, ad
„ gratiam, per opera moraliter bona. Sed ea
„ Chriſtus hîc facit nihil: ergo per nihil ſe præ-
„ parat. Mira præparatio quæ per nihil fit! ....
„ Nihil ergo poſſe liberum arbitrium, non eſt,
„ ut illi fingunt, non meritorium operari, ſed &
„ foras mitti, & areſcere. Palmes excifus non ſeſe
„ parat ad vitem; neque enim poteſt, ſed longius
„ fit a vite, & magis ac magis perit: ita & liberum
„ arbitrium, ſeu impius homo... *Gen. 6. & 8. Senſus*
„ *& cuncta cogitatio cordis humani ad malum pro-*
„ *na omni tempore.* Obſecro, qui cunctam cogi-
„ tationem cordis malam facit, idque omni tem-
„ pore, quam relinquit bonam, quæ præparet ad
„ gratiam? An malum diſponit ad bonum? „

Eodem fere modo diſcurrit Queſnellus. Si enim ſtatuas, fidem,& remiſſionem peccatorum eſſe *primam gratiam*; neceſſario ſequitur, hominem nullatenus, ſe diſponere poſſe ad fidem, atque peccatorum remiſſionem: niſi velis quod ſe per vires naturales diſponat, quod eſt Pelagianum. Non minus ergo Queſnellus quam Lutherus, per Concilium Tridentinum, contrarium huic doctrinæ ſtatuens *Seſſ.6. de juſtit.*, damnatus eſt.

XIV. Cum autem ex Sacra Scriptura conſtet, quoſdam ſubito ad fidem, perfectamque juſtitiam fuiſſe a Deo converſos, ut patet in Paulo, peti poſſet, quid interſit, dicatur converſio ſemper tali modo fieri, an vero aliquando tantum? Reſp. hoc intereſſe, quod unum ſit conforme Sacræ Scripturæ, aliud non. Sicut enim Scriptura refert aliquorum repentinam converſionem, abſque præparatione, quæ tempore juſtificationem præceſſerit; ita hortatur ex alia parte peccatores, ut agant fructus dignos pœnitentiæ, ut per orationem, jejunium, eleemoſynam &c. ſibi Deum propitium reddere ſatagant, ab eoque perfectam juſtificationis gratiam obtinere: quæ profecto ſupponunt, dari a Deo gratias, ante perfectam remiſſionem peccatorum; ſine quibus hæc omnia, ad finem iſtum nihil prorſus valerent. Porro,ex eo quod aliquando fuerint aliqui miraculoſe, & ſubito converſi, non diminuitur ſollicitudo illa, mox dicta, in hominibus, ut Deum ſibi propitium reddere allaborent: ex doctrina autem Queſnelli dicentis, ſemper hominem juſtificari ſine prævia ejus diſpoſitione, naſcitur ignavia, hominesque facile convertuntur in fanaticos Tremblantes & Quakeros, expectantes illapſum

gra-

gratiæ ſanctificantis, ut etiam alias dictum eſt: audacioribuſque calcar additur, ad ſe in omne nequitiæ genus præcipitandum. Sic, ſi dicatur, ut verum eſt, quoſdam fuiſſe ſanatos miraculoſe, & etiamnum aliquos ſanari, etſi rarius, a mortali infirmitate, nullus exinde curam abjicit ſanitatis tuendæ, aut recuperandæ: at ſi perſuaderi poſſet, omnem infirmitatem a Deo curari, ſine noſtra cooperatione (quod ſane mirum eſt perſuaderi non poſſe; ubi tam multi ſibi patiuntur imponi, quod anima ſemper ita curetur) omnis cura ſalutis abjiceretur, nec vellet ullus, in infirmitate conſtitutus, amara ſumere pharmaca, aut pati doloroſas inciſiones, aut aduſtiones. Ita ſe res habet in præſenti: ut merito hæ propoſitiones, & quia falſæ ſunt, Scripturiſque contrariæ, & quia infinita ingerunt mala, a Summo Pontifice & Eccleſia proſcriptæ ſint: præſertim cum in iis, quos diximus, jam eſſent proſcriptæ.

XV. Dimiſſio tantiſper Queſnello, videamus quid Angelus Scholæ, Thomas Aquinas hac de re ſenſerit. Quærit: *Utrum juſtificatio impii ſit miraculoſa?* Reſpondetque, eſſe aliquando, ut in converſione Pauli, non ſemper. *Tertio modo*, inquit, *in operibus miraculoſis invenitur aliquid præter ſolitum & conſuetum ordinem cauſandi effectum; ſicut cum aliquis infirmus ſanitatem perfectam aſſequitur ſubito; præter ſolitum curſum ſanationis, quo fit a natura vel arte: & quantum ad hoc, juſtificatio impii quandoque eſt miraculoſa, & quandoque non. Eſt enim iſte communis & conſuetus curſus juſtificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem converſione IMPERFECTA, ut poſtmodum ad perfectam deveniat:*

1. 2. qu. 113. a. 10

quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perſici, *ſicut Auguſtinus dicit. Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut ſtatim quandam perfectionem juſtitiæ aſſequatur; ſicut fuit in converſione Pauli; adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione: & ideo converſio Pauli tanquam miraculoſa, in Eccleſia commemoratur celebriter.* Ex quibus patet S. Thomam in ipſis etiam inſtantaneis & miraculoſis converſionibus, requirere aliquam præparationem, & moralem motionem, qualis fuit proſtratio Pauli: hinc 1.2.*q.*109. *a.*8. ait: *Neceſſaria eſt correptio; quia voluntas hominis requiritur ad hoc, quod a peccato abſtineat.* Conſentit Auguſtinus. „ Non itaque in hominum, inquit, ſed in Dei eſt poteſtate, ut habeant homines *poteſtatem filii Dei fieri.* Ab ipſo quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano *cogitationes pias*, per quas habeat *fidem, quæ operetur per dilectionem*: ad quod bonum ſumendum, & tenendum, & in eo perſeveranter uſque in finem proficiendum, *non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobis met ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, in cujus eſt poteſtate cor noſtrum, & cogitationes noſtræ. „ Accedat quoque Concil. Tridentinum: *Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur; & nulla ex parte neceſſe eſſe, eũ ſuæ voluntatis motu PRÆPARARI atque DISPONI, anathema ſit.*

August. Epiſt. 106 Gratia meretur augeri ut aucta mereatur perfici. P. Nicolai.

De dono perſev. c. 8.

Seſs. 6. can. 9.

XVI. Hac univerſalis Synodi ſanctione, qua certo certius Queſnelliana Theſis perſtringitur, necquidquam obſtante, Auctor *Theologiæ ſupplicis*, emendicatis hinc & inde quibuſdam verbulis, Tridentinum cum Queſnello, lucem & tenebras

con-

conciliare tentat : re autem ipſa, aliud facit nihil, præter miſerum rapſodium, deſperatæ cauſæ argumentum. *Synodus Tridentina*, inquit, *Seſs. 6. de juſtif. cap. 8. definit, fidem eſſe humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radicem omnis juſtificationis : atque adeo primam eſſe gratiam : cum juſtificationis exordium in adultis a Deo per Jeſum Chriſtum præveniente gratia eſſe ſumendum, decernat ibidem cap. 5.* Verum hoc non tam eſt argumentari pro Queſnello, quam indigitare locum, unde juſtam ejus eſſe condemnationem evidentiſſime eruatur. Sufficiet ſolos titulos *capitis* 5. citati & *ſexti de juſtificatione* perlegere, & ſtatim patebit Queſnellus in Luthero, contra quem ibidem præcipue agitur, condemnatus. Quinti capitis titulus hic eſt: *De neceſſitate præparationis ad juſtificationem in adultis, & unde ſit* - Sexti vero : *Modus præparationis*. Ecce tituli ipſi capitum præparationem quandam, quæ ſcilicet ex præveniente Spiritus Sancti gratia ortum ducat, ad juſtificationem *in adultis*, neceſſariam, manifeſte docent. At vero Queſnellus, fidem & remiſſionem peccatorum primam eſse gratiam aſserens, nullam hujuſmodi præparationem in adultis, admittere poteſt, ut ex terminis conſtat. Si enim ante fidem & remiſſionem peccatorum datur præparatio ex præveniente Spiritus S. gratia ; fides remiſſiva peccatorum eſſet prima gratia & non eſſet : eſſet, uti ipſe affirmat ; non eſſet ; quia alia illa, unde præparatio originem ducit, eſſet prior. Hoc autem manifeſtam involvit contradictionem. Pag. 114.

XVII. Negat ergo Queſnellus præparationem illam, quam Tridentinum *capp. 5. & 6.* neceſſariam ſtatuit & *Can. IX.* ſub anathemate ad-

mittendam eſſe ſanxit. Quod vero *cap.* 8. aſſerat Trident. fidem eſſe humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radicem *OMNIS juſtificationis*, minime repugnat doctrinæ *cap.* 5. *& 6. & can.* 9. quippe non eodem modo utrobique ſumitur juſtificatio. *Capite* 8. Sumitur generaliſſime, prout nimirum comprehendit etiam infantium juſtificationem: unde notanter dicit: *OMNIS juſtificationis*: ſumitur, inquam, ut eſt mutatio, ſeu *translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum* (*cap.* 4.) in qua *cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per J.C. cui inſeritur, fidem, ſpem & charitatem* (*cap.* 7.): non tumultuarie, ſed ordine quodam; nimirum fides ordine generationis ſpem & charitatem præcedit,
2.2.qu.4. a.7. ut docet S. Thomas: quam doctrinam approbans Tridentinum, decernit fidem eſſe juſtificationis, ita ſumptæ, initium, fundamentum & radicem. At vero *cap.* 5. *& ſexto* expreſſe agit de neceſſitate præparationis ad juſtificationem in ADULTIS: qui ſicut propria voluntate peccatum contrahunt: ita propria voluntate diſponi debent ad juſtificationem; ſecus infantes: loquitur, inquam, Concilium *cap.* 5. *&* 6. de juſtificatione, ut eſt motus quidam, complectiturque præparationes præcedentes. Sicut enim in generatione carnali, aliud eſt ejus fundamentum & baſis, conſideratæ in eſſe mutationis; aliud ejuſdem exordium, ſi conſideretur ut motus quidam, complectens alterationes præcedentes: ita de regeneratione ſpirituali dicendum. Quidni, inquies, ita explicatur Queſnellus? Reſp. quia prohibuit Queſnellus: non enim ſolum

lum dicit, fidem eſſe primam gratiam, ſed addit, cujuſcumque virtutis & diſpoſitionis, ad juſtificationem neceſſariæ, fidem eſſe fundamentum. En tibi verba Queſnelli *Marci* 16. v. 16. *Et hîc & alibi ad miraculoſam valetudinis reſtaurationem, non exigit plerumque Jeſus Chriſtus, niſi fidem. Cum enim fides CUJUSCUMQUE ALTERIUS VIRTUTIS & DISPOSITIONIS NECESSARIÆ fundamentum, radix, & origo ſit; hoc quoque omnes virtutes deſignat & involvit.* Tridentinum vero, etſi *c.*8. fidem aſſerat OMNIS juſtificationis, formaliter ſumptæ, communiſque adultis & parvulis, initium, fundamentum, & radicem; agens tamen ſpecialiter de juſtificatione adultorum *capp.* 5. & 6. aliquid prævium eſſe ipſi habitui fidei infuſo, a quo *præparatio* ad juſtificationem adultorum neceſſaria originem habet, apertiſſime docet. Obſervanda ergo hîc venit regula omnibus nota, qua inſtruimur, neceſſe eſſe, ut, quæ fuerit mens alicujus, vel Concilii vel auctoris, cognoſcamus, ea loca inſpicere, ubi ex profeſſo, de ea, quam examinamus quæſtione, non ubi incidenter; puta, occaſione alicujus argumenti; tractant: argumentis enim id reſpondemus, quod ſolutioni ſat eſt. Sic Auguſtinus ſe feciſſe teſtatur *De Præd. SS. c.*9. *Cernitiſne*, inquit, *me ſine præjudicio latentis conſilii Dei aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur?* Sic etiam facere ſolent boni quicumque auctores. Jam vero Tridentinum *Seſs.* 6. *c.*8. ſolvebat argumentum ex Apoſtolo, ab hæreticis, ad probandum, ſola nos fide juſtificari, inductum: *Apoſtolus*, inquiebant, *dicit*, *juſtificari hominem*

Edit. Latin. anni 1693.

per fidem. Huic argumento reſpondet : merito id dici ab Apoſtolo, quia in juſtificatione ſimul infunduntur fides, ſpes, charitas; non tumultuarie, ſed ordine quodam: ut prior ſit fides, deinde ſpes, demum charitas: hoc ſufficiebat iſti argumento. An vero in adultis fidem præcederet aliqua præparatio, non erat ibi explicandum: imo jam explicatum erat *ex profeſſo cap. 5. & 6*: dictumque, neceſſariam eſſe; atque ex præveniente gratia procedere. Queſnellus vero ex *profeſſo* de diſpoſitione ad juſtificationem agens, loco mox cit. *Fides*, ait, *cujuſcumque diſpoſitionis neceſſaria fundamentum, radix, & origo eſt*: quæ verba interpretationem non admittunt.

XVIII. Adducit quoque *Theol.ſuppl.* S. Auguſtinum, veluti faventem Queſnellianis, variis in locis. Primo, *cap. 7. De præd. SS.* ubi ait Auguſtinus: *Fides prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur*. Verum S. Doctor ibidem retractat errorem ſuum, de quo ibid. *cap.3.* dixerat: *Quo præcipue teſtimonio* (Quid habes quod non accepiſti?) *etiam ipſe convictus ſum, cum ſimiliter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed a nobis eſſe in nobis; & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præveniri &c.* Unde ſolum vult, gratiam fidei priorem eſse gratia operum. Quod vero fides juſtificans foret prima gratia, quæ abſque præparatione ulla infundatur a Deo, tam non docuit ibi Auguſtinus, ut potius oppoſitum manifeſte ſtabiliat. 1. Quia fatetur verbis mox relatis ſe erraſse, dum putabat *fidem Dei gratia non præveniri*: ſi gratia

tia fidem prævenit: ergo fides non eſt prima gratia. 2. Idem manifeſte probat *cap.* 2. ejuſdem libri: *Quis*, inquit, *non videat, prius eſſe cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, niſi prius cogitaverit eſſe credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrime credendi voluntatem quædam cogitationes antevolent, moxque illa ita ſequatur, ut quaſi conjunctiſſima comitetur, NECESSE eſt tamen, ut omnia quæ creduntur præveniente cogitatione credantur.* Has autem cogitationes fidem præcurrentes gratiæ adſcribit. Similia ſexcentis locis habet Auguſtinus. Sic *lib. de corr. & grat. cap.* 1. *Deſiderare auxilium gratiæ initium gratiæ eſt, de quo ait ille.* Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexte-„ ræ Excelſi „ Iterum *Ep.* 105. *modo* 194. *ad Sixtum*, quam etiam nobis objicit, verbulorum auceps ille, ait Auguſtinus: *Fatendum eſt, aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adjuvat UT SINT FIDELES: inhabitans adjuvat jam fideles.* Quibus error ille Queſnelli omnino ſtrangulatur. Addamus & alium inſigniſſimum locum, quo utraque Queſnelli aſſertio ab Auguſtino funditus evertitur. Eſt ex *lib. de dono perſev. cap.* 16. *in fine*: *Prævenit ergo & fidem gratia; alioquin ſi fides eam prævenit, proculdubio prævenit & voluntas, quoniam fides ſine voluntate non poteſt eſſe. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profecto prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam charitatem, qua una Deo veraciter & ſuaviter obeditur, & hæc omnia gratia, in eo cui datur, & cujus hæc omnia prævenit, operatur*. Nihil expreſſius dici poterat ad oſtendendum, nec fidem nec remiſſionem peccatorum, ſive charitatem, eſſe primam gratiam.

XIX.

XIX. Hæc ſufficiant omnibus illis textibus, quos ex variis locis Auguſtini, nullo habito ſenſus delectu avide corraſit: tædet enim omnes ſingillatim repetere & refutare, tam ſunt miſerabiles. Eodem modo ex S. Thoma argumentatur 1. 2. q. 113. art. 4. *Primam converſionem in Deum per fidem fieri*, inquit *pag.* 114., S. Thomas *diſertiſſime* docet. Reſpondeo: Legat *art.*2. quæſtioſtis præcedentis, ubi inquirit S. Doctor: *Utrum requiratur aliqua præparatio & diſpoſitio ad gratiam ex parte hominis?* Reſp. *Dicendum quod gratia dicitur dupliciter, quandoque quidem ipſum habituale donum: quandoque autem auxilium Dei moventis animum ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, PRÆEXIGITUR AD GRATIAM ALIQUA GRATIÆ PRÆPARATIO: quia nulla forma poteſt eſſe, niſi in materia diſpoſita. Sed ſi loquamur de gratia ſecundum quod ſignificat auxilium Dei moventis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quaſi præveniens divinum auxilium: ſed potius quæcumque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et ſecundum hoc, ipſe bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ ſuſcipiendum, eſt actus liberi arbitrii moti a Deo. Et quantum ad hoc, dicitur HOMO SE PRÆPARARE, ſecundum illud Proverb.*16. Hominis eſt præparare animum.*Et eſt PRINCIPALITER A DEO movente liberum arbitrium. Et ſecundum hoc dicitur a Deo voluntas hominis præparari, & a Domino greſſus hominis dirigi.* Licet ergo homo prius in Deum convertatur per fidem, quam per ſpem & charitatem, qui eſt ſenſus loci objecti, non ſequitur fidem eſſe primam gratiam;

tiam; idque ſecundum D. Thomam. Hæc ad longum ex S. Thoma referre placuit, quia duplex error ſimul jugulatur: unus Lutheri, Calvini, Baji, Queſnelli, alter Semipelagianorum, docentium ex viribus liberi arbitrii hominem ſibi parare viam ad Dei gratiam. Tranſiitque hæc S. Thomæ doctrina in canonem. Videatur *Can.* 1. 3. & 9. *ſeſs.*6. *Tridentini*.

XX. Pro ſecundæ autem Queſnellianæ Theſis, huic §. præfixæ, oppugnatione, ſpecialiter facit *cap.*6. *ſeſs.*6. *Trid.* ubi de modo præparationis agitur, iſque enucleate deſcribitur: *Diſponuntur autem*, inquit S. Concil. *ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt: atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu: &, dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur: fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore; illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata &c.* Huc etiam facit *cap.*4. *ſeſs.*14. ubi de attritione, eam eſſe *Donum Dei & Spiritus S. impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis*, definitur. Similia adferre debebat auctor *Theol. ſuppl.*, & non unum verbulum ex *cap.*8. aliud rurſus ex *c.*5.

antecedenti mendicare, pro cauſæ Queſnellianæ, infelicibus avibus ſuſceptæ, defenſione. Sed ſic eſt, qui errores ſuſcipiunt defendendos, naufragantibus non abſimiles ſunt, qui, quodcumque occurrat, avide arripiunt ac retinent; etſi etiam ſit obfuturum. Huc quoque ſpectat Auguſt. dicens:

Epiſt. 105 mod. 194 num. 30. „ *Sed neque ab illo quod originaliter contrahitur,*
„ *neque ab his quæ unuſquiſque in vita propria, vel*
„ *intelligendo, vel nolendo intelligère, mala congregat, vel etiam inſtructus à lege, additamento*
„ *prævaricationis exaggerat, quiſquam liberatur*
„ *& juſtificatur, niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: NON SOLUM remiſſione peccatorum, SED PRIUS ipſius inſpiratione fidei & timoris Dei, IMPARTITO*
„ *SALUBRITER ORATIONIS AFFECTU*
„ *ET EFFECTU; donec ſanet omnes languores noſtros & redimat de corruptionè vitam noſtram;*
„ *& coronet nos in miſeratione & miſericordia.*
„ Quibus error Queſnelli a fundamentis ſubvertitur. Ut autem unico verbo plures auctoritates, quas ex S. Auguſtino conglomerare ſolent, ſolvantur, ſeu potius explicentur, præ oculis habenda verba, quæ leguntur *de Prædeſt. SS. c. 7.* ***Ex fide***, inquit, ***ideo dicit***, Paulus, ***juſtificari hominem, quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cætera, quæ proprie opera nuncupantur &c.*** ex quibus patet fidem Auguſtino non eſſe *ſimpliciter* primam gratiam; ſed reſpective tantum ad opera *proprie* mèritoria.

§. III.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Fides, uſus, augmentum & præmium fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei. Eſt. 69. Queſnell. Marci 9. v. 22.

XXI. Cum eodem modo hîc Queſnellus loquatur de uſu, augmento, & præmio fidei, ac de fide ipſa in ſe ſpectata, nulli cordato dubium eſſe poteſt, quin juxta hanc propoſitionem, ſicut fides ipſa in nobis, ſine nobis, ut mox ex Auguſtino dicetur, producitur; ita quoque uſus, augmentum, & præmium fidei, in nobis ſit, ſine nobis. Quod quam recedat a fide catholica, nemo Theologus ignorat. Invenit tamen & hîc Queſnellus defenſores ſuos: nimirum, Tertulliano obſervatum olim fuit, in *lib. de Præſcrip.*: ***Hæretici apud eos multum valent, qui in fide non valent.*** Paſchaſium nil dixiſſe inclamant præter id quod SS. Auguſtinus & Thomas, eorumque illuſtris Schola inoffenſe docent. His proximè accedit ***Theologia Supplex***, obſervationem circa præſentem propoſitionem ita ordiens: ***Omnia bona noſtra, merita noſtra, ipſaque vita æterna, noſtris licet meritis adinſtar coronæ reddita, PURÆ LIBERALITATIS DEI DONA dicuntur ab Auguſtino, cæteriſque Patribus, Eccleſia probante, confirmante, ac definiente.*** An ita ſit, videndum. Diſcurro ergo per omnes textus in ipſa adductos, ſed ne unus uni- Pag. 116.

unicus quidem eſt, qui dicat, *omnia bona noſtra....* eſse *PURÆ LIBERALITATIS DEI DONA*, quod tamen erat probandum.

XXII. *O! curas hominum, O quantum eſt in rebus inane.* An non fuiſſet perfectus ſenſus, ſi dixiſset: Omnia bona noſtra eſse Dei dona, ſicut ajunt S. Auguſtinus *epiſt.* 105 modo 194.*num.*19. Cæleſtinus *in Capit. num.* 12. Trident. *Seſſ.* 6. *de juſtif. cap.* 16. ab ipſo citati? Quid opus erat addere: *PURÆ LIBERALITATIS?* Scilicet, niſi hoc addito, nihil faciebat pro Queſnello, qui jam antea hoc addiderat; non de SS. Patribus, ſed de ſuo; aut ſi mavis, de Calvino, aut Bajo, aut alio ſimilis furfuris dogmatiſte. Et hoc dicit traditum a SS.Patribus, *Eccleſiâ probante, confirmante, ac definiente?* Quid ad hæc dicam? Modeſtiſſime dico cum Tridentino. *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera, ITA eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita*, (ergo non *PURÆ* liberalitatis dona) *aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non VERE mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, Anathema ſit.* Si opera noſtra *vere* merentur *augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ conſecutionem, ac gloriæ augmentum*: ſequitur manifeſtè, hæc non eſse dona puræ liberalitatis, ut vult Queſnellus, ſed debitam etiam mercedem.

Seſſ. 6. can. 32.

XXIII. Neceſse haud eſt ex Scriptura oſtendere opera noſtra eſse meritoria: infinita quæ ſuppetunt teſtimonia hujus veritatis ſat obvia ſunt.

ſunt. Videndum ſolum, ne quilibet ad ſuum ea interpretetur ſenſum, qualiter SS. PP. ea intellexerint. Ex primo Eccleſiæ Sæculo occurrit Clemens Rom. *Audiri*, inquit, *a Deo MEREMUR, ſi orationes ipſæ moribus & bonis operibus adjuvantur*. Item S. Ignatius *Sinite ut beſtiarum eſca ſim, per quas Deum poſſum PROMERERI*. Circa ſecundum Sæculum adeſt Clemens Alexandrinus: *Deus omnibus omnia diſtribuit pro meritis, cum juſta ſit diſpenſatio & Oeconomia*. S. Irenæus: *Pretioſam*, ait, *arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur*. Ex tertio Sæculo habemus Tertullianum: *Quomodo*, inquit, *multæ manſiones apud Patrem, niſi pro varietate meritorum?* S. Cyprianus: *Juſtitia opus eſt, ut promereri quis poſſit Deum judicem; præceptis ejus & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra mercedem*. Circa 4. Sæculum adſtipulatur S. Hilarius: *Regnum Dei vitæ noſtræ ſtipendiis quæramus: & hæc recte perfecteque viventium merces eſt*. D. Baſilius: *Cuſtodientibus mandata ejus retributio multa: merces nimirum illa copioſa eſt, & corona juſtitiæ*. Quinto Sæculo Auguſtinus ſuffragatur, cujus innumera adduci poſſent teſtimonia: ſufficiat in præſenti illud *in Pſal.* 83. *Deus indulgentiæ largitor, coronæ autem debitor, indulgentiam tribuit ut Pater, coronam ut Judex*. Quid clarius? Sed de Auguſtino mox plura. Accedat & Chryſoſtomus: *Si juſtus eſt* (Deus) *his & illis reddet pro meritis, & hoc in CONFESSO EST*. Quid cæteros ſubſequentium ſæculorum Patres commemorem? ad omnes enim eorum authoritates putabit fieri ſatis, ſi negetur Queſnellus meritum omne operibus noſtris denegaſſe: id ergo, ubi oſtenſum fuerit, nihil eſt quod ultra hiſceri poſſit.

Epiſt. 4.

Epiſt. ad Roman.

Lib. 4. Stromat.

Lib. adverſus hæreſes.

In Scorpiaco ca. 6.

Lib. de unit. Eccleſ.

Lib. 6. in Matth.

Serm. de cultu Monaſt.

Hom. 4. de Lazaro.

XXIV. Hoc perquam facile eſt oſtendere, ex tenore & verbis ipſius damnatæ Theſis: *Fides*, inquit, *uſus, augmentum &c. totum eſt donum puræ liberalitatis Dei*. *Puræ*, infit: ergo omne excludit meritum, ab operibus noſtris, aliàs purum non habemus donum, ſed mercede mixtum. Deinde: ſi ego ita dicerem: Hominis & Jumenti idem eſt interitus, & æqua utriuſque conditio &c. Nonne convicerer aſſerere, aut jumentum æque poſt mortem ſupereſſe quoad animam: vel hominem æquè deſinere, etiam quoad animam, velut jumentum? Non negabis, puto, unum aut alterum neceſſario hinc inferri: Sic ergo contra Queſnellum: Eodem modo ſunt Dei dona uſus, augmentum & præmium fidei, uti fides ipſa: aut ergo admittis ea omnia pura eſſe dona Dei, nihil includentia mercedis: & habeo intentum: aut dicis omnia illa, dempto nullo, ſic eſſe dona, ut ſimul ſint merces pro merito: at tunc fidem dari ex meritis fatebere, nec evades damnationem. Comprehendit ergo Deus aſtutum in aſtutia ſua, dum permiſit, ut iis quæ dona ſunt & præmia, adjungeret aliud, fidem nempe, quod purum Dei Donum eſt; ut ſic omnis effugii viâ occluſâ, de errore certius conſtaret, pateretque juxta Queſnellum non magis nos mereri augmentum fidei, & præmium, quam fidem ipſam: vel econtra, nos etiam fidem ipſam mereri.

XXV. Quod ſi inſtitutum argumentum ulterius promovere velimus, non erit difficile oſtendere, ſenſum hujus propoſitionis eſſe, quod in uſu augmentoque fidei, homo non agat ſed patiatur, uſum, augmentumve fidei a Deo recipiendo. Enimvero fides cæteræque infuſæ virtu-

tes

tes non active ab homine, ſed paſſivè in homine fiunt. *Virtus*, inquit Auguſtinus, *eſt bona qualitas mentis .... quam Deus in nobis ſine nobis operatur*: quod de virtutibus infuſis intelligit Angelicus 1. 2. *q.* 55. *a.*4. *& q.*63. *a.* 2. *c.* Item *Epiſt.*105, modo 194. ait Hipponenſis *num.* 9., *Opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, ſine qua illa a nullo fiunt homine*: Itaque ſi eadem eſt ratio augmenti & uſus fidei, quæ ipſius in ſe ſpectatæ fidei eſt; ut vult damnata Theſis; ſequitur uſum fidei, ejuſque augmentum, fieri in nobis ſine nobis: fieri in homine, non ab homine; bonaque opera noſtra non eſſe fidei augendæ cauſas; contra *can.* 24. *ſeſs.* 6. *Trid. Si quis dixerit juſtitiam acceptam non conſervari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera: ſed opera ipſa fructus ſolummodo & ſigna eſſe juſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam, anathema ſit.*

XXVI. Ut me clarius explicem, obſervari velim, ad hoc, ut quiſquam ſe probe a Luthero ac Calvino diſcernat in hac parte, non ſufficere ſi dicantur merita noſtra & opera bona eſſe actiones hominis, fierique ab homine, quocumque modo, etſi per modum puri inſtrumenti: hoc enim nec hæretici illi negarunt. Id egregiè explicat noſter P. M. van Bilſen *Theſ.* 3. *pag.* 39. ubi relatis iis Calvini verbis: *Illud ergo toties a Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt*, quem trahit, volentem trahit: *& medium quem Sophiſtæ imaginantur motum, cui obſequi, vel quem repellere liberum eſt, aperte excludi videmus*, ſubjungit: „ Negat ergo Hæreſiarcha nos prius in actu conſtitui per „ gratiam, quam Deus in nobis ſine nobis opera- „ tur, unde poſtea ex nobis procedamus ad

„ actum alium, per quem nos ipſos applicamus „ & movemus libere, Deo operanti cooperamur, eique ſubordinati non tantum nos ipſi, „ ſed etiam nos ipſos agimus & impellimus ad „ actum ſecundum, tertium & ſequentes. Unde „ & ad ſophiſtarum officinas eos amandat, qui in „ hoc rerum ſtatu, plus quam ſolo nomine diſtinguunt gratiam operationis; qui actus volunt, „ non in nobis tantum effectos, ſed ita a nobis „ ortos, ut priores poſteriorum veræ cauſæ ſint, „ & ſaltem ſecundæ a ſe agendi partes relinquantur homini. Sed quidquid uſpiam bonorum „ actuum in nobis invenitur, ita hominis eſſe dicit, ut non ſint ab homine, qui nunquam ita „ movetur, ut ſe etiam moveat; & ita merum inſtrumentum manet in manu Dei, ut nequidem in cauſam principalem ſecundam, & „ Deo ſubordinatam uſquam evadat. „ Huc uſq; Norbertus noſter. Idem illud omnino hîc docens Queſnellus, a Calvino non recedit.

Pag. 118. XXVII. Sed fatetur *Theologia Supplex*, Theſim hanc, *de puræ liberalitatis dono intellectam*, *cooperationem humanam, ac meritum ex ea cooperatione quæſitum excludente, qui Calvinianus eſt error*, damnabilem eſſe: at ſi *de PURÆ LIBERALITATIS DONO, humanam cooperationem ac meritum ex ipſa Dei gratia profectum importante & coronante*, intelligatur; catholicam veritatem, olim contra Pelagianorum reliquias definitam, eſſe aſſerit. Sed, poteſtne aliquid eſſe donum PURÆ liberalitatis Dei, & tamen non excludere meritum? Imo hoc tam poteſt eſſe, quam PURUM valeat inveniri aurum, quod non excludat omnem aliam admixtionem. Unde in *capitulis*

lis epiſtolæ Cæleſtini annexis, & in Tridentino *Seſs. 6. de juſtif. cap. 16.* merita noſtra dicuntur quidem *Dei Dona*, ſed nullibi lego, eſſe PURÆ LIBERALITATIS DONA. Quin potius Auguſtinus, teſte S Thoma, *Charitas*, ait, *meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici*: ex quo infert S. Thomas: Ergo augmentum *charitatis* vel *gratiæ cadit ſub merito condigni*: quod *articulo* 3. oſtenderat etiam de gloria, ſeu vita æterna. 1. 2. qu. 114. art 8.

XXVIII. Objicit Auctor *Theol. ſuppl. pag.* 117. *ex capitulis* epiſtolæ Cæleſtini adnexis *nu.* 12. ſed mutilum. Si enim integer legatur, luce clarius apparebit, & hîc Queſnellianam Theſim prædamnatam eſſe. Sic ergo habet *numerus* illæ *duodecimus*. „ His ergo eccleſiaſticis regulis, & ex „ divina ſumptis auctoritate documentis, ita „ adjuvante Domino conformati ſumus, ut „ omnium bonorum affectuum, atque operum, & „ *omnium ſtudiorum*, omniumque virtutum, quidus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur auctorem; & non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem „ fit ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio & munere Dei *non aufertur liberum arbitrium*, ſed liberatur, ut de „ tenebroſo lucidum, de pravo rectum, *de languido ſanum*, de imprudente fit providum. *Hic incipit Theolog. Supplex*. Tanta eſt enim erga „ omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit „ eſse merita, quæ ſunt ipſius dona; & pro his „ quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus: „ (*Sequentia omittit*) Agit quippe in nobis, ut „ quod vult & velimus, & agamus; *nec ocioſa eſſe in nobis patitur, quæ exercenda, non negligen-*

„ *da donavit* : *ut & nos cooperatores ſimus gratiæ* „ *Dei &c.* „ Vides ibi ſtudia noſtra, liberum arbitrium ſanatum commendari : dona Dei exercenda a nobis eſſe &c.,quæ omnia e diametro principiis Queſnelli repugnant:ſecundum quem uſus, augmentum & præmium habituum ſupernaturalium, ſunt dona puræ liberalitatis Dei : quam proinde expectare debemus ; quieſcereque a ſtudio,conatu,diligentia exercendi dona Dei, eaque augendi, contra Dominicum præceptum : *Negotiamini dum venio &c. Luc.* 19.

XXIX. Non eſt autem omnino prætereundum quod habet Auctor ille *pag.* 117. in fine : *Ad hunc ſenſum*, inquiens, *& hac ipſa ratione(quod NON NISI per gratiam, & ex vi gratiæ ſuum homo præſtet aſſenſum, Deoque cooperetur) totum Dei eſſe, totumque Deo, ejuſque gratiæ adſcribendum, ſæpius aſſerit Auguſtinus, ac maxime in Enchiridio ad Laurentium cap.* 32. Quo ſenſu Auguſtinus dicat, totum Deo adſcribendum, explicat ipſe loco citato dicens : *Reſtat, ut propterea recte dictum intelligatur* : „ non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei „ *ut totum Deo detur ; qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia. Quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa.* At vero, dicere, quod totum Deo ſit adſcribendum, quia *nonniſi* per gratiam & ex vi gratiæ, id eſt, non ex propria etiam determinatione ipſius voluntatis, ut ſecundi liberi, homo præſtet aſſenſum, non tam Auguſtinianum eſt, quam Queſnellianum, imo Calvinianum ac Lutheranum: contra quod ſpecificè militat aurea illa

S.T.

S.T. ſententia: ***Etiam res naturales hoc conſequuntur, per proprios motus & operationes, ad quod a Deo ſunt ordinatæ: differenter tamen: quia creatura rationalis, ſe ipſam movet ad agendum, per liberum arbitrium: unde ſua actio habet rationem meriti; quod non eſt in aliis creaturis.*** Ex quibus manifeſtum fit, non ſufficere ad opus meritorium ut homo qualitercumque apponat ſuum aſſenſum, adjungatque operationem ſuam concurſui divino: alias res etiam naturales meritorie operarentur: ſed requiri ut per liberum arbitrium, id eſt, cum libero judicio de agendo vel non agendo, uti loquitur S. T., ſe ipſe moveat & determinet, & quidem in ſua linea ***principaliter*** ad cooperandum Deo. ***Principaliter***, inquam, & eſt S. T. ***Dicendum, quod cauſa prima dicitur principalis ſimpliciter loquendo, propter hoc, quod magis influit in effectum: ſed cauſa ſecunda ſecundum quid principalis eſt; inquantum effectus ei magis conformantur.*** Unde dici debet, prout S. Thomas in quarto illo argumento inſinuat, & in ſolutione admittit, ***quod mens humana ſit cauſa*** (ſecunda) ***principalis ſui actus; Deus autem ſicut remota: & hoc non impedit mentis libertatem.*** Hæc neceſſario præ oculis ſemper ſunt habenda, ut catholica doctrina Thomiſtarum, diſcernatur ab hæretica Lutheri, Calvini, Janſenii, Queſnelli &c. Idem docet Auctor libri ***De vocat. gentium cap. 20. Gratia Dei***, inquit, ***in omnibus juſtificationibus principaliter præeminet: ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur, atque conjungitur, quæ ad hoc eſt prædictis excitata præſidiis; ut divino in ſe cooperetur operi &c.*** Certe cooperari alteri, cauſæ eſt principalis, non inſtrumenti meri. Idem confirmant dicta ***num. 26.***

1. 2. qu. 114. art. 1. c.

Q. 24. de verit. a. 1.

Loc. cit. ad 4.

§. IV.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei: ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas eſt. Eſt.42. Queſnell. Act. 11. v.9.

XXX. Duas habet hęc propoſitio partes, quarum primam fidei dogma eſſe, prætendit auctor
Pag.121. *Theologiæ ſupplicis, dudum ab Eccleſia contra Pelagianos illorumque reliquias definitum.* Exiſtimat ille, priorem illam partem aliud ſignificare nihil, quam *Fidem illiuſque etiam initium eſſe ex gratia.* Et quidem libens faterer, propoſitionem, ſi ſolitariè ſpectanda foret, hunc poſſe induere ſenſum. At non ita eſt: conſideranda venit propoſitio ut exiſtens in libro Queſnelli, ut connexa aliis propoſitionibus, ut prolata cum aliis multis, unum in finem collimantibus, cæteriſque omnibus ſuis circumſtantiis: ac tum verus illius ſenſus determinandus. Hoc qui negaret, non poſtremam bonæ critices regulam ſubverteret. Numquid enim catholicam, ac ad fidei dogmata ſpectantem dicemus propoſitionem hanc: *Soli Deo honor & gloria*, ubicumque demum, aut in quocumque auctore reperiatur? Quid ſi reperiretur in libro cujuſ-
Tract.34 in Joan. num.2. dam ex illis hæreticis, qui, Auguſtino teſte, ſolem iſtum, *qui ortu & occaſu peragit diem*, Dominum Chriſtum eſſe delirârunt? Attendamus ergo oportet,

tet, propoſitionem illam a Queſnello ſcriptam, eamque extare in libro *Reflectionem Moralium*; in quo, cætera inter, nonniſi gratia neceſſitans, omnem ſemper, ad quem datur, effectum habens; primam gratiam, cæterarumque fontem, fidem eſſe, ſpe ac charitate ſociatam, admittitur, inculcatur, docetur; & intelligemus hac prima propoſitionis parte hoc intendi, nimirum: Nullum aptum eſſe, ſufficientem eſſe, capacem eſſe ad ſacrificium fidei, niſi qui actualiter fidem, ſpem & charitatem habeat: ſicque hæc etiam prima propoſitionis pars, eodem veneno infecta eſt, quo plures alias de gratia propoſitiones infectas eſſe, ſæpiſſime eſt demonſtratum: tantum abeſt ut fidei dogma ſit.

XXXI. Dixi, niſi fidem, ſpem & charitatem habeat: conſtat namque ex §. 1. hujus capitis, fidem, cum amore & fiducia eſſe ſemen & germen omnium ſalutis mediorum, adeoque, & ſacrificii fidei juxta Queſnellum. Præterea ſacrificium fidei, involvit ejuſdem fidei actum & operationem: non poteſt proinde quiſpiam aptus eſſe ad memoratum ſacrificium, abſque charitate; quia *fides ipſa*, juxta *propoſitionem quinquageſimam primam*, *non operatur*, *niſi per charitatem*. Ecce ergo omnes peccatores, infideles ſint an fideles, excluſi, & a ſacrificio fidei, & ab aptitudine ad illud.

XXXII. Veniamus ad ſecundam propoſitionis partem, cujus varios ſenſus accuratè *Theologiæ ſupplicis* Auctor diſtinxit. Vel enim de indignitate hominis ſine fide operantis; vel de indignitate & impuritate operum, ſine fide elicitorum accipitur. Si primum, exiſtimat dictus auctor partem illam eſſe certiſſimam. *Qui enim*, inquit, Loc. cit.

ſine

ſine fide, bona qualiacumque exerit opera, intra moris ordinem, non idcirco purus evadit, nec Deo ſit dignus. Quid tum poſtea? An hoc admiſſo, prout admittunt omnes catholici, homo ille, ***nihil eſt niſi impuritas, nihil niſi indignitas?*** An hæc propoſitionis ſecunda pars certiſſima eſt? Immo certiſſimè falſa eſt; quod ſic probo: Suppono hominem quempiam peccaſſe contra charitatem tantum. Homo ille, in principiis Queſnelli, eſt ineptus ad ſacrificium fidei, quæ nonniſi per charitatem, ut aſſerit ipſe, operatur. Peto an homo ille non ſit niſi impuritas, niſi indignitas? Vel remanent illo in homine habitus fidei & ſpei, vel non? Si dicas non remanere, impingis in canonem 28. *ſeſs.*6. Tridentini, qui ſic ſonat: ***Si quis dixerit, amiſſâ per peccatum gratiâ, ſimul & fidem ſemper amitti: aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva; aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit***. Si dicis fidem quidem remanere ac ſpem; at non eſſe, ſine charitate, niſi indignitatem, nihil niſi impuritatem, equidem non evadis anathema, ut conſtat ex ſecunda parte canonis relati: ***Aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem***: ſi enim impuritas eſt, ſi indignitas eſt fides, quæ remamanet, amiſsâ charitate, vera fides non eſt, nec donum Spiritûs Sancti: quod ſub anathemate vetitum eſt aſſerere. Deinde, nonne in illo homine manent plurima dona naturalia? An illa ſeipſis, ſine gratia, non ſunt niſi impuritas, nihil niſi indignitas? Erunt ergo ſeipſis noxia ac per-
Pag. 193. nicioſa, quod negat, & bene, idem Auctor. Certiſſime ergo erravit ille, dum ſecundam illam propoſitionis partem, in primo ſenſu acceptam, de

in-

indignitate hominis ſine fide, modo Queſnelliano intellecta, operantis, certiſſimam dixit.

XXXIII. Sed ſumamus eandem partem ſecundam, in ſecundo ſenſu, de indignitate operum, eorumque impuritate, quæ fiunt in ſtatu peccati mortalis cujuſcumque. *Sic rurſus*, inquit idem Auctor, *geminum ſenſum habet. Si enim negativè, ut ſchola loquitur, ea impura & indigna dicantur, quod eam non habeant puritatem & bonitatem, quâ Deo digna ſint; vera eſt propoſitio. Si autem poſitivè impura & indigna dicantur, quod peccata ſint veri nominis, Deo exoſa, pœnamque promerita; ſic ſane damnanda aſſertio eſt, immo jam diu in Bajo damnata.* At hoc eſt Queſnellum damnare; immo pridem damnatum eſſe, antequam naſceretur, agnoſcere. Siquidem, evidentiſſimum ſit, quod non hanc ſolum dignitatem neget operibus iſtis Queſnelliana, ſecundum quam Deo digna ſint, ſed omnem prorſus, etiam moralem. *Nihil*, inquit, *niſi impuritas, nihil niſi indignitas eſt*. Quin & ſunt, in iiſdem principiis, veri nominis peccata, adeoque poſitivè indigna; quod olim in Bajo damnatum fatetur *Theologia ſupplex*. Vis hoc ultimum probem? Junge huic propoſitioni ſequentem, ordine *quadrageſimam quartam*: *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt charitas. Quando amor Dei eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt quod apparet exterius: alioquin non eſt niſi hypocriſis & falſa juſtitia*: adde & *quadrageſimam quintam*; *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis cupiditas regnet, omneſque actiones ejus corrumpat*. Viden' qualiter Queſnello omnes actiones pecca-

to-

toris ſint impuritas poſitiva? Et poſt hæc omnia, idem auctor, vir ſane, ut apparet ex ipſo libello infelici, non mediocriter eruditus, petit declarari, quid tandem in illa ſit propoſitione damnatum?

ſ. V.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Fides juſtificat quando operatur: ſed ipſa non operatur niſi per charitatem. Eſt 51. Queſnell. Act. 13. v. 39.

XXXIV. Variis hæc propoſitio Eccleſiæ definitionibus ſeſe opponit, contradicitque Tridentino *ſeſs. 6. cap. 6.* inter diſpoſitiones præcedentes juſtificationem infidelis, etiam tempore, actum fidei recenſenti. *Diſponuntur autem*, ait, *ad ipſam juſtitiam, dum excitati & adjuti divina gratia, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt &c.* Ecce actum fidei, ſine charitate. *Seſs.* 14. *cap.* 4. loquens de juſtificatione fidelium, aſſerit eos per attritionem quæ, *vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu*, utique ſupernaturali, & ex fide profecto, *communiter* concipitur, diſponi *ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam*. At juxta hanc Theſim, fides juſtificat quando operatur: vel ergo attritio illa non

De juſtificatione.

De Sacr. Pœnit.

eſt

eſt ex fide: aut, ſi eſt, juſtificat ante Sacramenti ſuſceptionem. Ulterius: ille, cujus fides nihil operatur, non ducit vitam dignam filio Dei & membro Chriſti, ſicque *ceſſat habere Deum pro patre, & Chriſtum pro capite* (eſt 77. Queſnell.) igitur ſi fides non operatur niſi per charitatem, peccatores charitate vacui, quorum fides otioſa eſt, deſierunt Deum habere pro Patre & Chriſtum pro capite, quomodo ergo erunt Chriſtiani; maxime, cum juxta *prop.* 78. *Separatur quis a populo electo .... tam non vivendo ſecundum evangelium, quam non credendo evangelio?* Deleatur ergo de canone 28. *ſeſs.6. Trid. Si quis dixerit amiſſa .... aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.*

XXXV. Sed abſit hoc. Deleatur potius & oblivioni prorſus tradatur Queſnelliana Theſis. Accedat quoque Alexandri VIII. conſtitutio, damnans hanc ordine 12. *prop. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiamſi videantur credere, non eſt fides divina, ſed humana.* Quam ſimilis eſt hæc Quæſnellianæ, quæ eſt præ manibus? Apparent gemellæ. Erro. Propoſitio ab Alexandro VIII. perſtricta de magnis agit peccatoribus: Queſnelliana de quibuſcumque. Prior admittit aliquid operis fidei apparentis, *etiamſi*, inquit, *videantur credere*: Queſnelliana abſolute negat fidem operari ſine charitate. Differunt ergo Theſes illæ; ſed ita, ut Queſnelliana, etiam damnabilior videatur, & ſit.

XXXVI. Auctor *Theol. ſuppl.* vir admodum ingenioſus (utinam talenta ſua, operas, patrocinium meliori conſecraſſet cauſæ!) de prima propoſitionis parte ait: *Extra dubium eſt: Fides* Pag.127.

des enim *ſine operibus mortua eſt*. Scilicet! Idem hoc valet, ac ſi, damnata hac Theſi: *Homo qui reſpirat eſt ſanus*, diceret aliquis: *Extra dubium eſt: quia homo ſine reſpiratione mortuus eſt*. An taliter reſpondens juſtificaſſet illam poſitionem? Apage nugas. De ſecunda parte, fatetur erroneam eſſe, ſi ſic intelligatur, *quaſi nullus ſit fidei actus proprius. Suum enim unaquæque virtus proprium aliquem actum habet*. Hactenus bene: nam & Apoſtolus montium translationem fidei, cha-
1.Cor.13 ritate deſtitutæ adſcribit, dicens: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Quod intelligendum non eſſe, ut illud aliud Apoſtoli; *Sed licet nos,*
AdGal.1 v.8. *aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*: Non, inquam, eodem ſenſu illud primum intelligendum eſſe, inde conſtat, quod non ſolum D. Thomas, ſed Theologi omnes fateantur, improbos miracula poſſe facere: & ex hiſtoriis habeamus etiam hæreticos aliquos, etſi non in confirmationem hæreſis, miracula feciſſe: de quo videndus Euſebius *lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 3*. Bene ergo admiſit poſitionem, quatenus negaret omnem actum fidei, erroneam eſſe. At peſſime dubitat an Clemens hoc damnaverit; an vero; quod *fides non juſtificet niſi per charitatem*. Quid hoc aliud eſt quam dubitare, erraveritne in fide Clemens XI. & Eccleſia Romana particularis, in Concilio adunata ſub Benedicto XIII. Ord. Prædicatorum, Conſtitutionem Clementis, ſuæ regulam fidei agnoſcens; imo Eccleſia univerſa eidem adhærens? Jure longe majori dicere nunc, id poſſumus, ac repetere, quod olim Hieronymus, adverſus ca-
lum.

lumniantes ſuas translationes dicebat: *Quæ enim audientis vel legentis utilitas eſt, nos laborando ſudare, & alios detrahendo laborare? dolere Judæos* (hæreticos) *quod calumniandi eis, & irridendi Chriſtianos, ſit ablata occaſio, & Eccleſiæ homines id deſpicere, immo lacerare, unde adverſarii torqueantur?* Abſit quod Eccleſia univerſa erraverit. Abſit ab omni Chriſtiano-Catholico hoc vel ſuſpicari. Errorem damnavit Clemens in hac propoſitione; cumque non unum; non fidei, veritatem. Prologo ad lib. Joſue.

XXXVII. Et nonne Queſnelliana Theſis, ſat aperte, omnem actum fidei, in ſe ſpectatæ, eripit? *Non niſi per charitatem operatur*, inquit: atqui hoc falſum eſt, ſi vel unicum habet fides ſine charitate? ſicut ergo ille qui diceret hoc verum eſſe: *Fides aliquem actum habet, ſine charitate*, eo ipſo dicit falſum eſſe, quod *non niſi per charitatem operetur*; ita qui hoc affirmat verum, dicit falſum eſſe, quod *vel unicum actum habeat ſine charitate*; adeoque omnem actum fidei eripit. Hoc autem erroneum eſſe, adverſarius ipſe fatetur. Et quidni fateretur, cum Scriptura Sacra id apertiſſime damnet: *Crediderunt Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis a majore uſque ad minorem. Et pervenit verbum ad Regem Ninive: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum a ſe, & indutus eſt ſacco; & ſedit in cinere, & clamavit & dixit.... homines & jumenta.... non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine; & convertatur vir a via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum.* Pag. 128. Jonæ 3. v. 5.

Quis

Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat Deus &c. Ecce fidei ſine charitate, actum non unum.

XXXVIII. Sed non hic ſolus error latet in iſta damnata: latet hîc, ſi bene video, & Bajanum neſcio quid. *Fides*, inquit Paſchaſius, *juſtificat, quando operatur*: ergo dum peccatores operibus quibuſdam inſiſtunt, ſolum ut mandatis Dei pareant, *cujuſmodi ſunt obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, a fornicatione, abſtinere, juſtificantur?* = *Igitur juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur; ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit?* quæ eſt 42. Bajana. Negabis forte hunc eſſe ſenſum naturalem hujus propoſitionis. At negare haud poteris hunc ſenſum facile occurrere ei, qui conſideraverit & attenderit, quo auctore in lucem Theſis hæc prodierit: nimirum, viro Bajano fuligine tincto, veneno ſaturo. Nec quemquam moveat quod Queſnellus fidei adjungat charitatem ad juſtificationem obtinendam; ſicque videatur & comprehendiſſe gratiam aliquam homini infuſam: id minime ſequitur, nam & Bajus charitatem buccinabat, & tamen negavit, ut vidimus, gratiam animæ infuſam. Si cuiquam hæc paradoxa videantur, meminerit Paſchaſium linguâ ignotâ cæteris fidelibus, & peregrina uti. Hinc lamentatio illa: *Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis*. Eſt initium propoſitionis nonageſimæ quintæ. Nemo ergo putet vulgarem quem-

Eſt 44. Bajana.

quemdam conceptum latere ſub his propoſitionibus; ſingularis eſt, peregrinus eſt.

§. VI.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes: & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei. Eſt 57. Queſnell. Matt. 27. v. 5.

XXXIX. Oleum & operam perdidit Auctor *Theol. ſupplicis*, dum primam hujus propoſitionis partem; *quæ*, inquit, ***prima quidem facie ſuſpecta eſt, male ſonat, & in errorem ducit***; conatus eſt emaculare & mangonizare; eam ***ad moralem, ut ajunt, & aſceticum ſenſum*** inflectendo, ***quo cuncta illi deeſſe dicuntur, cui ſunt ad finem ſuum aſſequendum caſſa & inutilia***. Etenim, non hoc ſolum ſenſu afferit Queſnellus totum deeſſe peccatori, quando ei deeſt ſpes; ſed abſolute: ita ut, ſi Queſnello credimus, omnia omnino ſalutis media deſint peccatori, quando ei deeſt ſpes. Hoc ut probetur, ſolum repetenda venit ***propoſitio*** 52. ***Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tamquã in ſuo germine & ſemine: ſed hac fides non eſt abſque amore & fiducia***. Ponamus nunc, juxta ***propoſitionem*** 57., deeſſe peccatori ſpem, id eſt fiduciam, tum deerit iſti uſque ad ipſum germen & ſemen mediorum ſalutis, ſicque omnia prorſus ſalutis media. Deinde, cum ſpes ſit prior charitate, illiuſque veluti fundamentum, charitas repe- Pag. 124.

riri nequit, ubi deſideratur ſpes; ſicut nec invenitur domus ſine fundamento; eodem ergo modo philoſophandum de homine privato ſpe, ac de privato charitate. Adde nunc ex propoſitione quinquageſima octava Queſnelli, quod *Nec Deus eſt, nec religio, ubi non eſt charitas*; inde recte conficies, nec Deum eſſe, nec religionem ubi non eſt ſpes. Cum autem certum ſit omnia prorſus ſalutis media deeſſe homini qui nec Deum habet, nec religionem, per conſequentiam evidentiſſimam ſequitur, omnia, non ſenſu morali & aſcetico dumtaxat, ſed abſoluto, deeſſe peccatori, juxta Queſnellum, quando ei deeſt ſpes.

XL. Eſt tamen adhuc aliud, ratione cujus propoſitio hæc merita eſt cenſuram: videlicet, quod ſignificet in omni peccatore deficere ſpem; adeoque omnia ſalutis media. Hoc ut probem, non eſt multum ſudandum; ſed ſolum ſupponendum, quod amor Dei, ſine quo; juxta ſecundam propoſitionis partem; non datur ſpes, ſumatur a Queſnello pro amore charitatis: quippe juxta *propoſitionem* 44. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones omnes & actiones noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia diligit propter Deum* (& hæc eſt indubie charitas) *quemqne Deus remuneratur: & amor quo nos ipſos & mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus*. Porro amor, quem requirit ad ſpem Queſnellus, nequit eſſe ille poſterior, ſed neceſſario intelligi debet prior, ut per ſe evidens eſt. Hoc ſuppoſito, cum æquè evidens ſit, in nullo peccatore manere charitatem, quamdiu peccator eſt, ſequitur nullum peccatorem ſpem habere ſalutis poſſe: ſicque unicuique peccatori totum

deeſt,

deeſt, id eſt omnia ſalutis media deſunt. O crudelitatem! Peccator timendas habet inferni pœnas, & eas timendo peccat, ut poſtea ex Queſnello videbimus: *Liceat* ſaltem *ſperare timenti*, ut Auguſt. ex Lucano canit. Minime, inquit, Queſnellus:in peccatore deficit omnis amor,bonus ſcilicet, qui eſt charitas ipſi, deficit perconſequens ſpes; *totum*, verbo, *deeſt*. Ex quo concludo, quod adverbium *quando*, gallice *quand*, idem hic valeat ac *quoniam*, gallicè, *puiſque*, adeo ut ſenſus propoſitionis hujus ſit hic: *Totum deeſt peccatori, quoniam ei deeſt ſpes: quia ſpes non eſt in Deo, ubi non eſt amor Dei*. Deſperet ergo, *qui cum ſumme timeat, nihil ſperat*, neceſſe eſt.

In Enchir. c.8.

XLI. Eat nunc Auctor *Theologiæ Supplicis*, & ad ſenſum aſceticum confugiat: habet Queſnellus aſceſim novam, præcipitantem miſeros peccatores in barathrum deſperationis; eamque, quod diabolicum eſt, veſtitam ſpecie pietatis. Coacervet auctoritates SS. Thomæ, Bonaventuræ, imo Auguſtini: addat Gregorium Magnum, Zenonem Veronenſem: percurrat omnes SS.PP. tam horribilem doctrinam nuſquam inveniet;prout ipſe, haud dubie, ultro fatebitur. Attamen hos eſſe obvios ſenſus hujus propoſitionis (quidquid ſit, an Queſnellus eos in animo habuerit; id enim, ut ipſe admittit pag. 126. *non admodum Theologi curant*) ut extat in libro *Reflexionum Moralium* una cum aliis ſupra recenſitis, quilibet ſereno ac tranquillo animo rem expendens, mecum, puto, judicabit. Interim vero meditetur, quam horribilem ſtragem humano generi, hæc Queſnelli Doctrina, nata ſit inferre. Ut enim refert ex Zenone Veronenſi: *Tolle ſpem, torpet huma-*

Theol. ſuppl. pa. 61.

Serm. de ſpe, fide, & carit.

manitas tota: tolle ſpem; artes virtuteſque omnes ceſſabunt: tolle ſpem, interempta ſunt omnia: & quantum infauſto opuſculo ſuo viſus eſt Queſnelliana dogmata propugnare, tantum deinceps illorum falſitatem, crudelitatem, horrorem, pro ſua eruditione ſingulari, omnibus patefaciat, memor illius: *Qui ad juſtitiam* erudiunt *multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*. Ad juſtitiam, inquit, non ad diſſenſiones, non ad contentiones, non ad diviſiones, non ad ſchiſmata, ſed ad juſtitiam; id eſt, ad concordiam, ad pacem, ad unitatem: quod breviori via conſequì vix poterit, quam ſi, exemplo potius quam verbis, oſtenderit, voci Summi Pontificis unicuique catholico eſſe obediendum. *Neque enim*, ut obſervatum olim fuit S. Cypriano, *Epiſt. ad Cornelium PP. in edit. Oxonienſi 59., aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur*. Unde Auguſtinus *lib. 1. contra Julianum cap. 4. num. 13. Puto*, inquit, *tibi eam partem Orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare: cui ECCLESIÆ PRÆSIDENTEM ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes*. Heus tu, qui Auguſtini diſcipulus affectas videri; oſtende quanti magiſtrum illum *optimum* facias. Porrigit ille tibi manum, quam ſi apprehenderis periculoſam juventutem tuam; dicam an ſenectutem, neſcio, quia te non novi; Queſnellianis laqueis exues: ſufficiat tibi, non dico ſolum illa pars orbis, *in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit*

Daniel. 12. v. 3.

Pamelio 55. Eraſmo lib. 1. Epiſt. 3.

Cæleſtinus Epi. ad Epiſcop. Galliæ.

luit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare, quæ tamen ſufficere tibi deberet, ſi Auguſtini ſincerus diſcipulus es, ſed Orbis univerſus Catholicus, qui Queſnellum jam olim damnavit & damnat. Hodie veniæ porta patet; quid ſerus veſper feret, aut craſtinum, ignoramus. *Sed etſi noviſſime veneris, & pulſaveris, minime profecto aperietur tibi; ſed reſpondebitur de intus, quod non ſit de Bobus & Aſinis, cæteriſque jumentis inſipientibus cura Deo*. S. Bernardus, ſeu potius Lanfredus Abbas *in Declamationibus* §. 3.

XLII. Addendum, priuſquam finem huic §. faciam, *Theologiam Suppl.* quoſdam SS. Patres, pro hac Queſnelliana, fide non bona, citaſſe: ac primo S. Thomam, quem dicit ſcripſiſſe, quod *Spes & omnis motus appetitivus ex amore procedit aliquo, quo ſcilicet amat aliquis bonum expectatum*: 2.2. q. 17 a. 8. quæ verba apparent Queſnello faventia. Attamen ſi recordemur Paſchaſium hîc loqui de amore charitatis, ut oſtenſum eſt; addanturque verba S. Thomæ ſequentia, quæ ſumma cum injuria S. Præceptoris omiſit Auctor iſte, apparet clare S. Thomam Queſnellum eo ipſo loco prædamnaſſe. Sequitur enim apud S. Thomam: *Sed non omnis ſpes provenit a charitate*: quæ cum deciſiva ſint, cur omittuntur? Eadem fide, id eſt græca, citat S. Bonaventuram, ac ſi diceret. *Amor eſt principium omnium affectionum. Quod eſt verum de amore ſecundum ſtatum imperfectum...*, *Quare nullus ſperat, niſi quod amat*: In 3. ſent. diſt. 26. a. 2. q. 3. quæ verba, ita recitata, docere videntur; quod ſpes Theologica non reperiatur ſine amore Dei: ſed advertendum, quod hic combinaverit cum initio ſolutionis ſecundi argumenti, principium ſolutionis tertii argumenti,

 ali-

aliquid etiam immutando. Sic enim habet S. Bonaventura loc. cit. 2. *Ad illud quod objicitur, quod amor eſt principium omnium affectionum, dicendum, quod verum eſt de amore ſecundum ſtatum imperfectum: ſed ſicut amor ſecundum imperfectionem ſtatus eſt omnium affectionum principium, ſic ſecundum ſuam perfectionem eſt omnium affectionum terminus finalis, & complementum. Unde omnes affectiones animæ ad id ordinantur, ut Deus ametur perfectè: charitas autem non nominat qualemcumque amorem, ſed amorem præcipuum: & ideo ex hoc non poteſt concludi, quod charitas ſecundum naturalem ordinem præcedit ipſam ſpem.* Tum ſequitur reſponſio ad tertiam objectionem. 3. *Ad illud quod objicitur, quod nullus ſperat, niſi quod amat, dicendum, quod verum eſt: ſed tamen ex hoc non ſequitur quod ſpes charitatem ſequatur, pro eo quod charitas talem addit circumſtantiam ſuper amorem, quæ neceſſario ſubſequitur actum ſperandi, & ejus rectitudinem, ſicut prius tactum eſt.* Ex his, & artes Auctoris *Theol. Suppl.* & condemnationem Queſnelli, quilibet facile eruet. Veniamus ergo ad Auguſtinum. Is, inquit *Theol. Suppl.*, illis *præluſit in Enchir. c. 8. Spes ſine amore eſſe non poteſt &c.* Sed in promptu eſt ſolutio S. Thomæ 1. 2. *q. 65. a. 4. ad 3. Dicendum, quod Auguſtinus loquitur ibi de ſpe, ſecundum quod aliquis expectat futuram beatitudinem per merita quæ jam habet, quod non eſt ſine charitate.* Sed præter hunc actum, quem S. T. in corp. dicit *perfectum*, alium admittit ibidem imperfectum: *Si autem*, inquit, *hoc expectet ex meritis quæ nondum habet, ſed proponit in futurum acquirere, erit actus imperfectus; & hoc poteſt eſſe ſine charitate.*

Edit. Roma. 1596. pag. 326. col. 1.

§. VII.

§. VII.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atq; ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia; hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. Eſt 1. Queſnell. Luc. 16. v.3.

Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum, ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate. Eſt 48. Queſnell. Epheſ.5. v.8.

XLIII. Ex præcedentibus aliquo modo patet Queſnellum docuiſſe, contra Concilium Tridentinum, per quodlibet peccatum, præter charatem, fidem etiam ac ſpem amitti: id ex ſubſequentibus propoſitionibus majorem accipiet lucem; ac primo ex illis, quas huic §. præfiximus. Primam dum tueri conatur Auctor *Theologiæ Supplicis*, ſe ipſe, ludibrio dicerem, ni materiæ gravitas extorqueret, commiſerationi exponit, ſalvandæ huic propoſitioni partem aſſuendo panni; quod nec in poëta tolerabat Horatius; maculam, ſeu crimen clientis ſui quæ oſtendat, non operiat, multo minus eluat: quin in clientem ſuum De arte poëtica init.

ſuum ſententiam damnationis profert. Ait enim
Pag. 147. initio §. 12. *Eodem ac ſuperiores æquivoco ludunt propoſitiones illæ duæ*: ſcilicet 1. & quam ei adjunxit 48. Queſnellianæ: *ac prout variè explicantur, cenſuram merentur aut laudem.* Fatetur ergo ambas propoſitiones ſenſum habere cenſuræ obnoxium, meritoque inter condemnatas per Bullam *Unigenitus*, quâ etiam *captioſæ* damnantur, eſſe repoſi-
Pag. 41. & 45. tas, juxta regulam noſtram 2. & 10. Sed operæ pretium eſt, videamus, quâ parte putet eas laudem mereri poſſe. „ Si de peccatore ipſo, *inquit*, „ & infideli (*hoc perperam additur*) explicare lubeat, quod ille in habitu infidelitatis atque „ peccati poſitus, quidquid honeſti videatur „ agere, totus tamen ſit ex habitu tenebroſus, „ ac tenebræ ipſæ; ſuperbus, & ſuperbia ipſa; „ pauper, & impotens, ac ipſa paupertas & impotentia; aperta veritas eſt, ab Apoſtolo prædicata ad Epheſ. 5. *Eratis aliquando tenebræ* „ (nempe dum in infidelitate Epheſii verſarentur) *nunc autem lux in Domino*: quia bona moraliter opera, ſi quæ forte Epheſii tunc ederent, „ infidelitatis tenebras non depellebant. „ Hæc ille.

XLIV. Dixi, perperam addi: *Et infideli*: quia in neutra propoſitione agitur ſpecialiter & reſtricte de infideli, ſed de quocumque mortaliter delinquente. De prima id conſtat ex terminis iſtis: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit &c.* Gratia non amittitur, niſi prius habeatur: nec haberi poteſt, niſi per fidem. Gratia amittitur quocumque mortali, ſed non incurritur ſimiliter infidelitas. Secunda vero propoſitio de illis quidem agit qui ſunt *ſine Dei lumine*,

ſine

ſine Chriſto, inſuper tamen addit etiam eos, qui ſunt *ſine charitate*: ac de omnibus illis dicit, aliud non eſſe, *niſi tenebræ & aberratio*, *& niſi peccatum*: cur ergo reſtringit propoſitiones, de ſe vagas & univerſales, ad ſolos infideles? Nimirum, ſine hac reſtrictione, non poterat eas dictô Pauli Epheſiis (quibus jam dixerat: ***Eratis illo tempore ſine Chriſto, alienati a converſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & SINE DEO in hoc mundo***) ſcribentis: ***Eratis aliquando tenebræ***, juſtificare? Quid enim, ſi idololatræ tenebræ dicuntur, an propterea omnis peccator *tenebræ* dicendus eſt? Minime. In peccante mortaliter, & amittente gratiam ſanctificantem, poteſt manere fides, quæ lumen eſt, poteſt ſpes ſuperare de divina miſericordia; quibus excitetur homo ad laborandum contra vitia, adorandum pro perfecta ſui ipſius converſione, ad peccata ſua eleemoſynis, juxta Danielis conſilium, aliiſque pœnitentiæ operibus redimenda. Non ergo tenebræ dici poteſt, eo ſenſu, quo Apoſtolus Epheſios tenebras *fuiſſe* ſcribebat: At enim Queſnellus de quocumque peccatore effutiit, quod Paulus de idololatris ſcripſit. Qua ergo veri ſpecie dici potuit, propoſitiones illas apertam veritatem a Paulo prædicatam continere? Paulus non dubitat de Epheſiis ſcribere, ***Nunc autem lux in Domino***. Sciebat forte Paulus omnes illos peccato mortali liberos eſse? Audi quid dicat. ***Si tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Jeſu, deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ &c.*** Hoc tamen non

Cap. 2. v. 12.

Cap. 4. v. 24.

Cap. 4. v. 21.

non obſtante dubio, minime dubitat eos compellare nomine lucis: *Nunc autem lux in Domino*. Hoc ergo dixit ratione fidei in Deum & Chriſtum ejus, quæ eis annunciata fuerat, quæ lux eſt, quæ dat poteſtatem filios Dei fieri. Jam vero Queſnello, etiam fideles, qui Deum ejuſque gratiam mortaliter delinquendo amisêre, *quid aliud eſſe poſſunt niſi tenebræ, aberratio, & niſi peccatum?* Quid illis remanere poteſt *niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt GENERALIS IMPOTENTIA AD OMNE OPUS BONUM*, nedum ad amiſſam gratiam ſalutari pœnitentia recuperandam.

XLV. Sed Paulus, inquit *Theol. ſuppl.* dicebat Epheſios tenebras fuiſſe, *quia bona moraliter opera, ſi quæ forte Epheſii tunc ederent, infidelitatis tenebras non depellebant*: ex quo ſubintelligendum relinquit, quemcumque peccatorem, recte tenebras vocari, quia ſimiliter opera ejus moraliter bona, ſi quæ forte edat, peccati tenebras non depellunt. Sed hæc gloſſa, præterquam a mente Pauli longius abſcedat, nova aperit motiva, ob quæ juſtiſſimè, Queſnellianæ Theſes damnatæ ſunt. Abſcedit a mente Pauli; quia ſi propterea dicat eos tenebras fuiſſe, quod opera eorum *moraliter bona*, non valerent tenebras infidelitatis diſpellere, debuiſſet eos etiam tum tenebras, aut ſaltem non tam aſſeveranter lucem appellare in Domino, de quibus dubitabat, an edocti eſſent *deponere ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem*: quo non depoſito, non poterant eorum opera *moraliter bona* tenebras peccatorum depellere. Tenebras ergo debebat dicere eos eſſe; aut ſaltem dubitare ſi tenebræ aut lux

lux compellandi forent, ſecundum illam gloſſam: quod cum non fecerit, ſed abſolute, *Nunc autem Lux in Domino* dixerit, manifeſtum eſt gloſſam illam præter mentem eſſe Apoſtoli. Deinde, an quilibet peccator fidelis, nihilo plus quam Epheſii in infidelitate verſantes, poteſt efficere? Ergo vel perduntur omnes habitus ſupernaturales, quolibet peccato; vel nullus eorum habet aliquem actum ſine charitate, quæ meritiſſime damnata eſſe, nemo catholicus diffitetur. Adde quod gloſſa illa admittat in infidelibus *opera moraliter bona*: at propoſitiones Queſnellianæ in quolibet peccatore generalem impotentiam ad laborem, ad orationem, ad OMNE OPUS BONUM; nihil niſi tenebras, aberrationes, nihil niſi peccatum admittunt: ex quibus conſequens eſt, omnia cujuſcumque peccatoris opera, veri nominis peccata eſſe, quod erroneum & in Bajo damnatum eſſe Auctor *Theol. ſuppl.* ultro fatetur. Pag. 148.

XLVI. Igitur advocatus vel patrocinator clientem ſuum hîc turpiter prodit, ſuggerendo nobis motiva, ob quæ juſtiſſimè oſtenditur eſſe condemnatus & condemnandus ab omni Romano-Catholico: ſcilicet, quia revocat errores in Bajo condemnatos, de operibus infidelium, quod peccata ſint: quia privat omni actu habitus ſupernaturales fidei & ſpei, dum ſunt a charitate ſeparati: melius dicam: quia non obſcurè docet omnes ſupernaturales virtutes, fidem, ſpem, charitatem quolibet peccato mortali amitti, quod eſt a Tridentino anathemate damnatum. Seſſ. 6. can. 24. Hæc fors eſt advocatorum malarum cauſarum, ut oleum & operam perdant, & clientes non ſublevent. An deerant juſtæ cauſæ, quibus operas ſuas addiceret?

Cur non potius Eccleſiæ, matris ſuæ, quæ eum genuit, lactavit, nutrivit, cauſam contra petulantia novaturientium ingenia aſſumpſit defendendam? Deus det mentem meliorem. Sed ad Queſnellianas revertamur. Igitur, ſive propoſitiones has quoad actum ſumas; quatenus ſignificant, omnia opera peccatorum eſſe peccata; ſive quoad habitum, id eſt, quod peccator quilibet nullum habitum in bonum inclinantem ſibi retineat, eo ipſo quo Dei gratiam amiſit, qui ſenſus ſunt naturales & obvii harum propoſitionum, utraque vere damnabilis eſt, & merito a Clemente XI. nuperrimè, & olim a Tridentino; Pio V. Gregorioque XIII. in Bajo reſpectivè damnata. Sed eo de argumento plura in ſequentibus. Ad quæ priuſquam pergam, ut deſinant Queſnellum Auguſtini diſcipulum vocitare ejus aſſeclæ, addenda verba S. Patris, quibus error ille aperte damnatur.

Ep. 140. alias 120 num. 56. Ita Auguſtinus: *Quemadmodum in ipſis corporibus ea quæ inferiora ſunt, ſicut terra, & aqua, & ipſe aer, meliora fiunt participatione melioris, id eſt, cum luce illuminantur, & fervore vegetantur: ſic incorporeæ creaturæ rationales ipſius Creatoris fiunt participatione meliores; cum ei cohærent puriſſima & ſanctiſſima charitate: qua OMNI MODO ſi caruerint, tenebreſcunt & obdureſcunt QUODAM MODO*. Sed Queſnello non

Num. 57 ſunt *niſi tenebræ*. Pergit Auguſtinus: *Proinde INFIDELES homines tenebræ ſunt; qui per fidem converſi ad Deum, quadam præmiſſa illuminatione* (nota hìc rurſus damnari Queſnel. aſſerentem, fidem eſſe primam gratiam) *lux fiunt... Talibus enim dicit Apoſtolus Epheſ. 5. v. 8.* „Fuiſtis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino „

Ec-

Ecce rurſus ſoli infideles tenebræ ab Apoſtolo vocantur: Queſnellus id etiam de quolibet peccante mortaliter effutiit. Niſi velis, ſecundum ipſum, quolibet peccato mortali fidelem commutari in infidelem; quod etiam exiſtimo eum docuiſſe; verum ſic incidit in *can.* 28. *ſeſs.* 6. *Trid.* ut alias dictum eſt.

ſ. VIII.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Deus non coronat niſi charitatem: qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit. Eſt 55. Queſnell. 1. Cor. 9. v. 24.

Deus non remunerat niſi charitatem: quoniam charitas ſola Deum honorat. Eſt 56. Queſnell. Matt. 25. v. 36.

XLVII. Utraque propoſitio eſt bimembris, & utriuſque membrum primum, idem videtur aſſerere, re tamen ipſa nonnihil differt unum ab altero: nam in prima dicitur: *Deus non coronat*, in ſecunda: *Deus non remunerat niſi charitatem.* Porro corona videtur reſpicere præmium poſt hanc vitam dandum: ſicut corona militi non datur, niſi finita pugna, & obtenta victoria: retributio autem datur etiam ante victoriam, aut finem militiæ pugnæque. Cum igitur vita homins militia

ſit

ſit ſuper terram, mors autem hujus militiæ finis; corona apte ſignificat præmium poſt hanc vitam, retributio, in hac vita dandum: dicente S. Gre-
Hom.17. in Evang. gor. *Conſiderandum eſt, quod uni noſtro operi duæ mercedes debentur, una in via, altera in patria. Una, quæ nos in labore ſuſtentat: alia, quæ nos in reſurrectione remunerat.* Ad hoc non immerito alluſiſſe putatur Queſnellus; ut neque in hac, neque in altera vita, Deus aliquid rependere ſignificetur, niſi unice charitati: unde dixit: *Deus non coronat*, ideſt, in altera vita, *niſi charitatem*: & iterum: *Deus non remunerat*, in hac vita, *niſi charitatem*. Quidquid tamen ſit de ejus interna mente: ſatis nobis eſt, quod propoſitiones ipſæ diligenter expenſæ, & in propria verborum ſignificatione acceptæ, illud ſignificent.

XLVIII. Ambo autem hi ſenſus manifeſte repugnant Scripturæ. Nam & Deum remunerare in hac vita opera quædam, non ex charitate ſtrictè dicta facta, & coronam quandam dare in altera vita, nedum charitati, ſed aliis quoque virtutibus, plus quam clare nobis Sacræ indicant
Lib.contra mendac. c.15 Paginæ. Sic, notante S. Auguſt. *Scriptum eſt, bene Deum feciſſe cum hebræis obſtetricibus, & cum Rahab Hierichuntina meretrice... quia in homines Dei miſericordes fuerunt*. Sic de Nabuchodono-
Jer.26. a v.5. ſore dicitur: *Ego feci terram.... & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis: ſervi mei &c.* De corona autem poſt hanc vitam conſtat, tum quod Exodi 25. dicitur in figura: *Facies & alteram coronam aureolam*, ubi gloſſa ordin. dicit: *Ad coronam pertinet canticum novum, quod Virgines tantum coram Agno*

con-

concinunt : & ſimiliter ſtatuuntur aureolæ pro Doctoribus & Martyribus: falſum ergo eſt, Deum non coronare niſi charitatem in altera vita. Sed his non eſt diutius immorandum, cum ipſe Auctor *Theol. ſuppl.* fateatur : ***Prima pars utriuſque propoſitionis, ſic accepta, quod nullus omnino ſit aliarum virtutum valor, fructus nullus, præmium nullum, erronea eſt. Suum enim unicuique virtuti præmium adpromiſit Deus*** . At hunc eſſe verum ſenſum propoſitionum confixarum, vel inde ineluctabiliter conſtat, quod, ut in ſubſequentibus videbitur, juxta doctrinam Queſnelli, nullum opus cujuſcumque virtutis, abſque charitate ſtricte dicta factum, eſt remuneratione aut præmio dignum; ſed econtra pœna, & damnatione : quia videlicet eſt veri nominis peccatum, juxta Queſnellum, omne qualecumque opus, non ex charitate ſtricte dicta factum : quod, uti dixi, in ſubſequentibus, ſole clarius oſtendetur. Pag. 119.

XLIX. Fatendum tamen eſt, nullius virtutis actum, niſi charitate informetur, valere ***immediate*** ad vitam æternam conſequendam: at, ſine hac valere poteſt ad retributionem temporalem; uti exemplis adductis de obſtetricibus, Rahab, Nabuchodonoſore probatum eſt; quibus adde Ninivitas, qui operibus pœnitentiæ deprecati ſunt urbis ſuæ excidium, a Jona prænuntiatum: tum etiam ***mediatè*** ad vitam æternam; quatenus mediis actibus cæterarum virtutum, perveniri poteſt ad charitatem, quâ demum vitam æternam mereamur. Patet hoc & ex Tridentino deſcribente variarum virtutum actûs, puta, fidei, timoris, ſpei, quibus infideles paulatim diſponuntur ad juſtitiam, ſanctitatem, charitatem : tum Seſſ. 6. cap. 6.

ex

ex Sacris Litteris : *Eccl.1.v.16. Initium ſapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vulva concreatus eſt. v.27. Timor Domini expellit peccatum. v.28. Nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari = Ad Hebr.11. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum &c. Ad Rom. 8. v. 24. Spe enim ſalvi facti ſumus.* Falſa eſt ergo, & erronea ſecunda pars propoſitionis primæ, dicens : *Qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.* An in vanum cucurrit
Hebr.11 v.26. Moyſes, qui, Apoſtolo teſte : *Aſpiciebat in remunerationem?* An in vanum cucurrerunt Ninivitæ, pœnitentiam agentes, timore perculſi? An in vanum cucurrit David dum mandata Dei ſervabat, *propter retributionem*? An in vanum currebant uterque Tobias, *cap. 2. Vitam illam expectamus, quam daturus eſt Deus iis, qui fidem ſuam non mutant ab illo?* An Chriſtus docuit in vanum currere, dum ſuos ita inſtruebat : *Oſtendam quem*
Luc. 12. *timeatis : timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam; ita dico vobis hunc timete?* Unde Auguſt. *Time tamen, ut iſta formi-*
Serm.18. de verb. Domin. cap.18. *do cuſtodiat te; & PERDUCAT AD DILECTIONEM.*

L. Non ergo in vanum currunt, quicumque ex alio (dummodo bono) quam charitatis motivo currunt; ſed vel in hac vita remunerationem accipient aliquam : vel, ſi ita currant, ut ad charitatem perveniant, etiam coronam in altera obtinebunt : ſicque mediante charitate, etiam cæterarum virtutum actus conducunt ad vitam æternam. Hinc patet etiam falſitas ſecundæ partis Theſis ſecundæ : *Quoniam charitas ſola Deum honorat* : ſi enim Deus remunerat alias virtutes, cer-

certius eſt quam ut probari debeat, eum aliis quoque virtutibus honorari. Et quidni honoraretur Deus aliis virtutibus? *Honor*, inquit S. T. *eſt quædā proteſtatio de excellentia bonitatis alicujus.... ſemper debetur alicui propter aliquam excellentiam vel ſuperioritatem*: at vero qui credit Deo, proteſtatur Deum eſſe ſummam veritatem, falli, & fallere neſciam. Qui ſperat in Deo, proteſtatur Deum eſſe ſumme potentem, fidelem, beneficum. Qui timet Deum, proteſtatur Deum eſſe ſumme juſtum, & habere poteſtatem etiam poſt hanc vitam: honorant ergo Deum, & retribuetur eis. Sic *Abraham credidit Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam. Gen.* 15. *Timete Deum & date illi honorem. Apoc.* 14. = *Eccli.* 2. v. 6. *Crede Deo, & recuperabit te: & dirige viam tuam, & ſpera in illum. Serva timorem illius, & in illo veteraſce*. v. 8. *Qui timetis Dominum credite illi, & non evacuabitur merces veſtra*. v. 9. *Qui timetis Dominum ſperate in illum: & in oblectationem veniet vobis miſericordia*. v. 10. *Qui timetis Dominum diligite illum: & illuminabuntur corda veſtra* v. 11. *Reſpicite filii nationes hominum: & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino & confuſus eſt*. Quæ ſola ſufficerent ad utramque propoſitionem evertendam. 2. 2. qu. 103. ar. 2.

LI. Quod ſi quis reſpondeat, illis S. Scripturæ locis, agi de fide, ſpe, timore, non ſeparatis a charitate; reſponſio non longe quærenda eſt, cum ipſa Queſnelli principia ſtatim eam ſubminiſtrent. Nonne enim juxta ipſum charitas, tempore veteris fœderis, erat rara illa avis in terris, albo ſimillima corvo? Relinquebat, inquit ipſe *propp.* 6. & 7., Deus homines in veteri fœdere in ſua infirmitate, in ſua impotentia, imponendo eis

nihilominus ſuam legem : & tamen exhortationes illæ omnes dirigebantur proxime ad homines ſub fœdere illo exiſtentes. Et nonne infinita alia loca ſunt in Scripturis (ne de ſenſu harum diſputando, fruſtra oleum & operam perdamus) e quibus patet innumeros ex alio impulſu, quam charitatis cucurriſſe, nec tamen in vanum cucurriſſe, Deo curſum illorum, utcumque remunerante? vide ſequentem §. & dicta *num.* 49.

LII. Hic vero prætereundum non eſt, quam Queſnellus, docendo, quod Deus nihil remunerat niſi charitatem &c. receſſerit ab Auguſtino longiſſime; nec receſſerit tantum, ſed eidem etiam fortiſſimum telum, quo Maſſilienſes confodit, extorqueat. Docebant Maſſilienſes, teſte Hilario: *Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipſa jam valeat*. Et poſtea: *Cum autem dicitur eis, quare aliis Dei veritas prædicetur vel non prædicetur? ... dicunt id præſcientiæ eſſe divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, quando & ubi pranoſcebatur eſſe credenda*. His & ſimilibus dictis, putabant Maſſilenſes evitari omne meritum reſpectu gratiæ, hancque nihilominus gratis dari, etſi quædam bona voluntas, tenue quoddam fidei initium præcederet, quod tamen ad conſequendam gratiam condignitatem non haberet. Quid ad hæc Auguſtinus? Reſpondet: *Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divinâ, ac per hoc gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari*. Et aliquibus interpoſitis: *Videte ſi aliud agitur iſto modo, niſi ut gratia Dei ſecundum me-*

Epiſt. ad Auguſt.

De Præd. SS. cap. 2.

merita noſtra detur, quolibet modo, ac ſic gratia jam non ſit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis: Debetur enim credenti, ut a Domino ipſa fides augeatur, & ſit merces fidei cœptæ fides aucta: nec attenditur, cum hoc dicitur, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum iſtam mercedem credentibus imputari. Hæc Auguſtinus. At Queſnellus negat omne meritum, negat quidquam deberi, niſi operibus ex charitate Theologica factis. Male igitur argumentatus eſt Auguſtinus (quod abſit): imo triumphant de Auguſtino Maſſilienſes, qui cum non ponerent niſi tenue quoddam fidei initium, ex puris naturalibus profectum, adeoque non ex charitate Theologica, nullum, juxta Queſnellum, ſtatuebant meritum; ſalvabantque, fidem, gratiam, charitatem, cæteraſque quæ connectuntur virtutes, gratis a Deo hominibus dari. Ecce quo tendant Queſnelliana dogmata! Ad ſubvertenda ſcilicet Auguſtinianæ Theologiæ principia; ad eripiendas Auguſtino de triumphatis Pelagianis ac Semipelagianis (ſi ſuperis placet) palmas: ad erigenda Maſſilienſibus, ob victum Auguſtinum trophæa. Dicendum eſt ergo, juxta S. Auguſtini principia, opera virtutis cujuſcumque, etiam independenter a gratia habituali, & charitate Theologica, poſſe aliquid a Deo, ſi non de condigno, ſaltem de congruo obtinere: falſaſque eſſe, ex Auguſtini principiis, binas illas theſes Queſnellianas; non minus ac duas ſequentes.

§. IX.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi Spiritus charitatis non eſt ille qui clamat. Eſt 50. Queſnell. Rom. 8. v. 15.
Sola charitas eſt quæ Deo loquitur; eam ſolam Deus audit. Eſt. 54. Queſnell. 1. cor. 13. v. 1.

LIII. Ambas has propoſitiones egregiè S. Thomas confutavit *Suppl. q.* 14. *art.* 4. ubi ex profeſſo inquirit: *Utrum opera extra charitatem facta, ſint alicujus boni meritoria?* Quod idem in ſubſtantia eſt, ac; An Deo loqui, ita ut ab ipſo audiamur, ſine charitate poſſimus? Reſolvit quæſtionem hanc Angelicus modo qui ſequitur., „ Dicendum, quod meritum propriè dicitur actio, „ quâ efficitur, ut ei qui agit, ſit juſtum aliquid „ dari. Sed juſtitia dupliciter dicitur. Uno modo propriè, quæ ſcilicet reſpicit debitum ex „ parte accipientis. Alio modo quaſi ſimilitudinariè, quæ ſcilicet reſpicit debitum ex parte „ dantis: aliquid enim decet dantem dare, quod „ tamen non habet recipiens debitum recipiendi; „ & ſic juſtitia dicitur decentia divinæ bonitatis, „ ſicut Anſelmus dicit: *Quod Deus juſtus eſt, cum peccatoribus parcit: quia eum decet*. Et ſecundum hoc etiam meritum dupliciter dicitur. „ Uno modo actus ille per quem efficitur, ut ipſe „ agens

In Proſologio ca. 10.

„ agens habeat debitum recipiendi; & hoc vocatur *meritum condigni*. Alio modo, ille per „ quem efficitur, ut ſit debitum dandi in dante, „ ſecundum decentiam ipſius: & ideo hoc meritum vocatur, *meritum congrui*. Cum autem in „ omnibus illis quæ gratis dantur, prima ratio „ dandi ſit amor, impoſſibile eſt, quod aliquis „ *propriè* ſibi debitum faciat, qui amicitiâ caret: „ & ideo, cum omnia & temporalia & æterna, ex „ divina liberalitate nobis donentur, nullus acquirere poteſt debitum recipiendi aliquod illorum, niſi per charitatem ad Deum: & ideo „ opera, extra charitatem facta, non ſunt meritoria *ex condigno*, neque æterni, neque temporalis alicujus boni, apud Deum. Sed quia „ divinam bonitatem decet, ut ubicumque diſpoſitionem invenit, perfectionem adjiciat; ideo „ *merito congrui* dicitur aliquis mereri aliquod „ bonum, per opera bona, EXTRA CHARITATEM FACTA: & ſecundum hoc opera iſta ad triplex bonum valent: ſcilicet, *ad temporalium conſecutionem*, *ad diſpoſitionem ad gratiam*, *& aſſuefactionem bonorum operum*. „ Quia tamen hoc meritum non proprie dicitur „ meritum, ideo *MAGIS* concedendum eſt, „ quod hujuſmodi opera non ſint alicujus boni „ meritoria, quam quod ſint.„ Huc uſque Angelus Scholæ; quem dum habemus, Sanctorum Patrum agmen univerſum pro nobis ſtare dubitandum haud eſt: cum ſit ipſe aliud nihil, præterquam Sanctorum Patrum omnium, pretioſiſſimum compendium.

LIV. Ex doctrina hic tradita ſolvit S. Thomas quatuor argumenta. Duo prima aſſerit pro-

bare quoddam meritum *congrui* in operibus extra charitatem factis. Poſteriora duo, quæ vocari ſolent, *Sed contra*, quorum primum ex Auguſtino dicente: *Quod peccator non eſt dignus pane quo veſcitur*, ſolvit dicendo: ea procedere de merito *condigni*. Liquet ergo ex Angelico, quod extra charitatem exiſtentes, Deo ſic loqui poſſumus, ut audiamur; quinimo, ut aliqualiter mereamur.

LV. Idem omnino infinitis locis docuerat Auguſtinus. Sufficiat hic adducere duo loca: primum ex *lib. de grat. Chri. cap.* 26. ubi ait: „ Etſi „ enim Dei mandatum videtur aliquando, non „ a diligentibus, ſed a timentibus fieri; tamen „ ubi non eſt dilectio, nullum *bonum opus imputatur*, nec recte (id eſt undequaque) bonum „ opus vocatur: quia, *Omne quod non ex fide eſt,*
Rom. 14. 23. „ *peccatum eſt*: Et, *Fides per dilectionem operatur.*
Gal. 5. v. 6. „ Ac per hoc gratiam Dei, quâ *charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, ſic confiteatur qui „ vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni, „ ſine illa, *Quod ad pietatem pertinet veramque* „ *juſtitiam*, fieri poſſe non dubitet. „ Viden' nullum eſſe meritum condigni, ad veram ſpectans juſtitiam, ſine charitate? Adde jam ex *lib. de corrept. & grat. cap.* 2. *Quando autem non agunt, ſive omnino non faciendo, ſive non ex charitate faciendo; ORENT, ut quod nondum habent, accipiant*. Poteſt ergo Deo loqui, & ab eo charitatem obtinere, audiente Deo orationem illius, etiam qui charitate caret. Hinc *De perf. juſt. cap.* 10. poſtquam probaſſet præcepta Dei gravia non eſſe, quando diligendo fiunt, non timendo, ſubdit: *Nec tamen cum ea gravia ſentit* (homo) *deſperando franga-*

gatur : ſed ad quærendum , petendum , pulſandumque COGATUR. Sed quid cogere hominem charitate vacuum ad pulſandum, petendum, quærendum, ſi Deus preces ejus non audit? Audit ergo juxta Auguſtinum, Deus preces ejus, qui charitatem nondum habet: & ita audit ut aperiat, ut det quod petitur, ut inveniatur quod quæritur: haud dubie, quia etſi homo iſte dignus non ſit qui quod petit accipiat; decet tamen Deum peccatorem audire: ut loquitur S. Thomas loc. cit. poſt Anſelmum.

LVI. Nec prætermittenda eſt duplex charitatis acceptio vulgata in Auguſtino, ac aliis SS. PP. Sic *De doctr. Chriſt. lib. 3. cap.* 10. *Charitatem*, inquit Auguſt. *etiam voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum; & ſe & proximum propter Deum.* At vero *Tract. 26. in Joannem*, explicans verba illa *Joan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, ait: *Nolite cogitare invitum trahi: trahitur animus & amore. Porro ſi Poëtæ dicere licuit*: Trahit ſua quemque voluptas .... *quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitiâ, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt.* Et alibi: *Nihil eſt aliud bona voluntas, quam charitas.* Addè duplicem impulſum Spiritus Sancti, aut *moventis* tantum: aut etiam *inhabitantis*: ex Trid. *Seſs.* 14. *cap.* 4. Ex his commune dogma procedit, nimirum: ut opus aliquod ſit proprie & *de condigno* meritorium, debet procedere ex charitate ſtricte dicta, quæ virtus Theologica eſt: ut autem aliquid meritorium ſit impropriè, ſeu *de congruo*, ut aïmus in Schola, ſufficere ut procedat ex charitate

late dicta, ſeu bona voluntate: aut ſi mavis, ex amore veritatis, beatitudinis, juſtitiæ, ſempiternæ vitæ, aut cujuſcumque demum virtutis: vel ex impulſu Spiritus Sancti, non inhabitantis, ſed moventis tantum, quo homo adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Quæ ſi præ oculis habeantut, faciliimum fuerit explicare SS. PP. loca, quæ multa coacervat *Theologia ſupplex*, oſtenſura SS. Patres, quoad ſyllabas ſaltem & voces, Queſnellianis haud diſſimilia propoſitionibus, in libris ſuis ad nos tranſmiſiſſe.

LVII. Sed quantum conveniunt verbis & ſyllabis, tantundem & amplius diſtant ſenſu atque ſententia. Fatetur id implicitè Auctor ille, dū ait *Auguſtinum ſcilicet de charitate generatim accepta* Pag. 136. *dixiſſe*. *Clementem* (errores damnantem Queſnelli) *de charitate ad certam ſpeciem tracta pronunciaſſe: hoc eſt, ut clarius dicam*, proſequitur idem, *docuiſſe frequentiſſime Auguſtinum, ſolam charitatem Deum colere, Deo loqui, ad Deum de corde clamare, actiones chriſtianas facere modo chriſtiano; qualiſcumque tandem charitas illa ſit, perfecta an imperfecta, naſcens an dominans, actualis an habitualis, prima veri boni dilectio, an plena Theologica virtus: Clementem vero diſtrictâ cenſurâ negaſſe, id ſolam facere charitatem quæ plena, quæ perfecta, quæ dominans ſit, virtuſque Theologica: cum id & altera charitas, imperfectiori tamen modo, faciat*. Hactenus ille. Quibus quidem verbis *implicite*, ut dixi, agnoſcit SS. PP. aliud docuiſſe, aliud Queſnellum: attamen dum fingit ſe clarius velle loqui, *ut clarius dicam*, inquiens, omnia confundit; charitatem generatim acceptam, id eſt bonam quamcumque voluntatem, pro prima, actuali, naſcen-

ſcente charitate accipiendo:cum hæc ejuſdem ſpeciei ſit cũ *dominante, habituali & plena Theologica virtute*:ſicut *infans dierum,& puer centum annorum*, Iſa. 65. v.20.
maxime juxta Queſnellũ; qui nonniſi duos admittit amores; bonum & malum. Ubi charitas generatim ſumpta a SS.PP.,præſertim Auguſtino,ſpecie ab hac differt; puta, amor veritatis, beatitudinis, juſtitiæ, æternæ vitæ; qui eſt charitas late & generatim dicta; differt a ſtrictè dicta; id eſt amore Dei propter ſe: ſive ſit naſcens, actualis, primus ſive dominans, habitualis & plena Theologica virtus. Senſus ergo SS. Patrum eſt, charitatem late dictam, id eſt, cujuſcumque boni honeſti deſiderium; dummodo in malum finem non ſit retortum; eſſe vocem, quâ Deo loqui licet, quamque ipſe audit. Sed Queſnellus? De ejus ſenſu altum ſilet, & omnia poſtquam confudit, petit, quem ſenſum Clemens XI. damnaverit? Dico ergo Clementem XI. damnaſſe ſenſum Queſnelli, id eſt, ſolam ſtrictè dictam charitatem, ſive naſcentem, actualem, primam; ſive dominantem, habitualem aut perfectam, vocem eſſe quâ Deo loqui poſſumus, ſolam a Deo illam audiri: cæteras vero operationes noſtras in quodlibet ferantur objectum, non ſolum non audiri; quin & veri nominis peccata eſſe, & reputari. An hæc docuêre SS.Patres? Immo Lutherus, Calvinus, Bajus, Janſeniuſque; ſeu Auguſtinus Hollandus, non Africanus.

LVIII. Si hæc ſibi probari poſtulet, adeat §. ſequentem: ad quem priuſquam accedamus; cum ipſe Auctor *Theol. ſuppl.* aliquando, etſi injurioſe, conqueratur, delatores Queſnellianarum, aliquas truncaſſe; liceat ab ipſo petere, cur hîc truncaverit propoſitionem 54. *pag.* 133. ſolum rese-

referendo primam ejus partem, ſcilicet: *ſola charitas eſt quæ Deo loquitur*, omiſſis illis: *Eam ſolam Deus audit*? An quod illa non extent in libro Queſnelli? Lego tamen in *Edit. Pariſien.* 1693. 1. *Cor.* 13. *v.* 1. *La charité eſt la langue du coeur. C'eſt elle ſeule que Dieu entend.* Lego in verſione latina *Edit.* 1695. quæ editioni Gallicæ anni 1694. conformis eſſe poſtea probabitur, lego inquam *loc. cit. Charitas lingua cordis eſt: hanc ſolam Deus intelligit.* Cur ergo hæc ſuppreſſit, ipſe, qui Romanis cenſoribus truncationem, mutilationem audet exprobrare? Quam belle hic quadrarent verſus illi ſatyrici poëtæ, quos Serrius pridem intorquebat in Car. Gaſpar. Metzenium, Academiæ Trevirenſis Syndicum,

Juven. in Satyr.

> *Loripedem rectus derideat, æthiopem albus.*
> *Quis tulerit Gracchos, de ſeditione querentes?*
> *Quis cælum terris non miſceat, & mare cælo,*
> *Si fur diſpliceat Verri, ſi homicida Miloni?*

Quam belle, inquam, quadrarent iſta, ſiquidem delatores propoſitionem Queſnelli aliquas vere truncaſſent: at modo, dicam cum Horatio Satyra 3. . . . . *Heus tu,*

> . . . . . *ignoras te? An ut ignotum, dare nobis*
> *Verba putas? Egomet mi ignoſco, Mænius inquit-*
> *Stultus & improbus hic amor eſt, dignuſque notari.*

Sed dicat, obſecro, cur iſta ultima prætermiſit verba? An quod infinita ſint Scripturæ S. loca quæ ſole clarius oſtendunt, Deum non unam charitatem audire? *Gen.* 16. *v.* 11. Angelus ad Agar *Vocabiſque nomen ejus Iſmael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam* = 1. *Reg.* 9. *v.* 16. *Sal-*

va-

vabit populum meum de manu Philiſtinorum: quia reſpexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. = 4. Reg. 13. v. 4. Deprecatus eſt autem Joachaz faciem Domini, & audivit eum Dominus: vidit enim anguſtias Iſrael, quia attriverat eos rex Syriæ = Pſal. 105. v. 44. Et vidit cum tribularentur, & audivit orationem eorum = Jonæ 3. v. 9. Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat Deus: & revertatur a furore iræ ſuæ & non peribimus. Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus &c.

LIX. Hæc teſtimonia clariſſime oſtendunt, Deum non unam charitatem, etſi hujus vox ei gratiſſima ſit, audire & intelligere, quod Queſnellus negat. Igitur, quamquam ſuſpicio eſſe poſſit minime temeraria, alteram propoſitionis partem ſtudio omiſſam: malo tamen credere omnia fide bona facta fuiſſe: quod ſi vere ita eſt, rogo, obſecro, & obteſtor per quidquid auctori illi chariſſimum eſt, ut ſententias illas Sacræ Scripturæ integras expendere, & diligenter ſcrutari velit, eiſque damnatos Queſnelli articulos contraponere; patebit clarè quantum ille ab iſtis receſſerit; quamque indignum ſe, ab illis recedendo, reddiderit, cui ullus auxilium qualecumque patrociniumve præſtet. Cum Queſnellus, id unicè velit, orationes noſtras, ut bonæ ſint, & peccato vacuæ, & quidpiam a Deo obtinere valeant, nedum ut meritoriæ ſint vitæ æternæ, a Spiritu Sancto animam ſanctificante, ſive a Theologica charitate procedere omnino debere. Et ne dicat S. Auguſtinum ita Scripturas intellexiſſe, unum ſolum in præſenti locum, ſeu textum repetam, quo conſtet clamorem noſtrum juxta Auguſtinum,

num, etſi non ex ſtrictè dicta charitate procedat; exaudiri a Deo. Expendantur ſequentia ex *c. 2. de corr. & grat. Quando autem non agunt, ſive omnino non faciendo, ſive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant*. Ad quid enim Auguſtinus vult nos orare ſine charitate; ſi Deus nonniſi charitatem audit?

Pag. 134. LX. Objicit *Theol. ſuppl.* Auguſtinum dicentem *ſerm. 7. cap. 17. Nos clamamus, ſed in illo, id eſt, in ipſo diffundente charitatem in cordibus noſtris; ſine quo inaniter clamat, quicumque clamat. Tract. 74. in Joan. Nemo dicit, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto, & nemo ſic dicit, niſi qui diligit. Enarr. in pſ. 37. Tacebis ſi amare deſtiteris. Cap. 17. Lib. de moribus Eccle. Amore petitur, amore quæritur, amore pulſatur*. Sed hæc leviuſcula ſunt, & ab ipſo objiciente, æque ac a nobis, ſolvenda: cum jam oſtenſum ſit, Auguſtinum velle, ut oret is qui charitatem non habet, ut eam accipiat. Et quomodo orabit & petet, ſi amor Dei, ſive charitas eſt *unica* cordis lingua? Dicamus ergo oportet, charitatem cordis eſſe linguam, ſed non unicam; ſunt & aliæ cordis linguæ: amor veritatis, amor juſtitiæ, amor ſempiternæ vitæ, beatitudinis &c. afflictio, tribulatio, tentatio, pericula imminentia; cient ſæpe voces Deo non ingratas, ut *pſal. 106.* legere poteſt: ubi ad quatuor vices repetitur: *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*; & illico ſubjungitur: *Et de neceſſitatibus eorum eripuit eos: Et de neceſſitatibus eorum liberavit eos: Et de neceſſitatibus eorum eduxit eos*. Non latuit hoc Auguſt., quapropter, loco ult. objecto, non dicit, ſolo amore Dei petitur, ſolo amore Dei quæritur, ſola charitate pulſatur: ſed ſimpli-

pliciter, *amore petitur &c.* quod ſicut nemo negat, ita nihil ſolatii Queſnello adferre poteſt. Sed, *Tacebis ſi amare deſtiteris*. Id etiam verum agnoſco, ſi nihil aliud ſit quod vocem extundat. Niſi forte diſcipuli, dum navicula operiretur fluctibus, ex charitate erga Deum clamaverint, Salvatorem excitando: *Domine, ſalva nos, perimus*: & tamen clamorem illum exaudivit Jeſus, imperando ventis & mari: aut illi etiam, de quibus ex *pſ.* 106. jam aliquid præmiſimus, ex charitate erga Deum clamaverint. Nec hoc latuit Auguſtinum: quamobrem non dixit, tacebis, ſi charitate Deum amare deſtiteris; ſed ſimpliciter, *ſi amare deſtiteris*: ſicque ſolutæ manent duæ poſtremæ Auguſtini ſententiæ, & debitæ explicatæ. Superſunt duæ primæ; quarum primam non attente legit; alteram mutilavit: *Nos clamamus*, inquit Auguſtinus, *Sed in illo, id eſt, in ipſo diffundente charitatem in cordibus noſtris, SINE QVO inaniter clamat, quicumque clamat*. Nota, *ſine quo*: non dixit, *ſine qua*, ſed, *ſine quo*; Quid ergo hic pro Queſnello, ſecundum quem dicere debuiſſet Auguſtinus, *ſine qua*, nempe charitate, *inaniter clamat, quicumque clamat?* Aſt non dixit ita Magnus Auguſtinus: ſed *ſine quo*, quod omnes agnoſcimus, humiliter precantes cum Eccleſia Sancta Dei

Matt. 8.

Sine tuo Numine
Nihil eſt in homine,
Nihil eſt innoxium.

In Hym. de Sanct. Spir.

Hoc ſenſu etiam dixit Auguſtinus *Epiſt.* 140. *alias* 120. *cap.* 13. *in fine*: *Si tu deſeris*, Domine, *quæ hominis virtus? Quid eſt homo, niſi quod memor es ejus?* Supereſt ſententia deſumpta ex *Tract.* 74. *in*

in Joan. Nemo dicit Dominus Jeſus &c. ſed illa eſt mutilata; unde non facit ſenſum, niſi addatur, vel ſubintelligatur, *ſi eo modo dicit, quo Apoſtolus intelligi voluit*: quæ ſunt reſtrictiva præcedentium; nec prætermiſſa ab Auguſtino.

ſ. X.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones omnes, & actiones noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipſos, ac mundum diligimus: qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus. Eſt 44. Queſnell. Joan. 5. v. 29.

Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat. Eſt 45. Queſnell. Luc. 15. v. 13.

Cupiditas aut charitas uſum ſenſuum bonum vel malum faciunt. Eſt 46. Queſnell. Matt. 5. v. 28.

Obedientia legis profluere debet ex fonte: & hic

& hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt quod apparet exterius: alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia. Eſt 47. Queſnell. Matt.23. v.26.

Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei. Eſt 49. Queſnell. Marc. 7. v.22. & 23.

LXI. Tametſi Auctor *Theologiæ ſupplicis* per diſtinctos paragraphos de his propoſitionibus tractet (quod non aſtutè, ſed bona fide factum ultrò ſuppono) eas tamen omnes ad unum paragraphum reducere neceſſarium duxi; & quia eandem concernunt materiam; & quia una aliam explicat, & quia in Bulla Clementina fere ſe mutuo ordine ſequuntur. Præcipue vero incumbendum mihi eſt ut oſtendam, juxta Queſnellum, ſolam ſtrictè dictam charitatem, operationes bonas producere: cæteras vero actiones noſtras omnes, quæ non ex hoc fonte dimanant, veri nominis peccata eſſe, & reputari. Hoc ubi oſtendero, adverſarius, ſi verbis ſuis ſtet, merito has, ac præcedenti §. diſcuſſas propoſitiones, juſteque damnatas eſſe, imo verò jam olim damnatas in Bajo, aliiſque novatoribus, lubens fatebitur.

LXII. Fatebor autem ego, actiones noſtras deliberatas niſi ex aliquo Dei amore, ſive propriè ſive impropriè dicto, id eſt, ex amore boni honeſti, aut virtutis naſcantur, malas eſſe. Ita enim bonum

num honeſtum, rationi per ſe conveniens, cum bono apparente, ac a ratione diſcordante imperium in actiones noſtras deliberatas dividunt, ut quaſcumque primum ſibi non vendicat, eas omnes poſterius bonum, apparens ſcilicet, imo peccatum ſibi omnino ſubjiciat. Nolo mihi quiſquam alterius ſcholæ catholicæ, qui actiones quaſdam deliberatas indifferentes admittunt, moleſtus ſit; in præſenti ab hac quæſtione ſuperſedendum, quò liquidius fluat argumentum, nec cogamur delabi ad quæſtionem, inter catholicos diſputatam. Incidens hæc quæſtio, ad caput rei, qua de agitur faciens nihil. Sive enim unum dicas, ſive aliud, æqualiter damnabilis eſt Queſnellus. Quin etiam quodammodo ſtringetur fortius, plurimæque ei SS. Patrum eripientur auctoritates, quibus ipſe, ejuſque aſſeclæ, damnatos errores, etſi perperam, conati fuerunt defendere. Sic Auguſtinus etiam cum Manichæis deprehenditur quandoque egiſſe, ut ipſe teſtatur *De dono perſev. c.* 11. Suppoſitâ ergo veritate ſententiæ negantis actiones deliberatas indifferentes, dico diviſum eſſe imperium in actiones noſtras deliberatas, inter virtutem ac vitium: ita, ut quidquid non ad virtutem, id ad vitium ſpectet. Atque id eſt quod S. Leo *ſerm.* 5. *de jejunio ſeptimi menſis cap.* 7. Sanctus Auguſtinus *Lib.* 9. *de Trinit. cap.* 7. *In Enchb. ad Laurentium cap.* 117. *Epiſt.* 155. *ad Macedon. Lib.* 4. *contra Julianum cap.* 3. locis ſcilicet citatis
Pag. 138. ab Auctore *Theologiæ ſupplicis* ſignificare voluiſſe videntur; dum ajunt, actiones noſtras bonas ex Dei amore, ita Gregorius, aut ex amore Creatoris, ita Auguſtinus, procedere debere; alias proceſſuras ex amore mundi, aut creaturæ, ma-

laſ-

laſque futuras: intelligendo nimirum per amorem Dei aut Creatoris, non quidem charitatem ſtricte dictam, quæ Theologica virtus ſit, & *plus diligit Deum*, etſi *minima* ſit, *quam cupiditas millia auri & argenti*, ut ait S. Thomas, ſed quamcumque voluntatem bonam; ſive ſit amor veritatis, juſtitiæ, miſericordiæ, pietatis &c. *quod totum Chriſtus eſt*, juxta Auguſt. cit. §. præcedenti; atque ob id, amor iſtarum virtutum, lato ſenſu, dici poteſt & dicitur a SS. Patribus, amor Dei, vel charitas; latè, ut dixi. Actiones vero in hujuſmodi objecta tendentes, dummodo in pravum finem detorta non ſint, veræ virtutis actus ſunt; licet non perfectæ; niſi dum ad perfectum bonum, id eſt Deum, referuntur.

3. q. 70. art. 4.

Pag. 311.

LXIII. Præſtat id explicantem audiamus Angelicum ex Auguſtino, 2. 2. *q.* 23. *art.* 7. cui titulus: *Utrum ſine charitate* (ſtrictè dicta ſcilicet, de qua ibi Angelicus) *poſſit eſſe aliqua vera virtus?* Accipe igitur reſolutionem Auguſtino-Angelicam. „ Dicendum, quod virtus ordi-„ natur ad bonum, ut ſupra habitum eſt. Bo-„ num autem principaliter eſt finis: nam ea quæ „ ſunt ad finem non dicuntur bona, niſi in ordi-„ ne ad finem. Sicut ergo duplex eſt finis; unus „ ultimus & alius proximus; ita etiam eſt duplex „ bonum, unum quidem ultimum & univerſale; „ & aliud proximum & particulare. Ultimum „ quidem & principale bonum hominis, eſt Dei „ fruitio: ſecundum illud *pſ.* 72. *Mihi autem ad-„ hærere Deo bonum eſt*: & ad hoc ordinatur ho-„ mo *per charitatem*. Bonum autem ſecunda-„ rium, & quaſi particulare hominis, poteſt eſſe „ duplex. Unum quidem quod eſt *verè bonum*,

1. 2. q. 55. art. 3.

„ utpote *ordinabile*, quantum eſt in ſe, ad prin„ cipale bonum, quod eſt ultimus finis. Aliud „ autem eſt bonum *apparens*, & non *verum*; quia „ abducit a finali bono. Sic ergo patet, quod „ virtus vera *ſimpliciter*, eſt illa, quæ ordinat „ ad principale bonum hominis, ſicut etiam Phi„ loſophus 8. *Ethic.* dicit, quod *virtus eſt diſpoſi„ tio perfecti ad optimum*. Et ſic (id eſt *ſimpliciter* „ loquendo) nulla vera virtus poteſt eſſe ſine „ charitate. Sed ſi accipiatur virtus ſecundum „ quod eſt in ordine ad aliquem finem particula„ rem, ſic poteſt aliqua virtus dici ſine charitate, „ inquantum ordinatur ad aliquod particulare „ bonum. Sed ſi illud particulare bonum non ſit „ *verum* bonum, ſed *apparens*, virtus etiam, quæ „ eſt in ordine ad hoc bonum, non erit *vera vir„ tus*, ſed falſa ſimilitudo virtutis: ſicut non eſt „ vera virtus avarorum prudentia, quâ excogi„ tant diverſa genera lucrorum: & avarorum ju„ ſtitia, quâ gravium damnorum metu, contem„ nunt aliena: & avarorum temperantia, quâ „ luxuriæ, quæ ſumptuoſa eſt, cohibent appe„ titum: & avarorum fortitudo, quâ, ut ait Ho„ ratius *lib.* 1. *Epiſt.*

„ *Per mare pauperiem fugiunt, per ſaxa, per ignes.*

„ Ut Auguſtinus dicit 4. *lib. contra Julian.* Si „ vero illud bonum particulare, ſit *verum bonum*, „ puta, conſervatio civitatis, vel aliquid hu„ juſmodi, erit quidem *vera virtus*, ſed imper„ fecta, niſi referatur ad finale & perfectum bo„ num: & ſecundum hoc, *ſimpliciter* vera virtus „ ſine charitate eſſe non poteſt. „

Ex quibus patet quod ſine charitate, ſive habituali, ſive actuali; licet non detur virtus vel actus ejuſ-

ejuſdem ſimpliciter, & omnibus numeris abſolutus; poſſit tamen dari virtus *vera*, & *veræ virtutis* actus, ſi modo ad malũ finem non referatur; ſed ſiſtatur in ipſa objecti honeſtate, ex parte operantis.

LXIV. Hoc confirmat S. Thomas in ſolutione primi ex Auguſtino. Prætendebat argumentum ſine charitate poſſe eſſe aliquam veram virtutem, quia virtutis proprium eſt, bonum actum producere: videamus vero eos qui charitatem non habent, aliquos actus bonos facere: puta, dum nudum veſtiunt, famelicum paſcunt, & ſimilia operantur, quæ ad veram virtutem ſpectant. Huic argumento occurrit Angelicus ſic: „ Ad „ primum dicendum, quod actus alicujus charitate carentis poteſt eſſe duplex. Unus quidem „ ſecundum hoc quod charitate caret; utpote „ cum facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate: & talis actus ſemper eſt malus; „ ſicut Auguſtinus dicit in *quarto contra Julianum*, quod actus infidelis, inquantum eſt infidelis, ſemper eſt peccatum; etiamſi nudum „ operiat, vel quidquid aliud hujuſmodi faciat, „ ordinans ad finem ſuæ infidelitatis. Alius autem poteſt eſſe actus (Nota) *charitate carentis*, non ſecundum id quod charitate caret, „ *ſed ſecundum quod habet aliquod aliud donum Dei; vel fidem, vel ſpem, vel etiam natura bonum, quod non totum per peccatum tollitur*, ut „ ſupra dictum eſt. Et ſecundum hoc, ſine charitate poteſt quidem eſſe aliquis *actus bonus ex genere ſuo*, non tamen *perfectè* bonus: quia deeſt debita ordinatio ad ultimum finem.

Lib. 4. c. 3. contra Julian.

Qu. 10. art. 4. Et. 1. 2. qu. 85. art. 1. & 2.

LXV. Secundum argumentum, quod ſibi objicit S. Thomas, prætendebat, ſine fide, ſicque

ſine charitate ; quæ eſt ex *fide non ficta*, ut dicit
1. ad Timoth. 1. Apoſtolus; poſse eſſe veram caſtitatem & juſtitiã in infidelibus : quando hi videlicet concupiſcentias cohibent ; & dum recte judicant. Procedebat argumentum ex æquivoco latente in To *vera* : cum poſſit eſſe vera virtus, ſed non omnibus numeris abſoluta ; ſicut infans eſt verus homo, ſed non omnimodè perfectus. Solvit ergo argumentum S. Thomas, addendo ad To *vera*, To *ſimpliciter* ; ſicque tollendo æquivocationem : „ Dicendum quod cum finis ſe habeat in agibilibus, „ ſicut principium in ſpeculabilibus ; ſicut non „ poteſt eſſe *ſimpliciter* vera ſcientia, ſi deſit re„cta æſtimatio de primo,& indemonſtrabili prin„cipio ; ita non poteſt eſſe *ſimpliciter vera* juſti„tia, aut *vera* (ſubaudi *ſimpliciter*) caſtitas, ſi „ deſit ordinatio debita ad finem, quæ eſt per „ charitatem : quantumcumque aliquis ſe recte „ circa alia habeat. „ Ubi non negat S. Thomas caſtitatem aut juſtitiam infidelium eſſe veras virtutes, ſed ſolum negat eſſe *ſimpliciter veras* : id eſt, undequaque perfectas, numeris omnibus abſolutas : ſicut ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis, non habens evidentiam de primis ſuis principiis, eſt quidem vera ſcientia ; at non ſimpliciter perfecta, ſed imperfecta tantummodo.

LXVI. Tertium argumentum procedens a paritate, & concluſionem in corpore ſtabilitam, & illam inſuper proximè datam ad ſecundum argumentum ſolutionem impetebat ; eo quod ſcientia & ars, quæ virtutes quædam ſunt, inveniantur (ſubaudi, *perfectè*) in hominibus peccatoribus, non habentibus charitatem: ergo vera virtus: etiam *ſimpliciter* poteſt eſſe ſine charitate? Reſpondet

det S. Thomas, ſcientias & artes *ſimpliciter veras*; ut ut poſſint eſſe ſine charitate; non inde recte inferri idem dicendum fore de virtutibus moralibus. Ratio diſparitatis eſt: *Quod ſcientia & ars de ſui ratione important ordinem, ad aliquod particulare bonum; non autem ad ultimum finem humanæ vitæ, ſicut virtutes MORALES, quæ ſimpliciter faciunt hominem bonum* (ſubaudi, dum ſunt in ſtatu perfecto, & *ſimpliciter* veræ virtutes) *& ideo non eſt ſimilis ratio*.

LXVII. Ex hoc ergo articulo id habemus, nimirum: veram virtutem moralem *ſimpliciter*, id eſt, omnibus modis perfectam, minime dari, ſine charitate: quia ſic conſiderata virtus, debet hominem diſponere & ordinare ad principale bonum, quod eſt finis ultimus; nempe beatitudo æterna; quod ſine charitate eſſe non poteſt: cæterum, dari veram virtutem, licet non omnibus numeris abſolutam, ſine charitate: ſicque non omnes omnino actiones noſtras, etſi non ex charitate Theologica factas, eſſe peccata. Hoc etiam modo locutos fuiſſe SS. Patres antiquiores, ſedula exactitudo S. Thomæ, in reddendis SS. Patrum ſententiis, non ſinit dubitare. Nunc vero novus Dogmatiſtes Queſnellus, omnes actiones noſtras, quæ non ex Theologica, & ſtrictè dicta charitate procedunt, peccati & arguit & damnat.

LXVIII. At, inquies, quæ eſt iſta charitas, ut, cum SS. Patres Leo, Auguſtinus &c. fere eiſdem phraſibus utantur ac Queſnellus, illos excuſemus, hunc vero damnemus? Dicam; ſed prius dicas mihi, cur aſſeras merito damnatum eſſe Bajum, quod docuerit, omnia opera infidelium eſſe peccata, quia ſine charitate facta? cur, inquam, non excu-

ſas ipſum dicendo, quod locutus ſit de charitate late dicta, ſeu quacumque bona voluntate; ſine qua, certum eſt, nullum inveniri actum honeſtum? Dices utique, quia ſatis clare ſignificat Bajus ſe loqui de charitate Theologica: ait enim *propoſitione* 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas... aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffuſâ, Deus amatur*: charitas autem *per Spiritum Sanctum in corde diffuſa*, quâ Deus amatur, eſt manifeſte charitas, virtus illa Theologica: aliunde ſatis clarum eſt Bajum locutum fuiſſe de veri nominis peccatis, dum dixit: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, &*
Eſt. 25. *philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Sic tu reſpondebis, ut oſtendas Bajum (ſiquidem ei, ut ſuppono, dixeris vale) merito damnatum fuiſſe, ac defendas. Idem ego de Queſnello dico: videlicet: illum manifeſtè nimis de charitate ſtrictè dicta, ſeu, Theologica virtute locutum eſſe: atque omnia opera, ex illa non perfecta, peccati poſtulaſſe.

LXIX. Utrumque ex propoſitionibus ipſis, attente conſideratis, manifeſtius eſt, quam ut probatione egeat. Primum manifeſtum fit ex *propoſitione* 44. hîc ordine prima: *Non ſunt niſi duo amores*, inquit..... *amor Dei, qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus remuneratur &c.* Hic amor manifeſte eſt charitas Theologica: de qua afferit *propoſitio* 55. quod *Deus non coronat niſi charitatem*: & 56. Quod *Deus non remunerat niſi charitatem.* Idem quoque probat *propoſitio* 47. hic ordine 4. ubi explicans Queſnellus, quid, ſe ipſo judice, requiratur ut actiones noſtræ non ſint peccaminoſæ, dicit, eas debere *profluere ex fonte*: & *hic fons eſt charitas*. Sed quæ charitas? Quæ reſpicit

cit Dei gloriam ut finem; ad eamque, uti ad finem actiones noſtras refert: unde addit Queſnellus: *Quando Dei amor eſt illius* (obedientiæ legis) *principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt quod apparet exterius: alioquin non eſt niſi hypocriſis aut falſa juſtitia*. Unde fruſtra conaretur quis elabi dicendo, intelligendas eſſe propoſitiones de charitate latè dicta: tum quod Queſnellus nullibi talem charitatem admiſerit: tum quod eam poſitivè excluſerit, non admittendo niſi duos amores: quorum unus bonus, alter malus.

LXX. Sunt, fateor, aliqui Theologi catholici qui hominem peccare, ſaltem venialiter, doceant, quoties actiones ſuas deliberatas non in Deum, ex aliqua imperfecta charitate, referat: ſed nullus eorum dicit, actiones ipſas, ex objecto & officio bonas, propterea inquinari, ac eſſe veri nominis peccata: hoc enim in Bajo damnatum eſſe, ipſe auctor *Theologiæ ſupplicis* fatetur. Igitur Queſnellus non ſalvatur, etſi quis, benignè eum interpretando, diceret, intelligendum eſſe de actuali, remiſſa, naſcente, imperfectaque charitate: cui ſine charitate theologica, *amor quo nos ipſos diligimus fit malus prop.* 44. Cupiditas *omnes actiones noſtras corrumpit, prop.* 48. uſumque *ſenſuum malum facit, prop.* 46. Totum quod apparet exterius, *non eſt niſi hypocriſis & falſa juſtitia, prop.* 47. Non ſumus *niſi tenebræ, niſi aberratio, niſi peccatum prop.* 48. Unde juxta Queſnellum, non ſolum omnia opera infidelium ſunt peccata, ſed omnium, etiam chriſtianorum opera, facta in peccato mortali. Quod perfecto eſt errore Baji longe deterius, ut poſtea dicetur. Pag. 123. item pag. 143. 145.

LXXI. Hæc adeo clara ſunt, ut non ſit eis

diutius inhærendum: ſupereſt ut aliquid breviter dicamus ad auctoritates SS. Patrum, quas magno
a. pag. 138. numero adduxit *Theol. ſupplex*. Ad illam S. Leonis PP. dicentis duos eſſe amores, *ex quibus omnes*
Serm. 5. de jejun. 7. menſis. *prodeunt voluntates.... In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione mundi cuncta ſunt noxia*: dico S. Leonem, dum in ſermone illo catholicos inſtruit, voluiſſe docere, (ut in concionibus fieri ſolet) quænam actiones ſint homini chriſtiano-catholico verè utiles ad vitam æternam promerendam: illæ ſcilicet, quæ ex amore Dei in Deum diriguntur aliquo modo: cæteras vero eſſe noxias, id eſt, vel inutiles ad finem iſtum conſequendum; vel etiam nocivas. Scimus enim ex Calepino *noxam* (a qua noxius, noxia, noxium) ſignificare tam rem nocivam, quam *inutilem*. At ne hoc gratis videar dicere, en alium locum, ex ſimili ſermone depromptum, *ſeptimo* ſcilicet *de Quadrageſima*, ubi loquens de fide & charitate, ſine quibus Deum promereri non poſſumus, *c.* 2. ait:,, Simul atque conjunctim & charitati ſtudeamus &
,, fidei. *Hic eſt enim quidam efficaciſſimus geminarum alarum volatus, quo ad PROMERENDUM & VIDENDUM DEUM puritas mentis attollitur, ne onere curarum carnalium deprimatur.* Ibidem etiam docet, cæteras actiones ex objecto bonas, nec ex charitate profectas, licet vitæ æternæ meritoriæ non ſint, atque hoc ſenſu inutiles, ſive noxiæ chriſtiano; tamen eſſe laudabiles & præmio aliquo dignas: ita enim *cap.* 3. ejuſdem ſermonis, poſtquam eleemoſynam ex charitate datam vitâ æternâ remunerari docuiſſet, proſequitur: *Quæ utique* (eleemoſyna) *laude ſua fraudanda non eſſet, ſi propter ipſam naturæ communionem juvando homini ab homine præberetur*. LXXII.

LXXII. Scio, quod in noviſſima S. Leonis editione, apponatur huic loco in margine: *Humana laude non caret, quod homini homo propter hominem præbet.* Sed ea annotatio ipſius eſt Queſnelli: a mente S. Leonis aliena quidem, ſed pravam Queſnelli mentem nobis aperiens. Sequitur enim in S. Leone. *Sed quia quod non ex fidei procedit fonte ad præmia æterna non pervenit; alia eſt conditio operum cæleſtium, alia terrenorum.* Quaſi diceret, aliam retributionem Deus dat operibus cæleſtibus, aliam terrenis: illis ſeipſum; his aliam; uti ex Scripturis ipſis manifeſtum eſt in obſtetricibus ægyptiis, Nabuchodonoſore, Jehu &c. At Queſnellus dum nonniſi *humanam* laudem hiſce operibus tribuit; quaſi vero omnem eleemoſynam humana laus ſequeretur; ſatis inſinuat ſenſum ſuum eſſe, hujuſmodi opera exoſa eſſe Deo, nec ullam a Deo remunerationem conſequi, etiam temporalem: cum S. Auguſtinus, cujus doctrinæ S. Leo jugiter inſiſtit, Romanos orbis imperium a Deo conſecutos moneat *epiſt.* 144. *alias* 130. ob egregias quas excoluêre virtutes; fide licet, & charitate deſtituti, uti monet *Theol. ſuppl. pag.* 131. Anni 1675.

LXXIII. Atque hoc ex Auguſtino dictum ſufficere poſſet, ne crederetur Queſnello favere; addendum tamen aliquid, ut clarius fiat Auguſtinum in eadem fuiſſe cum S. Leone ſententia, dum requirit amorem vel charitatem, ut actus noſtri BENE & non *inaniter* fiant: intellexiſſe nimirum Auguſtinum tunc BENE quidpiam a nobis fieri, cum meritoriè fit, ita ut ad vitam æternam conſequendam conducat: ſufficiet ad hoc locus unicus in *Theol. ſupplici.* adductus, ſed mutilè: ille nimirum ex *lib.* 4. *contra Julianum cap.* 3. ubi Augu-

ſtinus

ſtinus ait: *Per hunc amorem creatoris*, **BENE** *quiſque utitur etiam creaturis: ſine hoc amore creatoris, nullus quiſpiam* BENE *utitur creaturis*. Sed nota ſequentia, ab Auctore *Theol. ſupl. pag.* 139. omiſsa: HOC ERGO AMORE OPUS EST, UT BONUM BEATIFICUM SIT. Hoc eſt ergo Auguſtino Opus BENE fieri, quod BEATIFICUM ESSE. Inutiliter etiam nobis objicitur Auguſtinus in *Enchir. cap.* 117. dicens: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei charitas*; nuſquam enim ibi nec alibi comparet illud ſecundum quod hîc Queſnellus attexuit: *omneſque actiones ejus* (peccatoris) *corrumpat neceſſe eſt*. Ut enim ſcite Lovanienſes in expoſitione ſuæ doctrinæ obſervarunt: *Quemadmodum charitas in homine juſto non ſic regnum obtinet, quin aliquos ſibi motus atque actus carnis concupiſcentia ſuffuretur. . - . Ita etiam nec in peccati mancipiis ſic regnat cupiditas, ut omnes affectus animi bonos, ſive de natura, ſive de gratia venientes exterminet; neque ex iis quidquam boni operis exiſtere patiatur: quemadmodum ut juſtus non omnia juſte, nec fidelis omnia fideliter; ita neque peccator omnia vitioſe, neque infidelis omnia infideliter operatur*. Quæ eſt doctrina S. Thomæ 2. 2. *q.* 10. *a.* 4. *c.*

Vide dicta pag. 227. nu. 55.

Edita paul. poſt damnatũ Bajum.

LXXIV. Eodem modo S. Proſper *contra Collatorem* ſcribens, exponi debet, ut ex ſcopo ſcriptoris, & verbis etiam ipſis, evidenter patet. Scopus Proſperi illo in libro erat, oſtendere, quam falſo Collator Caſſianus affirmaret, *Aliquid præcedere boni operis, ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur*, ſicque hominum aliquos, ex ſuis naturalibus, viam ſibi aperire ad æternam vitam: (id conſtat ex *cap.* 3. *num.* 1.) contra

aſſerit Proſper, quæcumque in infidelibus videatur eſſe virtus, veram non eſſe virtutem; ſed immunda eſſe omnia: imo polluta, id eſt, non tantum nihil valentia ad ſalutem, ſed inſuper, *dum ipſa quæ non haberent niſi dante Deo, ſubdunt ei qui primus receſſit ab eo*, (Deo) etiam polluta & peccato infecta. En verba Proſperi *lib. contra Collatorem cap.*(alias 28.uti habet *Theol.Suppl.*modo cum ſolum contineat 22. capita) 13. *num.*39. *Et ita manifeſtiſſime patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem; ſed omnia opera eorum immunda eſſe atque polluta .... dum & ipſa quæ non haberent niſi dante Deo, ſubdunt ei, qui primus receſſit ab eo*. In quibus verbis hoc etiam obſervatione dignum eſt, quod virtutes, *niſi dante Deo* non habeantur, etiam in impiis: ſignum manifeſtum eas in ſe bonas; ſæpius alio detorqueri, ac ſubjici pravâ infidelium intentione ipſi diabolo; neceſſe tamen non fore hoc ſemper accidere, indicat particula illa DUM; ſignificans, quod *quando* ipſa bona, quæ non habent niſi a Deo, *ſubdunt ei qui primus receſſit ab eo*, tunc omnia opera eorum immunda eſſe, atque polluta. Si ergo a contrario, non ſubdant illas virtutes, quas a Deo habent, ei, qui primus a Deo receſſit, tunc non erunt mala, neque polluta; ſed moraliter honeſta: etſi non vitæ æternæ meritoria, ob charitatis defectum. Ita S.Auguſtinum explicat S. Thomas, *articulo 7. quæſt.* 23. 2. 2.: licebit haud dubie & nobis, ad ejus imitationem, eodem modo S. Proſperum exponere: præſertim cum id aperte S. Proſperi verba dicant.

Pag.146. Edit.Parif. anno 1690.

§. XI.

§. XI.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Sola charitas chriſtiano modo facit actiones chriſtianas, per relationem ad Deum & Jeſum Chriſtum. Eſt 53. Queſnell. Coloſſ. 3. v.14.
Nec Deus eſt nec religio, ubi non eſt charitas. Eſt 58. Queſnell. 1. Joan. 4. v.8.

LXXV. Prima propoſitio, primo aſpectu pietatem præferens, mortiferum in ſe continet virus, quod eſt brevi expoſitione manifeſtandum. Per opus chriſtianum, modo factum chriſtiano, intelligi poſſet opus meritorium æternæ vitæ; ſed ſub hac bella apparentia occultavit Queſnellus dogma longe diverſum; de quo jam ſæpius actum. Hoc videlicet: Sine charitate referente opus in Deum & Chriſtum, nullum opus immune a peccato eſſe. Conſtat id, tum, quod de merito operum noſtrorum tam parum ſollicitus fuiſſe deprehendatur Queſnellus, ut potius, meritum omne abſtulerit, docens *prop.69.* Quod *Fides, uſus, augmentum & præmium fidei, totum eſt donum PURÆ LIBERALITATIS DEI.* Tum, quod ex §. *præcedenti* conſtet, Queſnello, ſine charitatis influxu, omnia opera noſtra mala eſſe, corrupta eſſe, hypocriſim eſſe, falſam juſtitiam eſſe; verbo, nil, niſi tenebras, aberrationes, peccata. Quid ergo dicendum de actibus illis, attritio-

tionis vel ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex pœnarum metu communiter conceptis, quibus homo aſpirante Dei gratia, aut Spiritus Sancti moventis, nondum inhabitantis impulſu ſe ad juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ, id eſt, gratiam habitualem ac charitatem obtinendam diſponit? Si non ſunt, *actiones chriſtianæ, chriſtiano modo factæ*, ſed peccata, actus noſtri præcedentes juſtificationem noſtram & charitatem habitualem, quid peccavit Lutherus, in aſſertione articuli ſui ſexti dicens: *Chriſtum audiamus, qui palmitis exciſi ponit quinque perditionis gradus, quibus oſtendit eum ſe non modo non poſſe ad bonum parare, ſed neceſſario peiorem fieri*? Item in *Poſtilla in Dominicam poſt Nativit. fol. 94. Dominus ſuis litteris definit, quæcumque opera juſtificationem præcedunt, mala eſſe, nulliuſque momenti*? Quid Calvinus dicens in *Antidoto Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 9. Tom. 8. pag. 243. col. 2. Quæ nobis hic opera comminiſcuntur juſtificatione priora? Poſteris vix perſuadebitur, tantum fuiſſe ſtuporis in Papatu, ut juſtificationi ullum opus præponerent; etiamſi negarent eſſe tanti boni meritorium.* Et *lib. 3. inſtit. cap. 14. num. 7. Quid pariant peccatores a Deo alienati, niſi illius judicio execrabile?* Aut ergo hos dicamus (quod abſit) injuſte damnatos: aut Queſnellum ejuſque doctrinam, & illorum, execremur neceſſe eſt. Adde, quod ſi vera foret hæc Queſnelli Theſis, cum Tridentinum doceat attritione, quæ certo certius non ex charitate oritur, diſponi hominem ad juſtificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam; ſequeretur Eccleſiam docere, Sacramentum pœnitentiæ, abſque bono motu, id eſt chriſtiano & chri-

Trident. Seſſ. 6. c. 4. de juſtifica. & Seſſ. 14. cap. 4. de contrit.

Ed. Amſtel. 1662

chriſtianè facto, ſuſcipientium, gratiam conferre, quod falſo quoſdam calumniari, Tridentinum definit. Seſſ. 14. cap.4.

LXXVI. Secunda propoſitio: *Nec Deus eſt, nec religio, ubi non eſt charitas*, confirmat id quod dixi §.6. ad propoſitionem 57. quæ eſt hæc: *Totum deeſt peccatori quando ei deeſt ſpes &c.* Inſinuavi ibidem, To *quando* ſumendum pro *quoniam*, aut *quandoquidem*; ut ſenſus illius propoſitionis ſit: *Quoniam peccatori deeſt ſpes, totum ei deeſt &c.* Hoc, inquam, dictum meum confirmat præſens propoſitio. Enimvero, cum ſpes noſtra præcipuè in Deo fundetur, ſi nec Deus nec religio eſt, ubi deeſt charitas, ſive ubi adeſt quodcumque mortale delictum, quid ſupereſt, niſi ut dicatur, cuicumque exiſtenti in mortali, deeſſe ſpem, anchoram ſalutis, deeſſe totum?

LXXVII. Notanda quoq; hic venit phraſis quædam gallica, quâ ſignificare ſolent Atheum, aut ſceleratæ vitæ hominem, dicendo: *Il a ny Dieu ny religion*. Hanc loquendi formulam ferè expreſſit propoſitio 12. ab Alexandro VIII. damnata, videlicet: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides*. Hæc propoſitio expreſsè loquitur de magnis peccatoribus: Queſnellus vero peccatorem in qualicumque mortali exiſtentem, (*Ubi non eſt charitas*) nec Deum habere, nec religionem, aſſerit. Prima prop. requirit privationem omnis amoris: Queſnelliana ſolius *charitatis*. Theologicæ nimirum: aliam enim admiſiſſe ex toto *Reflexionum libro* probabitur nunquam: aut oſtendetur, contradictoria, quod hæreticis familiare, ſcripſiſſe: quia prop. 44. dicit: *Non ſunt niſi duo amores*: ut me-

rito

rito dici poſſit, excedere Queſnelli facinus, culpam Auctoris, qui ab Alexandro proſcriptam propoſitionem recudit. Attento vel maxime, quod qui dicit quempiam carere Deo & religione, dicat eum carere fide & ſpe. Docet ſiquidē Aquinas noſter hiſce virtutibus Deum certo modo apprehendi 1.2.q.62.a.4.c. *Non poteſt in aliquid motus appetitivus tendere vel ſperando vel amando, niſi quod eſt apprehenſum ſenſu vel intellectu. Per fidem autem APPREHENDIT intellectus ea quæ ſperat & amat .... Similiter autem ex hoc homo aliquid amat quod apprehendit illud ut bonum ſuum, per hoc autem quod homo ab aliquo ſperat ſe bonum conſequi poſſe, reputat ipſum, in quo ſpem habet, quoddam bonum ſuum: unde ex hoc ipſo quod homo ſperat de aliquo, procedit ad amandum ipſum &c.*

LXXVIII. Licet ergo deficiat charitas, dummodo maneat fides, (quam non deſtrui per quodcumque mortale peccatum, velut de fide definitum eſt in Triden.) adhuc eſt in peccatore Deus per fidem. Et quidni etiam eſſet religio, Deo debitum exhibens cultum, ad quem fides inſtigat? *Fide plurimam hoſtiam Abel quam Cain obtulit Deo.... Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem... Fide obtulit Abraham Iſaac. ..Fide (Moyſes) reliquit Ægyptum ... inviſibilem enim tanquam viſibilem ſuſtinuit. Fide celebravit Paſcha & ſanguinis effuſionem...* Et ne quis dicat in his omnibus non fuiſſe fidem ſolam: ecce *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel & Prophetis.*

Seſſ. 6. can. 28.

Qui

Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam &c. En quot & quanta religionis opera adſcribuntur fidei ab Apoſtolo *Hebr.* 11.

LXXIX. Concludamus tandem aliquando brevi totum dilemmate, forte Queſnellum cum ſuo patrono ſuis ipſorum retibus includemus. Ille qui charitatem non habet, aut poteſt elicere actus religionis, aut non poteſt? Si poteſt: ergo manet religio ubi non eſt charitas. Si non poteſt: ergo non vivit ut chriſtianus. Infero ulterius, ergo deſinit eſſe chriſtianus: nempe juxta propoſitionem Queſnel. 78. *Separatur quis a populo electo... tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.* Ergo ruit in caput tuum fulmen Tridentinum expreſſum *Seſſ. 6. can.* 28. *Si quis dixerit... eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.*

LXXX. Supereſt reſpondeatur S. Auguſtini verbis quibuſdam male intellectis, & applicatis ab Auctore *Theol. Suppl.* non tam,ut Queſnellum catholicum, ſed Auguſtinum, ſi poſſet, faciat Queſnelliſtam. Objicit 1. ex *lib. de grat. & lib. arb. c.* 18. *Quidquid ſe putaverit homo facere bene, ſi fiat ſine caritate, nullo modo fiat bene.* Tantundem ſignificat alter locus ex Epiſtola 140. alias 120. *cap.* 29. *num.* 70. *Tunc recte, tunc juſte, tunc pie fit, cum ab us bonum in ejus laudem fit, cujus gratia donatur ut fiat.* Recte enim fieri aliquid juſte & pie, idem valet quod *Bene* fieri; *Bene* autem fieri aliquod opus, Auguſtino eſt *opus beatificum eſſe*; vide *num.* 73.: quod ſine caritate fieri non poſſe, nullus catholicus negat. Idem habeto reſponſum ad deſumpta ex *Epiſt.* 167. *ad Hieronymum*, ex *lib.* 12. *de Trin. c.* 14. & ex *lib.* 12. *de Civit.*

Pag. 135.

Dei

Dei cap.3. Objicit deinde ex *epiſt. alias 95. modo* 197. voluit dicere, 177. *Sola charitas non peccat.* Sed nota, quod Auguſtinus ibi charitatem opponat cupiditati: accipe verba *num.* 17. *Quod ſi res ita ſe habet, ut per gratiam Salvatoris proficiamus quidem in hac vita, deficiente cupiditate, creſcente caritate, perficiamur autem in illa vita cupiditate extincta, caritate completa; profecto illud quod ſcriptum eſt,* Qui natus eſt ex Deo non peccat, *ſecundum ipſam caritatem dictum eſt, quæ ſola non peccat. Ad nativitatem quippe quæ ex Deo eſt, augenda & perficienda pertinet caritas, non ea quæ minuenda eſt & conſumenda cupiditas: quæ tamen quamdiu eſt in membris noſtris, lege quadam ſua repugnat legi mentis; ſed natus ex Deo nec obediens deſideriis ejus, nec exhibens membra ſua arma iniquitatis peccato, poteſt dicere,* „Jam non ego operor „ illud, ſed illud quod habitat in me peccatum.„ Ubi manifeſte *non peccare* tribuit charitati, ut contrapoſitæ cupiditati, non cæteris virtutibus. Sane ex Auguſtino, ut notat S. Thomas, habemus eam virtutis definitionem: *Eſt bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nullus male utitur &c.* non ergo, niſi turpiter ſibi ipſi contradicendo, dicere potuiſſet, ſolam charitatem, cum excluſione cæterarum virtutum, non peccare. Objicit deinde ex *lib.3. de Doctr. Chriſt. cap.10. Non eſt fructus bonus, qui de caritatis radice non ſurgit*; ſed talia verba ibi fruſtra quæruntur. Habentur tamen *lib. de Spirit. & litt. cap.14. nu.26.* verum pro Queſnello arripi non poſſunt, niſi ab ignaro regularum bonæ critices: aut partis affectu in tranſverſum acto. Enimvero ſcopum Auguſtini, ſi, ut volunt dictæ regulæ, diligenter attendimus, nihil

1. Joan. 3. 9.

Rom. 7. v.20.

1. 2. qu. 55. a. 4.

 hil

hil hic pro Paſchaſio. Scopus fuit, uti habetur *lib.* 2. *Retract.* oppugnare hoſtes gratiæ Chriſti *qua juſtificamur*: in hunc incubuit Auguſtinus: *In quo libro*, inquit, *loc. cit. c.* 37. *quantum Deus adjuvit acriter diſputavi, contra inimicos gratiæ Dei qua JUSTIFICATUR impius*. Hunc ſcopum altera fere pagina manifeſtat: nominatim cap. illo 14. ſtatim poſt initium dicens, *Legem ex qua*, Apoſtolus, *neminem dixit JUSTIFICARI, non tantum in illis Sacramentis, quæ habuerunt promiſſivas figuras; verum etiam in illis operibus vult intelligi, quæ, quisquis fecerit, JUSTE VIVIT*. Et paulo ante verba nobis objecta: *Apparet igitur litteræ vetuſtatem, ſi deſit novitas ſpiritus, reos facere POTIUS... quam liberare a peccato*. Quando ergo poſtea dicit: *Non enim fructus eſt bonus, qui de caritatis radice non ſurgit*: per fructum bonum haud dubie intelligit, fructum juſtificationem adferentem, & liberantem a peccato: cæterum, quod ſine charitate poſſit quis facere opus bonum, & juſtum, in eodem libro ſæpius docet, ut, cum *cap.* 13. *in fine* dicit. *Colligimus non JUSTIFICARI hominem præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem Jeſu Chriſti: hoc eſt, non lege operum, ſed lege fidei: non littera, ſed ſpiritu: non FACTORUM MERITIS, ſed gratuita gratia*. Et iterum verbis ſupra citatis: *Legem, ex qua neminem dicit juſtificari, non tantum in illis Sacramentis... verum etiam in illis operibus vult intelligi, quæ, quisquis fecerit, JUSTE VIVIT*. Ubi manifeſte docet, juſtè vivere eum qui facit legis opera: quamvis illa eadem, niſi de charitatis radice ſurgant, non valeant juſtificare. In vanum ergo ad illa Auguſtini verba recurritur pro Queſnello: cui

nec

nec Deus, nec religio, nec opus bonum eſt ſine charitate.

LXXXI. Supereſt Auctoritas S. Thomæ; ſed hic vere oſtendit Auctor ille, quod ſit ad extremas anguſtias redactus: unde coactus eſt textum S. Thomæ turpiter truncare. Locum integrum adferam: ſic ſimul in aperto erit, & fraus *Theologiæ Suppl.* & damnatio horum articulorum Queſnelli. Reſponſio eſt ad 2. argum. *art.* 10. *quæſt.* 100. *Prima Secundæ* S. Thomæ, ubi ait: *Dicendum, quod ſub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Et ideo præceptum charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum.* Hic ſiſtit *Theologia Supplex*: ſed pergit S. Thomas: *Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare; non ex vi hujus præcepti, quod eſt, Honora parentes; ſed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Et cum iſta ſint duo præcepta affirmativa*, Nota, *non obligantia ad ſemper, poteſt pro diverſis temporibus obligare: & ita poteſt contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi charitatis.* Videantur quoque dicta *pag.* 321. *num.* 73. *& ſequentibus.*

REFLEXIO QUARTA.

LXXXII. Bona moraliter opera, fidem, ſpem, charitatem, inter ſe connexa eſſe, viſũ Queſnello: imo hanc ultimam eſſe quaſi cæterorum omnium baſim & fundamentum, quo diruto cætera omnia collabaſcant, uti domus diruto fundamento, ex

dictis hoc capite, ſatis, opinor, conſtat. Doctrinam hanc Eccleſia univerſa, qua per totum Orbem diſperſa, qua adunata in Sacroſancto Concilio Tridentino, in Luthero, Calvino, Bajo, Janſenio anathematizavit pridem. Ipſa quoque S. Facultas Theologica Pariſienſis ſingulari cenſura, edita circa annum 1526. in Eraſmo eandem perſtrinxit. Hoc poſtremum adjicio, non, quod major mihi ſit illius Facultatis, quam Eccleſiæ auctoritas; abſit: ſed ut videant Queſnelli fautores, huic devoti, quantum ab avita ſuorum prædeceſſorum, & Eccleſiæ Gallicanæ traditione aberraverint. Hæc, inquam, famoſiſſima facultas, in edita contra Eraſmum cenſura, ipſos Queſnelli, hoc capite diſcuſsos errores, dudum nigro theta infamavit, modo, & verbis ſequentibus.

Titul. 7. de Fide.

LXXXIII. Propoſitio prima Eraſmi. Jacobi 2. ***Fides, quæ friget abſque charitate, nec ſe profert, ubi res poſtulat, ne fides quidem eſt: tantum eſt inane fidei nomen.*** Huic, quoad ſenſum ſimilis eſt prop. 51. Queſnelli: ***Fides juſtificat quando operatur: ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem.***

Propoſitio ſecunda Eraſmi. Jacobi 2. ***Fides & charitas natura conjunctiſſimæ ſunt; & alterum ab altero divelli non poteſt:*** Et paulo poſt: ***Charitas fidei comes eſt individua.*** Huic affinis eſt ***prop. 52.*** Queſnel. ***Omnia ſalutis media continentur in fide.... ſed hæc fides non eſt abſque amore & fiducia.***

Prop. Eraſmi 3. in Elencho. ***Certum eſt alteram alteri individuam eſſe comitem.*** Queſnellus propoſitione 58. aſſerit: ***Nec Deus eſt nec religio, ubi non eſt charitas.***

CEN-

CENSURA FACULTATIS THEOL. PARISIENSIS.

„ Hæ tres propoſitiones ſunt hæreticæ, & „ ſententiæ Apoſtolorum Pauli & Jacobi contra- „ riæ. Paulus namque fidem ſine charitate poſſe „ eſſe oſtendit, cum inquit: *Si habuero omnem fi-* „ *dem, ita ut montes transferam; charitatem au-* „ *tem non habeam, nihil ſum*. Jacobus etiam in „ *cap.* 2., in quo dicit, fidem ſine operibus mor- „ tuam eſſe, appellat fidem ſimpliciter illam, „ quæ eſt ſine operibus, dicens: *Quid proderit* „ *fratres, ſi quis dicat ſe fidem habere, opera autem* „ *non habeat?* Unde patet quod fides abſque cha- „ ritate, aut bonis operibus appellanda eſt. „

Propoſitio quarta. Eraſmi Joan. 3. *Sola fides purificat corda, redditque idonea, quibus credantur cæleſtis philoſophia arcana*. Huic non abſimilis eſt 42. Queſnel. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei: ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas*. Prop. 5. Eraſmi. Joan. 8. *Sola credulitas via eſt ad immortalitatem*. Prop. 6. Eraſmi: Lucæ 24. *Quid exigit Chriſtus a ſuis, niſi fidem?* Liceat huic componere prop. 68. Queſnelli: *Bonitas Dei abbreviavit viam ſalutis, claudendo totum in fide & precibus*.

CENSURA FACULT. THEOL. PARISIENSIS.

„ Tametſi requiritur fides ad aſſequendam „ beatam immortalitatem, & ad cordium purifi- „ cationem; ut docent Sacræ Litteræ: non ta- „ men eam ſolam ad hoc requiri adſtruunt; ſed „ potius oppoſitum. Unde ait Jacobus Apoſto- „ lus: *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur ho-* „ *mo, & non ex fide tantum*. Et Paulus: *Non enim*

 „ au-

„ *auditores legis juſti ſunt apud Deum ; ſed factores*
Rom.2. „ *legis juſtificabuntur* . Quare propoſitiones cum
„ hujuſmodi excluſione poſitæ , Scripturis non
„ conſonant : quæ ubique bona opera prædicant.
„ Et offendiculum eædem propoſitiones aptæ
„ ſunt præſtare puſillis : quaſi videlicet non ſint
„ fidelibus neceſſaria bona opera ; ſed ſola fides
„ ſufficiat ad ſalutem . „

LXXXIV. Ex his paucis patet manifeſte , qualem doctrinam fidelibus Queſnellus obtrudat. Illam ſcilicet ipſam , quam olim Eccleſia , & nominatim Univerſitatis Pariſienſis Theologica Schola diris devovit. Macte igitur animo zeloſiſſimi avitæ fidei defenſores. Si olim diſplicuit Eraſmi , Lutheri , Calvini , Baji , Janſenii doctrina , non placeat modo eadem , a Queſnello renovata quidem , & aliis verbis propoſita , ſed vaticanis fulminibus denuo protrita. Qui Queſnelli doctrinam amplectuntur , Lutheri ac Calvini errores , qui ſanguineis rivis Germaniam & Galliam olim inundarunt , unâ reſumunt.

CAP.

CAP. VII.

De oratione impiorum & timore

§. I.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Oratio impiorum eſt novum peccatum: & quod Deus illis concedit eſt novum in eos judicium. Eſt. 59. Queſnell. Joan. 10. v. 25.

I. HAnc propoſitionem, quæ pleraque a nobis dicta præcedenti capite confirmat, merito damnatam eſse atque proſcriptam, negabit nemo, ſi attenderit eam jam olim a Trid. Seſs. 6. implicite fuiſse anathematizatam. *Si quis dixerit,* can. 7. *opera omnia* (ergo & orationem) *quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema ſit.* Sane ſi aliquo opere nos diſponere ad juſtificationem poſſumus, orationi infimus locus dandus haud eſt. Ad Deum enim accedimus non paſſibus corporis, ſed mentis affectibus; quorum interpres oratio eſt: &, ſi Scripturis, ut par eſt, credimus: *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit,* ligatque Altiſſimum: quod Eccli. 35. non ſolum de juſtorum, ſed humiliantium ſe pec- v. 21.

 cato-

catorum deprecatione intelligendum eſse, clariſſimo nos docet exemplo Eccleſiaſticus idem cap. 48. a. v. 16. ubi, poſtquam de miraculis Eliæ & Eliſæi quædam dixiſset, proſequitur: *In omnibus iſtis non pænituit populus, & non receſſerunt a peccatis ſuis, uſque dum ejecti ſunt de terra ſua .... & relicta eſt gens perpauca ..... Quidam ipſorum fecerunt quod placeret Deo: alii autem multa commiſerunt peccata. Ezechias munivit civitatem ſuam.... in diebus ipſius aſcendit Sennacherib .... Tunc mota ſunt corda, & manus ipſorum: & doluerunt quaſi parturientes mulieres. Et invocaverunt Dominum miſericordem, & expandentes manus ſuas extulerunt ad cælum: & Sanctus Dominus Deus audivit CITO vocem ipſorum. Non eſt commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis ſuis, ſed purgavit eos in manu Iſaiæ Sancti Prophetæ*. Ecce peccatores exauditi, & quidem *CITO*. Infinitus ſim ſi omnia hujus veritatis in Scriptura extantia exempla velim adducere. Et porro nihil etiam, ſi ſuperis placet, valitura forent, cum Auctor *Theologiæ ſupplicis* unico quaſi flatu exiſtimet ſe omnia in minutiſſimum pulverem redigere.

Pag. 52. II. Ait enim „ Indefinita apud Queſnellum „ non legitur hujuſmodi propoſitio, ſed reſtricta „ certiſque limitibus circumſcripta. Nempe, cum „ de oratione apertè agat Queſnellus, *iniquo*, „ *maligno*, *arroganti*, *ingrato*, *fallaci animo facta* (qualis erat Judæorum ad Chriſtum ſupplicatio, *Si tu es Chriſtus dicito nobis*) conſiderationem ſubjungit Auctor his verbis expreſſam: „ *Talis oratio impiorum eſt novum peccatum*: ſeu „ ut ſcribit gallicè: *Une telle priere eſt un nouveau* „ *peché*. Id ergo ſcire Theologi avent, an ea

„ tan-

„ tantum damnata ſit propoſitio, ut eſt a delatoribus truncata ac mutilata? an ut eſt „ Queſnellii libris inſerta, nempe, *talis impiorum* „ *oratio* (*iniquo ſcilicet, maligno, arroganti, ingrato, fallaci animo facta*) *eſt novum peccatum*; „ *& quod Deus illis concedit eſt novum in eos judicium*? „ Huc uſque ille. Cum multæ ſint Queſnelliani operis editiones, nullamque citet auctor ille, divinare nequeo, in qua, iſta, editione legerit; & non omnes ad manum ſunt. Sed ſupponamus, illa, ut adducuntur, haberi in aliqua editione, anno 1693. quo prima editio facta eſt, poſteriore, nihil hoc juvaret Queſnellum. Quippe Clemens XI. propoſitiones a ſe damnatas, aſſerit fideliter ex recenſitis ſupra RESPECTIVE editionibus, videlicet anni 1693. 1694. & 1699. extractas. Quo fit, ut, ſi vel in una ex editionibus illis propoſitio iſta, uti in Conſtitutione *Unigenitus* refertur & damnatur, reperta fuerit, immerito, immò, injurioſe & calumnioſe dicatur, propoſitio Queſnelli truncata ac mutilata. Nihil ergo proficit auctor ille, niſi intelligat & prætendat in nulla operis Queſnelliani editione propoſitionem ita haberi, uti expreſſa eſt a Clemente.

III. Hoc ſi prætenderet, fidem tuam, exclamarem, O! quiſquis opellæ illius, S. Sedi adeo injurioſæ, auctor es. An legiſti editionem latinam *anno* 1694. inchoatam, perfectam vero & proſtantem *anno* 1695. Pariſiis, & Lovanii *apud Ægidium Denique*? Si non legiſti, temerarius es, qui Eccleſiam incuſes truncationis & mutilationis. Si legiſti, oratio tua ſuperius deſcripta, iniquo, maligno, arroganti, ingrato, fallaci animo facta dignoſcitur; meritoque tibi in peccatum imputatur.

Joan.10. v.25. tur. Sic enim lego in prædicta editione „ *Reſpon-
„ dit eis Jeſus: Loquor vobis, & non creditis:
„ opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc te-
„ ſtimonium perhibent de me.* Homo chriſtianus,
„ ac præſertim miniſter Domini, operibus po-
„ tius quam linguâ loquatur oportet, ut Jeſum
„ Chriſtum caput ſuum imitetur: ingratitudo,
„ malignitas, duplicitas & inſolentia petitionis
„ eorum, omnino commerebantur, ut Jeſus
„ Chriſtus ad complementum excœcationis atque
„ obdurationis eorum, luminis abundantiam,
„ quod ad ejus exitium poſtulabant, impertire-
„ tur.. IMPIORUM ORATIO NOVUM
„ EST PECCATUM; QUODQUE DEUS
„ EIS IMPERTIT, NOVUM EIS JUDI-
„ CIUM EST„ Ubi hic illud tuum relativum TALIS ORATIO? Volve ac revolve editionem illam, nuſquam illud deprehendes: ſed ſi bene & attentè inſpicis deprehendes avulſam omnino a præcedentibus propoſitionem illam, atque per duo.. puncta ſollicitè ſeparatam; ne quis circa mentem auctoris errare poſset.

Dubitabis, aut negabis forte etiam, translationem illam latinam fidelem eſse, accuratam & exactam? Audi quid de ea judicaverit editionis cenſor & approbator.

APPROBATIO.

Tanta omnium approbatione &c.... Sed cum idem e gallico in latinum verſum ſit, meo quidem judicio, verſio ſincera eſt, & littera ſimul cum ſpiritu translata... Dabam Leodii hac 27. Junii 1694.

J. Le Beau S. Adalberti Leod. Curat. ind. Exam. Synod.

Si

Si autem obſtinate quiſpiam prætenderet illam verſionem latinam minus eſse fidelem, exhibenda ei foret propoſitio prout in *edit. gall. anni* 1693. extat. Sic ibi lego *Joan.* 10. v. 25. *L'injuſtice, l'ingratitude, la malignité, la duplicité & l'inſolence de leur priere, meritoit bien que J.C. leur accordât, pour achever de les aveugler, & de les endurcir, la ſurabondance de lumiere, qu'ils demandoient pour le perdre* = *La priere des impies eſt un nouveau peché, & ce que Dieu leur accorde, un nouveau jugement ſur eux*. Hîc non dicitur *une telle priere, talis oratio*, ut vult *Theol. ſupp.* ſed ſimpliciter, *la priere, Oratio.* Illud quoque obſerva, quod ſicut in verſione latina hæc propoſitio ſeparatur a præcedentibus per duo.. puncta, ita hîc per = virgulam. Unde verſio latina in hoc puncto eſt fideliſſima & exactiſſima: nec potuit rationabiliter a Queſnello ullius vitii inſimulari. Ex his, cujus farinæ ſit Auctor *Theol. ſupplicis* colligere licet.

IV. Replicabis, in poſterioribus editionibus adjectam particulam relativam, *Talis*, orationi. Sit ita. Inde confirmatur juſtiſſime damnatam propoſitionem, ut extabat in prioribus editionibus: quandoquidem ipſi Queſnelli fautores, aut Queſnellus ipſe, non eam in poſterioribus editionibus immutaſſent, niſi falſa & horrida, vel ipſis, viſa fuiſſet. Sed quid juvat etiam illa immutatio, dum in opere damnato ſuperſunt fundamenta, unde ſponte ſua fluit propoſitio, prout extabat in prioribus editionibus? Sic autem eſt, quod ex principiis a Queſnello ſtabilitis, ſequatur, omnem orationem, cujuſcumque peccatoris, ante juſtificationem, novum peccatum eſſe; eumque, quanto ſe magis diſponere conatur, tanto peiorem fieri.

Non

Non longa oratione opus eſt, ad hoc ſtabiliendum; repetendæ ſolum compendioſè propoſitiones, ſuperioribus §§. diſcuſſæ. Oratio peccatoris naſci non poteſt, juxta Queſnellum, niſi ex amore quo ſe ipſe peccator diligit; qui malus eſt, juxta *prop*.44.:niſi ex carnali cupiditate, quæ omnes actiones ejus corrumpit, juxta *prop*. 45.:niſi ex cupiditate, quæ uſum ſenſuum malum facit, juxta *prop*.46.: cum non fluat ex fonte, id eſt charitate; unde non eſt niſi hypocryſis juxta *prop*. 47.: cum ſine charitate non ſimus, niſi tenebræ, aberratio, peccatum, juxta *prop*.48.:cum nullum opus ſit bonum, ſine amore Dei, juxta *propoſitionem* 49.:cum ſola charitas chriſtiano modo faciat actiones chriſtianas *juxta* 53.:cum nec Deus ſit nec religio, ubi non eſt charitas, *juxta* 58. *propoſitionem*. Cum autem certum ſit, peccatorem, ante juſtificationem, charitatem non habere, ſequitur, ex principiis Queſnelli, quamcumque peccatoris orationem eſſe peccatum: aſſutamque in poſterioribus particulam, *Talis*, contra mentem eſſe Queſnelli; nec abſtergere, ſed quadam tenus errorem tegere. Si ergo orat, peccat; ſi duplicat orationem, duplicat peccatum, ſi triplicat, triplicat: verbo, quanto magis & frequentius orat, tanto frequentius peccat, tanto deterior fit. Et talis dogmatiſtes etiamnum reperit patronos? Reperiat. Oportet hæreſes eſſe: interim repeto Sanctum Sacroſancti Concilii Tridentini canonem 7. *Seſs. 6. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione fiant, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema ſit.*

V. Au-

V. Audiamus quoque quid Auguſtinus & Thomas de oratione ſenſerint. Et primus quidem ait: *Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, quod non credit? Unde Apoſtolus Beatus. . . . ut oſtenderet fidem fontem eſſe orationis, nec poſſe ire rivum, ubi caput aquæ ſiccatur, adjunxit atque ait:* „ Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt „ ? *Ergo ut oremus credamus, & ut ipſa non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem: fuſa oratio fidei impetrat firmitatem.* Ibidem *num. 2. De phariſæo & publicano accepiſti controverſiam, audi ſententiam: audiſti ſuperbum accuſatorem, audiſti REUM humilem; audi nunc Judicem* „ Amen dico vobis. *Veritas dicit, Deus dicit, Judex dicit.* Amen dico vobis, deſcendit juſtificatus de templo publicanus ille, magis quam ille phariſæus. „ Hîc video fontem orationis fidem eſſe; non charitatem. Tantum docet Angelicus, dicens: *Orationem vero peccatoris, ex bono naturæ deſiderio procedentem, Deus audit: non quaſi ex juſtitia; quia peccator hoc non meretur; ſed ex pura miſericordia.* Et in Reſp. ad 3. *Oratio innititur principaliter fidei: non quantum ad efficaciam merendi, quia ſic innititur principaliter caritati: ſed quantum ad efficaciam impetrandi: quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ, & miſericordiæ, ex quibus oratio impetrat, quod petit.*

Serm. 116. de verb. Evāg. Luc. 24. n. I. Rom. 10. v. 14.

2. 2. qu. 83. a. 16. c.

§. II.

§. II.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem. Eſt. 60. Queſnell. Matt. 27. v. 5.

VI. Hæc propoſitio ob adjectam aſtutè particulam, *Solus*, ſpeciem aliquam veritatis videtur habere: immo, ſi Auctori *Theologiæ ſupplicis* credimus, *idem iiſdem ferme verbis docere videntur Patres & Sacræ Synodi*. Videamus an ſermones ejus veritate nitantur. Primo adducit Gregorium Mag. ac ſi diceret, *Timor dum plus juſte* (juſto) *trepidat, in deſperationis foveam vergit*. Sed hîc textus, loquens dè timore, qui *plus juſto trepidat*, quid facit ad timorem qui movet ad, & *animat pœnitentiam*, quo de agit Queſnelliana? Sanè qui ex timore movetur ad pœnitentiam *non plus juſto*, ſed ut ratio recta dictat, timet. Secundo adducit Bernardum dicentem: *Eſt timor inutilis, triſtis, crudelis, qui veniam, quia non quærit, non conſequitur &c.* Et hic textus extra chorum ſaltat. Nempe agit de timore qui *veniam non quærit*: at Queſnellus, de eo *qui animat pœnitentiam*. Porro: *Nemo agit pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam*. Sequitur etiam Angelus noſter Aquinas 2. 2. q. 20. art. 1. ad 2. dicens: *Ex timore Dei, vel ex horrore pro-*

"Lib. 1. Moral. c. 36. alias 18.

Epiſt. 87.

De pœnit. diſt. 1 c. *Nemo.*

propriorum peccatorum contingit deſperatio; inquantum HIS BONIS aliquis male utitur, occaſionem inde accipiens deſperandi. At vero, hæc Angelici ſententia mactat Queſnellum. *His bonis*, inquit Thomas: timor ergo & horror propriorum peccatorum *bonus eſt*. Igitur ad bonum per ſe inclinat, non ad deſperationem: quæ ſi in timente reperitur, non erit effectus timoris, ſed timentis vitium, qui timore *male utitur; occaſionem inde accipiens deſperandi*, quod ei ad ſalutem datum erat. At Queſnelliana agit de eo, qui timore utitur ad pœnitentiam. Hoc non eſt male uti timore. Denique annectit Cathechiſmum, Concilii Colonienſis auctoritate publicatum *anno* 1536., qui ait: *Impius concepto timore ſervili ex metu ſupplicii, ATQUE IBI CONSISTENS, in deſperationem adigitur; quod videre eſt in Juda proditore*. Utique ſic eſt, nullus hoc negat: ſed dignetur reflectere, rogo & obteſtor auctorem illum quiſquis ſit, Queſnellum agere, non de impio, *qui concepto timore ſervili ex metu ſupplicii*, ibi conſiſtit, ſed cujus timor animat pœnitentiam. Quid ergo commune habet Cathechiſmus ille cum Queſnelliana? Profecto, talia pro Queſnello ſuo adferens Scriptor, oſtendit verum eſſe Chiloni a Plinio attributum apophthegma, *Comitem æris alieni, atque litis, eſſe miſeriam*. Lib. 7. c. 32.

VII. Ex his ſatis apparet auctoritates inductas nihil facere ad propoſitionem Queſnelli: Nempe hic agit de peccatore jam pœnitentiam agente, ſed ex timore ſupplicii: illæ de impio *in concepto timore conſiſtente*, bono illo motu *male utente, veniam non quærente, plus juſto trepidante, qui ex timore occaſionem accipit deſperandi*: quæ

toto

toto cælo ſunt diverſa, uti per ſe patet. Sed nondum apparet ſufficienter virus Queſnellianæ propoſitionis. To *Solus* aſtutè adjectum verum ejus ſenſum obnubilat; dum ſignificare videtur, timorem ſupplicii, ſi voluntatem peccandi non excludat, nec ſpem veniæ adjunctam habeat, ad deſperationem ducere: atque ſi hoc ſolum vellet propoſitio, non æſtimarem eam differre a mox relatis SS. PP. & Conc. Colon. ſententiis. Verum longe alia doctrina latet in hac propoſitione: quam, melius ut capiamus, breviter exponenda eſt propoſitio; quia de numero eſt earum quas Dialectici exponibiles vocant. Sic ergo exponenda venit: *Si ſolus ſupplicii timor animet pœnitentiam* (quod accidit quoties non animatur amore juſtitiæ, ſeu charitate) *hæc eſt violenta & ducit ad deſperationem: & quo hæc pœnitentia magis eſt violenta, eo magis ducit ad deſperationem*. Expoſitionem hanc ex ipſis deſumo Queſnelli principiis. Primò, Queſnellum per amorem juſtitiæ aliud nihil intelligere quam charitatem, patet ex *propoſitione* 44. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones omnes & actiones noſtræ naſcuntur; amor Dei qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus remuneratur* (hic eſt abſque dubio charitas) *& amor quo nos ipſos & mundum diligimus; qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus*. Amor juſtitiæ non eſt amor quo nos & mundum diligimus; eſt ergo ipſiſſima charitas Queſnello. Secundò: Amore juſtitiæ, ſeu charitate) pœnitentiam non animante, non poteſt, juxta Queſnellum, peccator habere voluntatem non amplius peccandi, nec ſpem veniæ concipere. Primum probatur ex *prop. 61. Timor non niſi*

ma-

manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ (id eſt charitate) *non ducitur*. Secundum probatur ex *prop.57. Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes: & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei*, id eſt charitas, uti ſupra probatum manet. Itaque, juxta Queſnellum peccator, ante charitatis adventum, corde adhæret peccato; nec ſpem ullam veniæ habet. Unde, ſi ponitur talis peccator aliquam pœnitentiam agere, hæc eſt violenta; utpote contra voluntatem peccatoris, ab eo qui metum incutit, expreſſa: & *quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem*; quia deficit ei ſpes, quæ ſolum advenit cum charitate. De primo ergo ad ultimum, ſi ſupplicii timor *ſolus* (id eſt, ſine charitate) animat pœnitentiam, pœnitentia violenta eſt & ducit ad deſperationem: & quo hæc pœnitentia magis eſt violenta, eo magis ducit ad deſperationem. Fruſtra fit talis pœnitentia, nec eſt actio chriſtiana, nec chriſtiano modo facta.

VIII. Hic eſt verus, naturalis & obvius ſenſus propoſitionis Queſnelli ſexageſimæ, prout extat in libro *Reflexionum Moralium*. Quantum hæc abhorreant a Doctrina Catholica, nemo non videt. Si enim ita eſt, uti prætendit Queſnellus, dicere debebimus, pœnitentiam ex metu gehennæ, aut conſideratione turpitudinis peccati factam, facere hominem hypocritam & magis peccatorem; niſi adſit charitas, *quam Deus remuneratur, quam ſolam Deus audit, quæ omnia diligit propter Deum, atque ad Deum & Chriſtum refert*: quod abſit, dicamus, niſi velimus Lutheraniſmum amplecti, deſerta fide Romano-catholica. Sic olim inquiebat Lutherus apud Roffenſem: *Contritio*

In Confutatione aſſertionis Lutheranæ, art. 6.

quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis: hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem. Et iterum: *Primum, hoc nemo negabit, contritionem quantumlibet magnam, NISI FIAT AMORE JUSTITIÆ, & in charitate Dei, non eſt vera, ſed ſimulata*. Rurſus: *Omnia, quæ extra charitatem fiunt, nihil, vana, & falſa ſunt .... At contritio per peccatorum collectionem parata, ſine amore Dei & juſtitiæ, hoc eſt, ſine corde conterit, de hac enim locutus ſum: quare neceſſario ſequitur, ut faciat, hypocritam; qui nec volenter, nec amanter conterit in corde ſuo*. Denique: *Ego enim hypocritam aliter definire non poſſum, quam eum, qui id quod facit, non ex animo & ſincero corde facit. Animum autem talem, & cor non dat natura, nec collectio peccatorum, ſed ſola charitas ſpiritus*. Hæc Lutherus Germaniæ olim Deformator. Quam belle iſta conveniant cum doctrina Queſnelli, ex mox repetitis ejus propoſitionibus patet abunde; non inutiliter tamen addimus iſtam, quæ eſt 47. *Obedientia Legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt charitas ... alioquin non eſt niſi hypocriſis & falſa juſtitia*. Sic Queſnellus poſt Lutherum: quos ſequatur qui voluerit.

IX. Interim nos adhærebimus conſtantiſſime, propitio Numine, Concilio Tridentino, contra Lutherum; adeoque contra fidum ejus diſcipulum Queſnellum; ita ſtatuenti. „ Illam contri-

Seſſ. 14. cap. 4.

„ tionem imperfectam, quæ attritio dicitur,

„ quo-

„ quoniam vel ex turpitudinis peccati conſide-
„ ratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu
„ communiter concipitur; ſi voluntatem peccan-
„ di excludat, cum ſpe veniæ (*quod juxta Queſnellum, ut vidimus, fieri haud poteſt, niſi adveniat Dei charitas*) Declarat (*S. Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata*) non ſolum non
„ facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam Donum Dei eſſe, & Spiritûs Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens
„ adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ, per ſe, ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat;
„ tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam
„ egerunt; & miſericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falſo quidam calumniantur
„ Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre: quod nunquam
„ Eccleſia Dei docuit, neque ſenſit: ſed & falſò
„ docent, *CONTRITIONEM* (illam ſcilicet
„ imperfectam) *ESSE EXTORTAM ET COACTAM; NON LIBERAM ET VOLUNTARIAM*. „ Nec contenta Sacroſancta
Synodus, hoc ſimpliciter docuiſſe, quo magis a ſimili doctrina abſtinerent quicumque Catholici, adjecit hoc terribile fulmen, eadem Seſſione can. 5. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritu-*

tudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem; nec præparare ad gratiam: ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: Demum, illam eſſe dolorem COACTUM & non liberum ac voluntarium, ANATHEMA SIT.

X. Fruſtra ergo aliquis, ad excuſandum Queſnellum, diceret: Theologos omnes docere, quod timor, dum in eo ſiſtitur, in deſperationem præcipitat; *Id enim de timore omnino SOLO ac nudo, cui non modo nulla eſt admixta charitas, ſed nec eſt admixta ſpes veniæ, Theologi omnes intelligunt.*
Pag. 61. Verba ſunt *Theol. ſuppl.*: fruſtra, inquam, id dicitur: nam nullus eſt Theologus catholicus, qui aſſerat timorem ſine charitate juſtificante, ſemper eſſe *ſolum* & *nudum*, ſine ſpe & fiducia: nullus dicit timorem ſine amore charitatis, cauſare ſolum pœnitentiam violentam, ducentem in deſperationem; eo fortius, quo timor eſt violentior. Hæc tamen docuit Queſnellus: uti ex verbis ejus probatum manet: nihil veritus ANATHEMA Tridentinum.

§. III.

§. III.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſuræ notatæ.

Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur. Eſt 61. Queſnell. Lucæ 20. v. 19.

Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo. Eſt 62. Queſnell. Matt. 21. v. 46.

XI. Ut breviter nos ab his propoſitionibus expediamus, obſervandum primo: illum qui timore pœnæ a peccato abſtinet, poſſe quandoque in ſe ipſo interius habere voluntatem conditionatam peccandi, ſi nulla pœna ex peccato immineret, aut timenda foret. Certum autem eſt apud omnes Theologos, talem hominem actualiter peccare. Hoc ſignificant dicta illa SS. Patrum, quæ magno numero, abſque ullo fructu congeſſit Auctor *Theologiæ ſupplicis. Auguſtinus*, inquit, Pag. 56.
dicit lib. de natura & grat. cap. 57. Nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi, ſed in ipſa voluntate reus eſt, qui MALLET ſi fieri poſſet non eſſe quod timet; ut libere faciat quod OCCULTE DESIDERAT. Ecce voluntatem illam conditionatam: ibi: *Mallet .... Occulte deſiderat. Epiſt.* 145. *nunc* 144. ad Anaſtaſium, ait Auguſtinus:

n.4. Inimicus juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat. Verum idem Auguſtinus paulo ante jam recitata verba apertius explicat dictum illud ſuum, dicens: *In ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri; ſed ideo non facit, quia impune non poteſt fieri*. Hæc omittit *Theol. ſuppl.* & ſimul quod agat de pœna corporali: nam ſequitur *n.5. Pœna corporis, etſi non a voluntate; tamen revocat ab opere peccati*: Ergo ſermo hîc eſt, de homine habente voluntatem conditionatam. Eodem modo S.Proſper, ibidem adductus, loquitur, *Sententia 117. Eam Deus innocentiam probat, quâ homo, non metu pœnæ, fit innocens, ſed amore juſtitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat cui VULT NOCERE, ſibi tamen plurimum nocet: & abſtinens ab iniquo OPERE, ſola tamen reus eſt VOLUNTATE*. Manifeſte loquitur Proſper de eo, qui timore pœnæ abſtinet ab externo nocumento proximi, cui tamen VULT nocere: adeoque de habente conditionatam peccandi voluntatem. Quod autem neceſſe non ſit, omnem hominem metu pœnæ a peccato abſtinentem, tali modo eſſe interne nocentem, declarant illa prima Proſperi verba: *Eam Deus innocentiam probat, quâ homo, non metu pœnæ, fit INNOCENS; ſed &c.* Supponit ergo quandoque fieri ut homo metu pœnæ fiat certo modo innocens, continendo ſe ab omni peccato, tam actus, quam voluntatis: licet talis innocentia non ſit Deo undequaque probata; ſicut alterius, qui amore juſtitiæ non peccat. At hoc directe etiam pugnat cum propoſitionibus Queſnellianis. Adducit etiam Gregorium dicentem: *Cum adhuc timore bona agit, a malo penitus non receſſit: quia eo ipſo peccat quo PECCARE VELLET*,

ʼLib. 1. Moral. c. 26. alias 11.

LET, ſi inultè poſſet. Id utique verum eſt, propter voluntatem illam conditionatam, quâ *peccare velle* ſupponitur; ſi inulte poſſet. At non dicit Gregorius, aut ullus S. Pater, quod hæc conditionata peccandi voluntas ſemper adſit, quoties aliquis timore pœnæ peccatum vitat, aut bonum agit; ut dixit Queſnellus. Explicatio eſt S. Thomæ, qui ait Auguſtinum *cap. 57. de nat. & grat.* (qui primo loco objicitur a *Theol. ſuppl.*) docere, quod timor *poteſt habere annexam voluntatem peccandi*: Et inde probat, quod *timor ſervilis non eſt numerandus inter dona Spiritus Sancti, licet ſit a Spiritu Sancto*; quod ultimum docet quoque S. Auguſt. Eodem ergo modo interpretanda veniunt alia S. Auguſtini & SS. Proſperi ejuſdem diſcipuli, & Gregorii admiratoris, loca. Nec propterea inferre licet, timorem in ſe malum eſſe, quod compatiatur voluntatem peccandi: ſicut nec fides, nec ſpes informes dicuntur malæ, etſi talem etiam voluntatem non expellant. Ratio utrobique eadem eſt: quia nimirum voluntas illa peccandi non ex timore, nec ex fide aut ſpe oritur, ſed aliunde; ſcilicet ex amore inordinato boni creati.

2. 2. qu. 19. a. 9. c.

De grat. & liber. arb. c. 18

XII. Scio varios eſſe Theologos, qui ſuſtineant, talem conditionatam peccandi voluntatem, adeſſe in peccatore, ſaltem ſecundum habitum, licet non ſemper ſecundum actum, quoadusque peccator amore juſtitiæ, id eſt charitate late dicta, imperfecta, non juſtificante per ſe, nec peccata remittente ducatur. Sed longiſſime id abeſt ab errore, quem in his propoſitionibus docet Queſnellus. Pro cujus intelligentia noto ſecundo, & repeto ex antedictis: Quod amor ju-

ſtitiæ Queſnello aliud ſit nihil, quam charitas juſtificans, quâ homo Deum propter ſe diligit; ac omnia in Deum refert. Hoc, præterquam habeatur ex *propoſitione* 44. *Non ſunt niſi duo amores &c.* præcedenti §. adducta, probari rurſus poteſt hoc modo: Amor juſtitiæ, quem requirit Queſnellus ad excludendam omnem voluntatem peccandi, haud dubie non habetur abſq; divina gratia: At juxta ejuſdem Paſchaſii *propoſitionem* 28. *Prima gratia quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*; quæ non habetur ſine gratia ſanctificante, & charitate &c. requirit igitur damnatus auctor, ad excludendam omnem peccandi voluntatem amorem juſtitiæ, id eſt, charitatem Dei, gratiamque ſanctificantem. Sed quis, obſecro, Sanctus Pater, quis Theologus catholicus tale quid requirit? Huc attentè, & ſereno animo ſi attendere velit Auctor *Theol. ſuppl.* deſinet timere, ne ſub Queſnelli corio vapulare putentur laudati Patres, ac boni quique recentis ſcholæ magiſtri: clareque perſpiciet una cum Queſnello rurſus damnatos Lutherum & Calvinum; quorum primus apud Roffenſem: *Omnia enim quæ extra charitatem fiunt, nihil, vana, & falſa ſunt.* Secundus vero in *Antidoto ad Seſſ. 6. Trid. cap. 25. Dei judicio nihil eſt ſincerum, nec probum, niſi quod ex perfecto ejus amore manat.*

Confut. Aſſertionis Lut. art. 6.

XIII. Quia vero etiam inducit S. Thomam 1. 2. q. 107. *art.* 1. (non 10.) *ad* 2. dicentem. *Propter hoc lex vetus dicitur cohibere manum non animum: quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas a peccato recedit, SICUT recedit voluntas ejus, qui amore juſtitiæ abſtinet a peccato*: notandum, quod S. Thomas

ibi

ibi loquatur comparativè : *SICUT* , inquit , atque hoc veriſſimum eſt , quod non eodem modo recedat a peccato qui non peccat formidine pœnæ , SICUT ille qui non peccat amore juſtitiæ ; quippe amor juſtitiæ excludit per ſe voluntatem peccandi : timor pœnæ poteſt habere adjunctam peccandi voluntatem;atque ob hanc rationem negat S. Thomas timorem ſervilem eſſe *donum* Spiritus Sancti,uti *n. præced.* dictum eſt:quamvis ibid. etiam doceat timorem ſervilem , ſecundum ſubſtantiam ſuam bonum , & a Spiritu Sancto eſſe.

XIV. Nec eſt omittendum S. T. loco nobis objecto (idem eſt de aliis PP.) loqui de timore pœnarum corporalium hujus ſæculi , vel a lege veteri comminatarum , quæ ſolum infliguntur , propter opera externa : & ideo per ſe valet talis timor ad cohibendam manum . Hoc ita eſſe , patet ex ipſo textu S. Thomæ , qui ponens differentiam inter legem veterem ac novam : *Dicendum* , ait, *quod omnes differentiæ inter novam legem & veterem , accipiuntur ſecundum perfectum & imperfectum : Præcepta enim legis , cujuſcumque dantur de actibus virtutum . Ad operanda autem virtutum opera , aliter inclinantur imperfecti , qui nondum habent virtutis habitum ; & aliter illi , qui ſunt per habitum virtutis perfecti. Illi autem qui nondũ habent habitum virtutis , inclinantur ad agendum virtutis opera ex aliqua cauſa extrinſeca , puta ex comminatione pœnarum, vel ex promiſſione aliquarum extrinſecarum remunerationum .... Illi autem qui habent virtutem , inclinantur ad virtutis opera agenda , propter amorem virtutis , non propter aliquam pœnam , aut remunerationem extrinſecam .* Deinde paucis interjectis , ſequuntur verba objecta . Auguſti-

guſtinus quoque *Epiſt.* 145. *alias* 144. *ad Anaſtaſium num.* 5. clarius explicans quis ſit ille timor, quem dicit nonniſi *manum cobibere*, ait: *Pœna corporis, etſi non a voluntate, tamen revocat ab opere peccati. Nec facile quiſquam eſt qui palam committat, quo illicitam & immundam percipiat voluptatem, ſi cruciatus vindictæ certum eſt continuo ſequuturos.* Quid autem hæc ad timorem gehennæ, quam fide tenemus paratam pro ſolo peccato voluntatis? An is minus eſt efficax ad excludendum omne id quo incurritur damnatio gehennæ, quam ſit pœna temporalis, ad excludendum peccatum externum? Sed ut magis pateat immenſo intervallo S. Thomam a Queſnello abeſſe, en locum, ubi docet S. T. timorem ſervilem etiam ad

1. 2. qu. 43. art. 1. ad 1. ſpem & amorem inducere. *Dicendum... quod timor per ſe, & primo, reſpicit malum quod refugit, quod opponitur alicui bono amato; & ſic per ſe timor naſcitur ex amore. Secundario vero reſpicit ad id per quod provenit tale malum; & ſic per accidens quoq; timor inducit AMOREM inquantum ſcilicet homo, qui timet puniri a Deo, ſervat mandata ejus;* (quæ peccandi voluntatem, nedum actum vetant externũ) *& ſic incipit ſperare, & ſpes introducit Amorem.*

Ser. 13. de verbis Apoſt. XV. Præiverat S. Thomæ Auguſtinus: *Timor*, inquiens, *ſervus eſt caritatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ.* Item Serm. 14. de temp. *Cum per timorem pœnæ bona vita retinetur; per bonam vitam bona conſcientia comparatur; ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur. Quapropter diſcat timere, qui non vult timere.* Ne vero dicatur (undique enim rimas quærunt) non loqui

loqui Auguſtinum de timore ſervili, en tertium locum, quo occluditur huic evaſioni ſpes omnis: *Adhuc timor ille ſervilis eſt, cuſtos quidem malorum, ut abſtineant ſe a malis* (quibuſcumque, ſive externis, ſive internis: mox enim ſequitur) *Et abſtinendo digni ſint ad ſe admittere CHARITATEM*: & alibi: *Sicut ſeta introducit filum, ita timor introducit charitatem*. An dignus admittere charitatem, qui non niſi manum cohibet, cor autem peccato addictum habet? Serm. 18. de verb. Dom. c. 12. Refertur de pœnit. diſt. 2. c. 117.

XVI. Hæc ſufficere poſſunt circa utramque propoſitionem: unus enim & idem ineſt eis ſenſus: quamvis ſecunda, ob interjectam vafrè particulam *NISI*, aliquatenus ſit involuta. Sed videantur ea quæ §. immediatè præcedenti circa *To SOLUS* dicta ſunt, & diſſipabitur nebula omnis: patebitque clare, ly *NISI*, uti *SOLUS*, excludere principaliter charitatem juſtificantem: ita ut ſenſus naturalis & obvius hujus propoſitionis, ut extat in libro *Reflex. Moralium*, ſit: *Qui a malo abſtinet; niſi ex charitate juſtificante; illud committit in corde ſuo; & jam eſt reus coram Deo*. Unde anathematizata pridem fuit hæc prop. *Seſs. 6. Trid. can.* 8. *Si quis dixerit gehennæ metum . . . peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, Anathema ſit*. Enimvero quod ipſum abſtinere a malo, malum ſit hominemque reum conſtituat coram Deo, naſci haud poteſt, niſi ex eo, quod mala quædam radix in eam abſtinentiam influat: at hìc ſupponitur, aliud nihil in eam influere præter timorem gehennæ: hìc ergo malus Queſnello ſit oportet: peccatoreſque peiores facere neceſſe eſt; & quia in ſe malus, ac etiam quia mali, id eſt, illius abſtinentiæ, quâ reus fit homo coram Deo, cauſa eſt. Pag. 352.

eſt. Hoc confirmatur ex propoſitione 67. *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.* Unde juxta regulas noſtras 1. & 2. *pag.* 40. & 41. aſſignatas, juſtiſſime damnatæ. Id ipſum ulterius confirmatur §. ſequenti.

§. IV.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ſolo timore. Eſt. 63. Queſnell. Rom. 6. v. 14.

Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando. Eſt. 64. Queſnell. Galat. 5. v. 18.

Pag. 63. XVII. Auctor *Theologiæ ſupplicis* multis probat differentiam, ab omnibus Patribus ac Theologis agnitam, & in omnium libris extantem, veteris legis ac novæ. Notum eſt omnibus illud Apoſtoli *ad Rom.* 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore* (uti Judæi ſub Moyſe) *ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*: & ſimilia plurima, quæ obvia ſunt in Bibliis: hæc, inquam, palam ſunt omnibus litteratis. Rurſus conſtat ex Augnſtino, *Serm.* 3. *de*

Agar,

Agar, ſano ſenſu dici poſſe, multos chriſtianorum potius pertinere ad veterem legem; uti multi, ſub veteri lege mortui, dicuntur pertinuiſſe ad legem novam: utique attento ſpiritu quo aguntur. Hoc ita explicat, loco citato, Auguſtinus. *Interrogentur Chriſtiani, ſi modo nulli ſunt tales, CARNALITER ſperantes de Domino, & propter hoc Domino ſervientes. Tales ad vetus Teſtamentum pertinent.* Et lib. *de nat. & grat. cap.* 57. *Sub lege eſt, qui timore ſupplicii, quod Lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati . . . . . . inquantum quiſque ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege.* Cui accinit S. Thomas (citatus in *Theol. ſuppl.*) 1. 2. q. 107. *a.* 1. *ad* 2. & 3. & in *comm. ad cap.* 13. *Joan. lect.* 7. dicens: *Duplex eſt ſpiritus, ſcilicet vetus & novus. Vetus quidem eſt ſpiritus ſervitutis, novus autem ſpiritus amoris: ille generat ſervos, hic filios adoptionis.* Hæc libentiſſime admitto: ſolumque monitos velim lectores, ut attendant in ſecunda authoritate Auguſtini diſtinctè ſermonem eſſe, de abſtinente *ab opere peccati*, non etiam a voluntate peccati; idque ex timore ſupplicii; non qualiſcumque, ſed, *Quod Lex minatur*, *i. e.* temporalis, infligendi ob ſolum peccatum externum: ut enim obſervat S. Thomas: *In nova lege prohibentur interiores motus animi, qui expreſſe in veteri lege non prohibebantur in omnibus; etſi in aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis pœna non apponebatur.* In prima autem, nota, carnaliter.

Pag. 63.

1. 2. qu. 107. a. 4. c.

XVIII. Quid ergo! An conſentimus hîc Queſnello ?. Minime. Longiſſime diſtamus, prout mox oſtendam, ubi, ſub certa limitatione, prius pulchram illam doctrinam, quam hîc adducit Auctor *Theol. ſuppl.* nobis vendicavero: ſicque oſten-

oſtendero nihil me contra ipſius perſonam, aut ſanam quam hinc inde habet doctrinam; ſed contra ejus, ut mitiſſime dicam, hallucinationes habere. Dicit ergo, & nitidiſſime explicat, qualiter intelligi debeat differentia novam inter & veterem legem, jam jam aſſignata. En verba Auctoris: *Hac vero duplicis Teſtamenti diſtinctio, duplicisque in alterutro regnantis ac dominantis ſpiritus differentia, timoris videlicet & amoris, ab Apoſtolo, ejusque fidis interpretibus toties inculcata ac prædicata, non ſic a Theologis intelligitur, quod nulla in veteri Teſtamento charitas eſſet, quâ juſti illius ætatis ac Sancti ducerentur ac moverentur*; (gratiam non reſtringo ad juſtos ac ſanctos in veteri lege, ut poſtea dicetur:) *nullusque vice verſa in novo teſtamento ſit timor, quo præcepta nunc aliqua ſecundum ſubſtantiam ſaltem impleri poſſint, & peccata pariter aliqua devitari: ſed quod charitas ita propria novi Teſtamenti ſit nota, propriusque character, ut & baptizatus, ſolo timore ductus, in Judaiſmo dicatur eſſe, ſecundum ſpiritum; etſi non ita ſecundum ritus Sacramentales & ſtatum: timorque viciſſim ita veteris Teſtamenti nota fuerit, ut ipſe etiam circumciſus, ſi charitate tunc duceretur, in chriſtianiſmo cenſeretur eſſe ſecundum ſpiritum; etſi non ita perinde ſecundum ſtatum, ritusque Sacramentales*. Hæc omnia, ſub inſerta limitatione, lubens admitto: eoque lubentius, quod ex SS. Eccleſiæ PP. ac DD. Auguſtino & Thoma, ſint deprompta, dicente primo: *Sicut in Sacramentis veteris Teſtamenti vivebant quidam ſpirituales, ad novum ſcilicet teſtamentum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes; ſic & nunc in Sacramento novi Teſtamenti, quod jam revelatum eſt, plerique vivunt animales;*

Pag. 64. in fine.

Lib. 1. de Bapt. ca. 15.

males ; qui proficere SI NOLUNT (uti haud dubie poſſent) *ad percipienda quæ ſunt Dei, ad vetus teſtamentum pertinebunt*. Dixi, uti haud dubie pòſſent: nam ita ſe explicat Auguſt. *Qui enim ſervare legem NON VULT, in poteſtate ejus eſt, ſi velit. Non enim dixit, non potuerunt, ſed NOLUERUNT. Hoc ergo, quod in eorum voluntate eſt, ut NOLINT, peccatum eſt certe ſine ulla neceſſitate*. Secundus vero 1. 2. q. 107. a. 1. ad 3. ita ſcribit: *Dicendum, quod lex nova dicitur lex fidei, inquantum ejus PRINCIPALITAS conſiſtit in ipſa gratia, quæ interius datur credentibus, unde dicitur gratia fidei: habet autem SECUNDARIO aliqua facta & moralia & Sacramentalia: ſed in his non conſiſtit PRINCIPALITAS legis novæ, ſicut PRINCIPALITAS veteris legis in eis conſiſtebat. Illi autem qui in veteri teſtamento Deo fuerunt accepti per fidem, ſecundum hoc ad novum Teſtamentum pertinebant. Non enim juſtificabantur niſi per fidem Chriſti, qui eſt auctor novi Teſtamenti. Unde & de Moyſe dicit Apoſtolus ad Hebr.* 11. *quod majores divitias æſtimabat theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti*. Ubi notanda veniunt verba majuſculis litteris expreſſa, quæ ſtatim in telum contra Queſnellum convertemus.

Lib. 2. de Act's cũ Felice Manich. cap. 5.

XIX. In illis ergo, ut dixi, fere conſentio Auctori *Theol. Supplicis*: qui ſi exiſtimat in illa diſparitate legis veteris & novæ totam vim Queſnellianæ theſis conſiſtere, turpiſſime hallucinatur. Non in illa diſparitate, ſed contra in paritate, quam propoſitio illa conſtituit, Judæum inter & Baptizatum, timore ductum, totum virus, ſi bene video, conſiſtit. *Baptizatus eſt... ſicut Judæus; ſi legem non implet, aut impleat ſolo timore*. Et quomodo

modo eſt Judæus ſub lege? Explicant hoc nobs *propoſitiones 6. & 7. Queſnelliana*: In fœdere Judaico *Deus exigit fugam peccatorum, & implementum legis a peccatore, RELINQUENDO ILLUM IN SUA IMPOTENTIA*. In veteri fœdere, Deus hominem *reliquit EJUS PROPRIÆ INFIRMITATI, imponendo ipſi ſuam legem*: hoc eſt, unico dictum verbo, obligabat Deus hominem ad impoſſibile. Impoſſibile enim eſt, juxta Queſnellum fugere peccatum & implere legem ſine gratia neceſſitante: (quod probatum eſt *cap. 5. §.5. & 6. a pag.186.*) quam non habet homo *relictus in ſua impotentia, aut ejus propriæ infirmitati*. Si ergo ita ſe habet homo baptizatus, qui legem non implet, aut implet ſolo timore; erit quoque iſte obligatus ad impoſſibile: imo, uti ſecunda propoſitio hujus §. habet, erit neceſſitatus ad peccandum, *ſub maledicto legis nunquam fit bonum: quia peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando*. Itaque juxta has duas propoſitiones; Baptizatus ſi legem non impleat, aut impleat ſolo timore, nunquam facit bonum: *quia peccat ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando*: hoc eſt talem baptizatum eſſe *ſub lege SICUT Judæus*. Hæc adeo horrida ſunt, ut operoſa refutatione haud egeant: præſertim quod non dubitem quin Auctor *Theol. ſupplicis* talem doctrinam execretur; & infra de hoc puncto iterato ſimus acturi. Finio ergo hunc §. reflexione ſequenti, videlicet: Non repugnare ſtabilitæ ex Scripturis, & SS. Auguſtino & Thoma differentiæ, Synagogam inter & Eccleſiam, quod licet Lex vetus in ſe vim non haberet conferendi gratiam, prout Sacramenta

no.

noſtra habent; Deus tamen pro ſua benignitate gratiæ ſuæ participes fecerit, etiam Judæos, quâ legem ſibi datam implere poſſent. Et ratio eſt quam aſſignat S. Thomas verbis ſupra allatis: quia diſparitas ſolum attenditur penes *principalitatem*, ſive penes id quod *præcipuè* relucebat & relucet in veteri & nova lege. Id autem in veteri erant minæ & terrores, incutientes timorem: in nova, gratia & charitas, moventes ad juſtitiæ amorem. Sed ſicut illud quod eſt *principale* in nova lege, non excludit omnino timorem, cum Chriſtus ſæpe timorem audientibus Verbum incuſſerit, *Luc.*12.*v.*5. & alibi ſæpius; ita quoque *principalitas* timoris, qui erat character veteris legis, non excludebat omnino gratiam. Sed de hoc mox plura.

§. V.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Qui vult Deo appropinquare non debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem ſicut beſtiæ: ſed per fidem & amorem ſicut filii. Eſt 66. Queſnell. Hebr. 12. v. 20.

Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum,

injuſtum, *intractabilem*. Eſt 67. Queſnell. Luc. 19. v. 21.

XX. Dixit Clemens XI. in Bulla *Unigenitus*, librum *Reflexionum Moralium non uno quidem aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tum pridem damnatis, quam etiam nove adinventis erroribus* gravidum eſſe. Hujus poſterioris generis mihi videtur eſſe propoſitio ſexageſima ſexta. Ecquis enim unquam ita deſipuit, ut prohiberet infirmis medicum accerſere; a Deo attractum, accedere; timore perculſum, ad potentiſſimum confugere? Hæc tamen omnia ſimul vetat dicta Queſnelliana. *Qui vult Deo appropinquare*, inquit, *non debet ad ipſum venire CUM brutalibus paſſionibus*. Non dicit, *Brutalibus paſſionibus*, ſed *cum brutalibus paſſionibus*. Brutalibus paſſionibus certè non acceditur ad Deum, ſed receditur: ſed *cum* brutalibus paſſionibus ire ad Deum, non eſt magis inconveniens, quam cum infirmitate accedere ad medicum: quod ſane conſultiſſimum eſt ac prudentiſſimum. *Neque adduci per inſtinctum naturalem*, id eſt, per inſtinctum qualemcumque, fide formata charitate, priorem: nempe totum id Queſnello eſt naturale, quod fidem formatam præcedit, ut ſtatim probabitur: itaque neque per fidem, aut ſpem informes adduci debemus ad Deum, juxta hunc novum dogmatiſtem: *Aut per timorem, ſicut beſtiæ*. Quid rationabilius, quam timentem ad potentiorem, imo potentiſſimum confugere, qui eum ab imminentibus malis poteſt liberare? Non debet, ait Queſnellus, quia hoc eſt beſtiarum. Mirum profecto

ſto quod non vetuerit manducare & bibere(quod etiam beſtiæ faciunt) *ad majorem Dei gloriam*, uti Paulus præſcribit.

XXI. Auctor *Theol. Suppl.* ad hanc propoſitionem ita perorat: *Stultum profectò, ac etiam impium fuerit exiſtimare, propoſitionem hanc ſecundum ſe totam, ac juxta integrum ſignificatum fuiſſe a Clemente damnatam*. Hujus rationem aſſignat verbis ſequentibus. *Sic enim*, proſequitur, *illius contradictoriam, ex Dialectica lege, ſtatuiſſet ac definiviſſet*:nempe: „ Qui vult Deo appropinquare,debet ad eum venire cum brutalibus paſſionibus: debet adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicut beſtiæ, non per fidem & amorem ſicut filii: quo quid horrendum magis atque blaſphemum? „ Inſignem enimvero dialecticum! Scire velim ex ipſo, an, ſi Aſtronomus dicat: *Canis non latrat*: Phyſicus vero: *Canis latrat*; hæ duæ propoſitiones ſint contradictoriæ? Negabit haud dubie: quia de alio & alio cane duo iſti loqui noſcuntur. Sic eſt in caſu præſenti. Nam Auctor illius prætenſæ contradictoriæ per inſtinctum naturalem & timorem intelligere debet (ſi habere velit ſenſum ſtultum & impium) motus merè naturales, præcedentes nimirum omnem Spiritûs Sancti impulſum, ſive inhabitantis, ſive moventis tantum: Queſnellus vero intelligit omnes motus præcedentes impulſum Spiritus S. inhabitantis per fidem charitate formatam. Conſtat hoc ultimum, tum ex ipſis propoſitionis 66. verbis: *ſed per fidem & amorem SICUT FILII*: tum ex eo quod juxta *prop. Queſnell.* 51. *Fides non operatur, niſi per charitatem*: at vero in eo qui accedit fide ad Deum, fi-

Pag. 70.

des haud dubie operatur ; habet ergo adjunctam charitatem. Si ergo nullus poteſt appropinquare Deo, niſi veniat per fidem talem, ſenſus *propoſitionis 66.* erit : *Qui vult Deo appropinquare non debet venire niſi per fidem charitate formatam, non per quoſcumque alios motus hanc fidem præcedentes; quia illi ſunt naturales, & beſtiis etiam conveniunt;* quod falſum eſſe & erroneum, non negabit Auctor *Theologiæ ſupplicis*.

XXII. Vera ergo contradictoria illius damnatæ, in ſenſu Queſnelli, uti debet, acceptæ, erit hæc aut ſimilis aliqua: *Qui vult Deo appropinquare non debet expectare donec habeat fidem charitate formatam: ſed debet accedere quocumque modo poteſt, ſive per fidem, timorem, ſpem, etſi informes; etſi ſe ſentiat adhuc eſſe cum brutalibus paſſionibus.* Hocne ſtultum eſt & impium? Immo eſt pium, eſt catholicum, eſt evangelicum. *Venite ad me omnes*
Matt.11. *qui laboratis & onerati eſtis*, inquit piiſsimus noſter Samaritanus, *& Ego reficiam vos.* Attende quoque quid filium prodigum moverit ut acce-
Luc. 15. deret ad Patrem: in ſe reverſus dixit: *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam: Pater, peccavi in cælum, & coram te &c.* Et quid tandem Paulum movit ut exclamaret, *Quis es Domine?* Et: *Quid me vis facere?* Nonne ſubitus terror ac metus? *Subito circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terram audivit*
Act. c.9. *vocem . . . Et tremens ac ſtupens dixit: Domine quid me vis facere.* Quid agis Paule! Nonne ſcis quod qui vult Deo appropinquare, non debet venire *per timorem ſicut beſtiæ*? Et tu fili prodige, quod nemo debet venire *cum brutalibus paſsionibus*;

ne-

neque adduci per inſtinctum naturalem? Hæc illis dicturus erat Queſnellus: hæc modo inculcata vellet peccatoribus. Verum reſpondet illi *incarnata Veritas. Matt. 9. Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Euntes autem diſcite, quid eſt: miſericordiam volo, & non ſacrificium? Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Et cap. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi; qui clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* Quod ſi expectandum foret, ad accedendum ad Deum, donec uſque habeatur fides charitate formata, non jam peccatores, ſed juſti accedere poſſent: quod iis Evangelii verbis non cohæret.

XXIII. Si autem huic primæ propoſitioni ſecundam adjiciamus, patebit fallax ratio, quæ Queſnellum movit ad ſentiendum, quod non poſsimus Deo appropinquare per timorem, quodque omnis omnino timor ſervilis in ſe ipſo malus ſit; ſicque omnia, in quæ influit, inficiat; etiam ipſam a peccatis abſtinentiam. *Timor ſervilis*, inquit, *non ſibi repræſentat Deum, niſi ut dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem*. Scilicet, cum ſervus ille nequam, qui minam ſuam repoſitam referebat in ſudario, dicat: *Timui enim te, quia homo auſterus es, tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti*; putavit Queſnellus omnem omnino timorem, talem ſibi Deum facere, auſterum, durum, intractabilem, imperioſum, injuſtum: quod ſi verum foret, non poſſet non eſſe malus timor ſervilis omnis: quia faceret ideas Deo prorſus indignas; imo blaſphemas. Id autem ſenſiſſe Queſnellum manifeſtè conſtat ex ipſa prop. damnata 67. his verbis conce- Luc. 19. v. 21.

 pta

Ed.1695. pta in verſione latina *Reflexionum Moralium* ad illum locum *Lucæ* 19. *Nullam de Deo ideam format charitas, quæ digna non ſit ejus bonitate atque miſericordia: eſtque parata ſemper in ipſo ſperare, atque ipſi laborare. Timor ſervilis tantummodo eum ſibi repræſentat ut Dominum durum &c: ut propriam tegat ſocordiam, ut libere contra ipſum murmuret, & contra ejus juſtitiam ſeſe tueatur.*

XXIV. Cum autem arbor mala non poſſit bonos fructus facere, inde ſequiur omne id, cujus timor hic cauſa eſt, ac in quod influit, malum eſſe. Ipſum ergo abſtinere a peccato, fugere occaſiones peccati, & quidquid fit ex timore ſervili, peccatum eſt, peccatoremque peiorem facit, tantum abeſt, ut ad juſtificationem diſponat: niſi velit Queſnellus, hominem actu peccando diſponi ad juſtificationem; quod abſurdiſſimum eſſe, nemo negabit. Hæc doctrina facit peccatorem perplexum: ſive enim faciat malum, ſive abſtineat ex timore ſervili, nunquam bene operabitur, ſed ſemper peccabit. Faſſus hoc eſt Queſnellus, de homine ſub maledicto legis conſtituto, *propoſitione 6*: ſed neceſſario ex ejus principiis idem ſequitur de peccatore, ſub lege evangelica conſtituto: nec ullam rationabilem diſparitatem aſſignāre poterit quiſquam, ſuppoſitis Queſnelli principiis, inter unum aut alium hominem; præſertim cum juxta ipſius *prop. 63. Baptizatus adhuc ſit ſub lege SICUT JUDÆUS, ſi legem non impleat, aut impleat ſolo timore*. De utroque ergo eodem modo philoſophandum eſt.

XXV. Hæc operoſe refutare operæ pretium non eſt, cum cuilibet Theologo catholico, ſimilia directe opponi Tridentino, notum ſit. Legatur

tur *cap. 6. Seſſionis 6.* Item *canon.* 8. ejuſdem ſeſſionis, videbitur nedum hæc doctrina anathematizata; ſed inſuper turpiter Queſnellum erraſſe, ſaltando de ideis Dei bonitate atque miſericordia dignis, ad ideas in Deum blaſphemas: cum *Trid. cap.* 4. aliam ideam aſſignet, puta, *divinam juſtitiam* punientem peccata: eam in nobis excitare timorem ſervilem aſſerit S. Thomas T. 2.2. *q.* 19. *a.* 1. *ad* 2. bonumque hunc eſſe, quantum ad ſubſtantiam, uti docet ibidem *a.* 4. *c.* quid vetat?

REFLEXIO QUINTA.

XXVI. Quæ huc uſque dicta ſunt, abunde oſtendunt Queſnellum in articulum ſextum Lutheri, a Leone X. primum, tum etiam a Tridentino damnatum, lapſum eſſe: Contritionem quæ paratur per ponderationem amiſſionis æternæ beatitudinis, & acquiſitionis pœnæ æternæ, hominem facere hypocritam & magis peccatorem. Hanc doctrinam quæ ſequatur pernicies, ſatis, me tacente, unuſquiſque colligere poterit. Quid aget peccator charitate Dei privatus? Perſeverabit in peccatis? Abſtinebit, ne aggravet ſibi damnationem? Utrumvis faciat peior fit, deterior evadit. Hac ergo doctrina inſtructi ſimplices, & ſcrupuloſi exanimabuntur; ut ne tentent quidem reſurgere: liberioris vero vitæ homines, deliciis & voluptatibus dediti, quos ſua vitia alioquin plus ſatis delectant, quid fraudamus nos, inquient, cupitis voluptatibus? cur iniqui eſſe volumus in nos ipſos, affligendo nos ante tempus; præſertim cum nihil nobis ſtudium noſtrum profuturum ſit, nec aſſequi poſſimus viribus quibus inſtructi ſumus,

Seſs. 14. de Sacr. Pœnit. can. 5.

ut redeamus in ipſius gratiam? Expectabimus, donec Deus inſtillet nobis vivum charitatis ac fidei ſenſum: equidem peccamus abſtinendo ex timore, amore proprio &c. Itaque laxemus habenas concupiſcentiis noſtris: Deo æque facile eſt liberare nos commiſſionis, & omiſſionis peccatis. Orabimus ut charitatem ſuam infundat nobis? Sed oratio noſtra novum eſt peccatum, quodque Deus nobis orantibus concedet, novum erit in nos judicium.

XXVII. Quid ergo impediet eos ne manibus & pedibus ſibi accerſiant mortem, æternamque damnationem aggravent dicentes: *Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ ..... Venite ergo fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioſo & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum ſit exors luxuriæ noſtræ: ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt ſors.* Hæc & ſimilia alia, prout cuilibet ſuggeret ſua paſſio, fructus ſunt, quos ex Queſnelli doctrina expectare poſſumus, dicente Auguſtino alibi: *Deſperatio in peccatis perdere ſe putat, ſi quid non fecerit, quod inſtigat libido*: ut merito de Queſnelli hac doctrina dici poſſe videatur, quid quidam gallus poëta de laxiori morali olim ſcripſit: eſſe, ſcilicet

Sap. 2. v. 1.

La plus affreuſe & terrible moral,
Que Lucifer aſſis dans ſa chaire infernal,
Vomiſſant contre Dieu ſes horribles ſermons
Ait jamais enſeignè aux novices Demons.

Quod latine ſic fere ſonat

Queſnelli moralis, eſt lex infernalis
Lucifer novitios, qualem docet Dæmones.

Hæc, inquam, meritiſſime Queſnellianis *Moralibus reflexionibus*, quæ non niſi deſperationem generant, aptari valent.

XXVIII. Ut vero clarius pateat, quantum Queſnellus hîc a S. Auguſtino recedat, quaſdam ſententias, ex indice noviſſimæ operum ejus editionis attexere, viſum eſt non inutile, cum ſuis citationibus. Prior numerus Tomum, ſecundus columnam, littera alphabeti locum columnæ indicat. Timor pœnæ non eſt malus. *Tom*. 5. 778. *lit. f.* Timor gehennæ bonus eſt & utilis, licet non ſit caſtus. 4. *Tomo*, 1441. *b.* Timorem utilem Deus inſerit 2. *p.* 3. *tomi*. 830. *g.* Timor utiliter adhibetur ad impediendum ne male fiat. 2. *T*. 112. *d.* Timor pœnæ ducit ad amorem juſtitiæ 2. *p*. 3. *Tomi* 575. *d.* Timor pellit conſuetudinem malorum operum, & ſervat caritati locum. 2. *Tomo* 439. *a.* Cum per timorem continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ: incipit quod durum erat amari. 4. *Tomo*. 1691. *f.* Fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ; veniet Domina, ſervus abſcedet. 5. *Tomo* 756. *e.* Timor Dei primus ad ſapientiam gradus 1. *p*. 3. *Tomi*. 22. *a.* 5. *Tomo* 1340. *f. & ſeq.* Sicut meliores ſunt quos dirigit amor, ita plures ſunt, quos corrigit timor. 2. *tomo* 651. *g.* Timor pædagogus ſit, non in te remaneat, ſed te ad caritatem, quaſi ad magiſtrum perducat 5. *Tomo* 1348. *c.* Timor pœnæ, quidam cuſtos, & quaſi pædagogus eſt legis. 5. *tom*. 779. *a.* cuſtodiat te, & perducat ad dilectionem. *Ibidem*. Timor quaſi locum præparat caritati 62. *p. tomi* 3. 888. *b.* Timor pœnæ ſervus eſt caritatis 5. *tom*. 756. *c.* Ne poſſideat

deat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet Dominæ venturæ locum. *Ibidem.* Timor medicamentum, caritas ſanitas 2. *parte tomi* 3. 888. *g.* Caritas foras mittit timorem; ſed timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii. 6. *Tomo* 360. *c.* Timorem ſervilem foras mittit caritas 2. *tom.* 441. *b.* Timore pietas inchoatur, caritate perficitur. 1. *tomo.* 758. *c.* Quod autem alibi inimicum juſtitiæ dicat, qui pœnæ timore non peccat, intelligendum eſt, de eo qui ſic abſtinet ab opere peccati, ut interius ſervet conditionatam peccandi voluntatem, quæ communiter comitari ſolet timorem pœnarum ab homine infligendarum, ob ſolum delictum externum. Hinc SS. Patres, de hoc timore loquentes, ſæpe aſſerunt, timorem manum cohibere, non animum: inimicum eſſe juſtitiæ, qui pœnæ timore non peccat; & multa ſimilia, quæ Queſnelliani avide arripientes, pro Patriarcha ſuo, & nominis ſui auctore, in Romano-catholicos, imbelli ictu, torquent; ſed ab his nullo negotio, id eſt, præmiſſa adhibita explicatione, ſano & vero ſenſu exponuntur. Non enim duæ ſolummodo ſunt timoris ſpecies, ut quidam aſtute inſinuant; ſed uſque ad quatuor enumerat S. Thomas 2. 2. *q.* 19. *a.* 2. filialem, initialem, ſervilem & mundanum. Filialis & initialis ſemper bonus; mundanus ſemper malus: ſervilis ſecundum ſubſtantiam bonus, aliquando malam ſervilitatem adjunctam habet.

CAP.

CAP. VIII.

De diſcrimine antiqui, & novi fœderis.

§. I.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Diſcrimen inter fœdus Judaicum & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccatorum & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto vero Deus peccatori dat quod jubet, illam ſua gratia purificando. Eſt. 6. Queſnell. Rom. 11. v. 27.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ vero felicitas non eſt, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit a nobis? Eſt. 7. Queſnell. Hebr. 8. v. 7.

I. SUnt qui reflectant, ut alibi dictum, nullam eſſe hæreſim, quæ in malè efformatam Dei ideam, citius aut ſerius, non impegerit. Id Queſnello etiam accidiſſe ex his propoſi-

poſitionibus apparere poteſt: quæ Deum nobis repræſentant durum, injuſtum, barbarum; exigentem ſcilicet ab homine id, quod implere non poteſt. Hoc tanto plus mirandum, quod Auguſtinus; cujus ſe Queſnelliani ad ravim diſcipulos clamant; exiſtimaverit fieri non poſſe, ut ullus catholicus tale quid de Deo auderet cogitare: *Quis catholicus*, inquit, *dicat, quod nos dicere jactitant*, (Pelagiani) *Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri teſtamento non fuiſſe*? Rurſus: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt*:,, Non juberet Deus quod ſciret non poſſe ab ,, homine fieri,,. *Quis hoc neſciat*? Ecce tamen Queſnellus audet hoc negare, docendo Deum in veteri Lege reliquiſſe homines in ſua impotentia, imponendo eis nihilominus ſuam legem. Non ergo legit *Lib. de fide contra Manichæos*: *Quis enim non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere; & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere? Et has injuſtitias, & iniquitates, miſeri*, Queſnelliſtæ, *non intelligunt Deo ſe adſcribere*! Dicentne hæc non eſſe Auguſtini, ſed Evodii? At virtute idem ſonant verba Auguſtini mox recitata. Et quid dicent ad hæc & ſimilia Scripturæ verba. *Levit.* 18.5. *Cuſtodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis*? Forte ironiam hîc fingunt? Sed ea eſt Lutheri ad ſimilem locum blaſphemia: *iſtam particulam intelligo per ironiam*: apud Richardum Smith *collatio doctrinæ pag.* 548.

Lib.3.ad Bonif. c. 3. De grat. & lib.arbit. c.16. In appendic. tomi 8. apud Auguſti.

II. Certe plurimos fuiſſe veteris legis tempore, qui mandata ſervaverint, omneſque ſervare illa potuiſſe, indicant ſequentia, ut innumera alia prætermittam, *Eccli.* 2. *v.* 11. *Reſpicite filii*

nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. v. 12. Quis enim permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt? Aut quis invocavit eum, & deſpexit illum? v. 13. Quoniam pius & miſericors eſt, & remittit in die tribulationis peccata: & protector eſt omnibus inquirentibus eum in veritate. Sed quid illi impietati refutandæ immoror? Sancta & ſalubris cogitatio æſtimata fuit, etiam in veteri teſtamento, laudante Scriptura, pro defunctis, non SS. Patribus ſolum, ſed iis qui in prælio ceciderant, & apud quos reperta fuerant donaria idolorum, a quibus lex prohibebat Judæos, exorare, ut a peccatis ſolverentur. Aut ergo illi potuerunt pœnitere de peccatis ante mortem, ex ſolis naturæ viribus: aut ſalvari potuerunt ſine pœnitentia: aut credebatur tum etiam, quod licet Lex ipſa gratiam non daret, Deus tamen pro ſua benignitate eam conferret, quantum neceſſe erat ad illam partem (quidni & alias?) legis obſervandam? Duo prima abſque hæreſi dici non poſſunt: reſtat ergo tertium. Atque hoc eſt quod verbis formalibus docet Sanctus Thomas: *Dicendum, quod quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines; tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus, ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant: ſcilicet, fides mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur: & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia.*

2. Mach. 12.

1. 2. qu. 98. art. 2. ad 4.

III. Hinc corruunt omnia illa, ſive ex Scriptura, ſive ex Auguſtino, ſive ex Angelico, inutili labore, ab auctore *Theol. ſuppl.* coacervata teſtimonia, quibus probari poteſt „ Legem „ veterem, ſe ipſa quidem ſpectatam, ac ſecun- a pag. 75.

„ dum

„ dum ſpiritum illius proprium, ac veluti cha„ racteriſticum, *Neminem juſtificaſſe*, *nihil ad* „ *perfectum adduxiſſe &c.* „ Quid enim omnia illa ad damnatas Queſnelli? Propoſitiones illæ nedum agunt de Lege in ſe ſpectata, ſed de FOEDERE JUDAICO, DE VETERI FOEDERE, quod latius patet quam ſola Lex vetus. Qui enim dicit, in veteri fœdere relinquebatur homo in ſua impotentia, in ſua infirmitate, negat hominem ex quocumque capite, in ſtatu illo gratiam accepiſſe. Qui vero ſolum dicit: Legem veterem gratiam non contuliſſe, minime negat quin ex alio capite homines, ſub lege conſtituti, gratiam habere potuerint. Unde SS. Auguſtinus & Thomas, licet dicant Legem veterem gratiam non dediſſe: fatentur tamen Judæos gratiam habuiſſe. In veteri ergo fœdere gratia dabatur, ſed non vi legis; nec in tanta abundantia quam in novo fœdere, vi etiam ipſius legis novæ, datur. Hoc indicare voluit S. Thom. dum loco in *Theol.*
1. 2. qu. 106. a. 3. *ſuppl.* citato, ait: ***Oportuit quod homo ſibi relinqueretur in ſtatu veteris legis, ut in peccatum cadendo, ſuam infirmitatem cognoſcens, recognoſceret ſe gratia indigere***: hunc enim ſenſum indicat, tum quæſitum articuli: ***An lex nova debuerit dari a principio mundi***: tum quod initio corp. hanc primam adferat rationem, cur ita non debuerit fieri: ***Quia lex nova PRINCIPALITER eſt gratia Spiritus S. quæ ABUNDANTER dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, conſummatâ redemptione per Chriſtum: unde dicitur: Nondum erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus***. Tandem, quia in verbis ***num. præced.*** citatis admittit S. Thomas adfuiſſe ho-

hominibus auxilium a Deo, *ſimul cum lege*, per quod ſalvari poterant: quamquam lex ipſa vetus ex ſe non ſufficeret ad ſalutem. Neque illud inutiliter in memoriam revocabitur quod ſupra *cap.*7. *num*. 18. dictum eſt: nimirum, timorem & amorem eſſe notas characteriſticas veteris & novi teſtamenti; non quidem abſolutè, ſed attentâ utriuſque teſtamenti conditione PRINCIPALI: id eſt, Principale veteris, timorem: novi, amorem eſſe. Sed ſicut amor novi non excludit timorem; ita timor veteris neceſſe non eſt excludat amorem & gratiam. Pag. 367

IV. Addamus & hoc pro refutatione finali propoſitionum iſtarum Queſnelli. Juxta ipſius *Prop.5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum*: Si ergo Deus in veteri fœdere relinquebat hominem in ſua impotentia, in ſua infirmitate, non largiendo ei gratiam interiorem, Lex vetus, comminationes prophetarum, flagella Judæis immiſſa &c. non inſervierunt niſi ad eos magis obdurandum: at hoc blaſphemum eſſe in Deum, & ad Manichæorum, qui aſſerebant legem veterem a malo Deo eſſe, hæreſim pertinere, quilibet facile perſpiciet. Nec juvat ſi dicas non negaſſe Queſnellum aliquos, puta, Moyſen & Prophetas habuiſſe gratiam: id enim non ſufficit: ſed neceſſe eſt ſtatuere, ut minimum, quod majori parti fuerit Lex obſervatu poſſibilis: tum quia non minus repugnat bonitati Dei dare legem, quæ omnibus, quam quæ majori hominum parti ſit impoſſibilis: tum quia, niſi hoc dicatur, verificari non poterunt, niſi ad ironiam cum Luthero re-

Deut. 30. currendo, verba illa: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum.... ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo*, quæ ad totum Hebræorum populum dicta ſunt: denique quia Lex dari, in bonum publicum, non in publicam perniciem, debet ut docet S.Th. 1.2 *q.95.a.3.* Vide dicta a *pag.* 201. §. VI.

§. II.

Propoſitio Queſnelliana, cenſura notata.

Moyſes & Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium: cum non effecerint niſi mancipia per timorem. Eſt 65. Queſnell. Marci 12. v. 19.

a pag. 78 V. Subtiliter hic diſcurrit Auctor *Theol. ſuppl.*: ſed fruſtraneo labore, nihil ſuo clienti profuturo, occupatur. *Moyſes*, inquit, *Prophetæ, Sacerdotes, legiſque doctores, non modo veteris teſtamenti miniſtri erant, verum etiam novi; utpote Chriſti quoque prænuncii, fideique in illum habendæ prædicatores: quo titulo non Moſaycum tantum atque Leviticum munus obibant, ſed etiam Evangelicum. Porro ſicuti vetus Teſtamentum* in ſervitutem generans, *ut ait Apoſtolus ad Gal.4. filios ſua ipſius virtute Deo non peperit; ſed accedente dumtaxat ſpiritu novi, fideque in Chriſtum venturum: ita Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, Doctoreſque*

uti

uti veteris teſtamenti miniſtri, filios Deo non genuêre, ſed uti novi; quatenus fidem in Chriſtum Dominum prædicabant, ejuſque ſpiritum advocabant. Hanc doctrinam confirmat deinde S. Auguſtini verbis: *Quibus aperte inſinuat*, proſequitur, *S. Doctor Moyſem uti veteris legis latorem, amplius nihil arrogare ſibi poſſe, quam quod fecerit reos; non item quod a REATU LEGIS homines ſolverit; quod feciſſet utique, ſi Deo filios dediſſet ac genuiſſet.* Ex Tract. 3. in Evãg. Joã.

VI. Sed ad quid hæc omnia, ſi non oſtendatur unà, Queſnellum nihil præter hæc docuiſſe: quod tamen Auctor ille facit minime? Sed video quid intenderit. Voluit nobis imponere onus probandi, Queſnellum longe aliud, quam hîc explicatum ſit, docuiſſe. Onus impoſitum libenter ſuſcipio, & dico: propoſitionem hanc, ſive in ſe ſpectata conſideretur, ſive ut cum aliis Queſnellianis connexa, hoc intendere: Quod Moyſes & prophetæ, Sacerdotes veteris teſtamenti, quocumque modo conſiderentur, nullum dederint Deo filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.

VII. Id probo primò ex propoſitione in ſe ſpectata. Quippe propoſitio ſigno univerſali negativo affecta eſt: *ABSQUE eo quod ULLUM Deo dederint filium*: cujus etiam datur cauſa univerſalis: *Cum NON effecerint NISI mancipia.* Excluditur ergo quod Moyſes & Prophetæ, ſub quocumque reſpectu filios Deo dederint. Id magis apparebit, ſi jungantur huic propoſitioni ea quæ apud Queſnellum in libro *Reflex. Moral.* ſequuntur. Sic enim lego in *editione latina* 1695. Marci 12. v. 19. *Solus ei* (Deo) *filios dedit Jeſus Chriſtus, qui ſpiritum adoptionis filiorum, qui amor*

Dei eſt, attulit. Sed vel maxime dedit poſt mortem; & per fratres ſuos Apoſtolos: qui velut procuratores ipſius & Vicarii, Eccleſiam ſibi, nomine ipſius, deſponderunt. Ubi obſervanda antitheſis inter Moyſē & Prophetas ex una; procuratores Chriſti atque Vicarios ex altera partibus: quæ nullatenus ſubſiſtit, ſi Moyſes & prophetæ, ut Chriſti miniſtri, fideique in illum habendæ prædicatores, filios Deo dederunt. Itaque juxta Queſnellum in nullo ſenſu Moyſes & prophetæ filios Deo dederunt: ſolus Chriſtus, per ſe & Apoſtolos, illorumque ſucceſſores, gratiam qua id fit, *veniens* in mundum, attulit.

VIII. Quod ſi attendamus connexionem hujus propoſitionis cum aliis, longe id manifeſtius evadet. Enimvero, ut Moyſes & Prophetæ Deo filios dare potuiſſent, tamquam Chriſti prænuncii &c. neceſſe fuiſſet ut illis venturum Meſſiam annunciantibus, Deus, intuitu Meſſiæ venturi, daret gratiam ad fidem neceſſariam. At hæc longe erat a veteri fœdere, in quo, uti aſſerunt *propp.* §. præcedenti expoſitæ, Deus relinquebat homines, in ſua impotentia, ſua infirmitate. Rurſus ergo juxta Queſnellum, Moyſes & Prophetæ, ſub nullo reſpectu, filios Deo dare potuerunt. Imo vero faciebant juxta Queſnellum, homines magis peccatores: quia per *prop.* 5. in fine præcedentis §. repetitam: *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes & gratiæ exteriores, non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum*: Moyſes ergo & prophetæ, per quos Deus non miniſtrabat niſi gratias exteriores, magis obdurarunt populum Hebræum, tantum abeſt ut filios Deo dederint: effecerunt *mancipia*

per

per timorem; quo regnante in corde hominum, *peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando*, ut habet *prop.64*. Reos ergo fecit Moyſes, nedum legis obſervandæ, ſed peccati: re os fecerunt prophetæ ſuis prædicationibus terrificis: reos fecerunt Sacerdotes: id eſt, magis obdurarunt corda Judæorum in malitia; quam ad juſtitiam adduxerint. Atque hoc totum ſi bene attendatur, in Deum uſque redundat, qui Moyſe, Prophetis ac Sacerdotibus velut miniſtris uſus eſt. Igitur juxta regulam noſtram 1.&2. juſtiſſime a Clemente XI. damnatæ ſunt hæ propoſitiones. Hæc etiam confirmari poſſunt ex propoſitionibus ſequentibus. Pag. 40.

§. III.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi quatenus participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus præcipit. Eſt.8. Queſnell. Hebr.8. v. 10.

Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia. Eſt. 29. Queſnell. Luc. 10. v. 35.

IX. Variæ ex prima propoſitione effluunt hæreticæ conſecutiones; inquit Graveſonius noſter, quas etiam recenſet. Ex additione autem ſecundæ, nihilo melior efficitur. Obſervo autem primò, Epiſtoll. Tom.2. Epiſt.9.

 gra-

gratiam illam ſecundum quam Queſnellus aſſerit, nos ad novum fœdus pertinere, NOVAM ab eodem vocitari, ſignum manifeſtum illam ad prima tempora, ex ejuſdem Auctoris ſententia, nullatenus pertinuiſſe; alioquin non fuiſſet nova dicenda. Sic igitur confirmat hæc propoſitio, ea quæ §. *præcedenti* dicta ſunt: nimirum, Moyſem, Prophetas &c. nullum, ſub quocumque reſpectu, Deo dediſſe filium. Siquidem hoc ſine gratia ad fœdus novum ſpectante fieri non poterat: at hæc antiquitus dabatur rariſſime, ſi nova eſt. Secundo, manifeſtum eſt per novam iſtam gratiam, *quæ operatur in nobis id, quod Deus præcipit,* nullam aliam intelligi, quam ſenſu Queſnelli efficacem. Ad novum igitur fœdus, ſive ad Eccleſiam nos non pertinemus: niſi ſecundum gratiam efficacem, & neceſſitantem, adeo ut convertibilia ſint iſta duo: Habere gratiam efficacem; & pertinere ad novum fœdus: & vice verſa: qui non habet gratiam efficacem, extra Eccleſiam, ſeu fœdus novum eſt. Unde juxta ſecundam propoſitionem, nullam habet gratiam, qui non habet efficacem; quia extra Eccleſiam ſeu fœdus novum *nulla* conceditur gratia.

X. Quot vero ſunt, etiam hoc tempore, homines juſti, quibus quandoque deeſt gratia efficax! Omnes, nempe, qui a juſtitia excidunt. An omnes illi extra fœdus novum ſunt, extra Eccleſiam? Ergo Eccleſia conſtat ſolis juſtis. Ergo peccatores carent omni gratia. Relicti ergo ſunt ſuæ impotentiæ, ſuæ infirmitatis? Aliqua igitur præcepta hominibus juſtis a juſtitia deficientibus in nova lege ſunt impoſſibilia; deeſt quoque eis gratia quâ poſſibilia fiant. Ecce rurſus Janſeniana hære-

ſis;

ſis; & vox illa a SS. Patribus anathemate damnata; eoque titulo expreſſe a Tridentino prohibita in ſcenam redit. Seſſ. 6. cap. 11.

XI. Sed & novum hîc dogma, ridiculum plane, ne dicam ſtultum introducitur: nimirum, neminem ad novum fœdus pertinere, niſi qui actu operando legem implet: quippe gratia illa nova, de qua Queſnellus, gratia eſt operationis, *quæ operatur in nobis id, quod Deus præcipit*; quæque cum operatione tranſit. Quid ergo de juſtis dormientibus dicemus? illine pertinent ad fœdus novum an non? Si pertinent; ergo falſa eſt propoſitio prima, aſſerens eatenus eos ad fœdos novum pertinere, quatenus gratiam efficacem participant; ſcilicet dormientes gratia efficaci operis deſtituuntur: ſi non pertinent ad Eccleſiam dormientes juſti, Eccleſia quotidie, per aliquod tempus, dimidia fere ſui parte deſtituitur, nullo interveniente delicto, quod quis non rideat?

XII. Quin & falſa erit Queſnelli *prop. 76.* ſpatioſitatem Eccleſiæ Dei deſcribentis: *Nihil ſpacioſius*, ait illa, *Eccleſia Dei, quia omnes electi & juſti omnium ſæculorum eam componunt*: falſa, inquam, erit hæc propoſitio, juxta ipſum met Queſnellum, cum demendi forent juſti dormientes. Imo & de vigilantibus juſtis, magnus numerus e catalogo Eccleſiæ delendus foret: omnes illi videlicet, qui pro tempore non occupantur adimplendo aliquo præcepto affirmativo. Proh! quam reſtricta eſt Eccleſia illa Queſnelliana; a qua etiam juſti innumeri, nedum peccatores exulant: & hoc abſque culpa ulla.

XIII. Et quid de infantibus baptizatis dicendum? illi incapaces ſunt, ut ſubtiliter notat Sa-

Pag.512. num. 41. pientiſs. P. M. Benitez noſter in opere *De concurſu prævio*, novæ illius gratiæ, quæ in nobis operatur quod præcipit Deus, imo nullius operationis ad gratiam pertinentis capaces ſunt, an illi quoque ad novum fœdus non pertinent? Proh! ergo iterum, quam pauci novo iſto fœdere comprehenduntur; a quo innocentiſſimæ inter mortales creaturæ excluduntur.

XIV. Scrupulus hic eximendus venit auctori
Pag.81. *Theol. Suppl.* Putat ille propoſitionem 8. Queſnellianam duplici ſenſui obnoxiam, quorum unus catholicus, alter hæreticus ſit. Sed fruſtra angitur; cum propoſitioni adjecta particula *NOVÆ GRATIÆ* ſatis ſignificet, tempore antiqui fœderis hujuſmodi gratiam, quâ ad novum fœdus ſpectamus, datam minime fuiſſe; alias, ut ſupra dictum eſt, nova non foret. Sed quid ſi etiam Queſnellus gratiam illam conceſſerit Moyſi, Davidi, Prophetis, an propterea catholicè ſenſit? Audi Iſaiam Prophet. *cap.* 5. ℣. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Quæ verba, ſi ad pauculos illos gratia, qua ad novum fœdus pertinemus, reſtringitur, amariſſimum & intolerabilem continent, non dico jam ironiam, ſed ſarcaſmum.
3.p.q.70. a.4. Adde ex S. Thoma: *In circumciſione conferebatur gratia, non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti: cujus ſignum erat circumciſio.* Erat hæc etiam ſignum fœderis, Deum inter & Abraham initi; ad fœdus ergo vetus pertinebant omnes circumciſi: imo ad novum, ſaltem qui gratiam in circumciſione adeptam voluntario peccato non abjeciſſent. Et quid dico de illis tantum: omnes qui in Meſſiam venturum crediderunt, ad novum fœdus aliquo modo pertinuerunt. Hæc

om-

omnia expreſſe habet S. Thomas : *Dicendum, quod nullus unquam habuit gratiam Spiritus Sancti niſi per fidem Chriſti explicitam vel implicitam. Per fidem autem Chriſti pertinet homo ad novum teſtamentum. Unde quibuſcumque fuit lex gratiæ indita, ſecundum hoc ad novum teſtamentum pertinebant.* 1. 2. qu. 105. a. 1. ad 3.

XV. Cum vero auctor ille fateatur nos per Baptiſmum ad novum fœdus pertinere; propoſitionem illam, etiam quoad alteram partem; quæ dicit, nos non pertinere ad fœdus novum, NISI QUATENUS, id eſt, ex nullo alio capitè, quam gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit; ſive gratiæ efficaciter operantis, imo neceſſitantis; fateatur neceſſe eſt, falſam eſſe. Præſertim ſi attendere velit, Queſnellum præter novam illam gratiam nullam aliam admiſiſſe, pro ſtatu naturæ corruptæ: ex hoc enim manifeſte ſequitur, Deum voluntatem, quæ ſterilis eſſe non poteſt, nullam habuiſse, aut habere ſalvandi miſeros illos homines, qui gratia illa deſtituuntur, nec ad ſalutem perveniunt. Quod impium, blaſphemum, Deo injurioſum & contumelioſum, hæreticumque eſse, auctor *Theologiæ Supplicis* fatetur. Pag. 83. Pag. 202.

REFLEXIO SEXTA.

XVI. Non ſolum errores Janſenii, at varios etiam antiquiores in propoſitionibus contineri Queſnellianis, Clemens XI. in Conſtit. *Unigenitus* rectiſſimè annotavit. Prima enim ex propoſitionibus §. 3. relatis manifeſtè innovat errorem relatum a noſtro Eymerico *Direct. inqui-*

par. 2. q. 9. pag. mi hi 258. col. 1. *ſit.* hunc videlicet : *Quinquageſimus octavus : quod poſt peccatum originale Deus & humanum genus fuerunt in magna contrarietate boni & mali, virtutis, & vitii, veri, & falſi: & illa contrarietas erat ita magna, quod Deus in mundo populum non haberet.* Enimverò, quamvis poneretur Queſnellus admiſiſſe Abrahamum, Moyſem, Davidem, & paucos quoſdam alios pertinuiſſe ad novum fœdus, attamen quia illi pauci ſunt, diverſiſque mundi ætatibus vixêre, nec exhauriunt omne tempus, quod fluxit ab originali peccato ad Chriſtum, minimè per eos verificatur, Deum habuiſſe populum in mundo ante fœdus novum : ſicque redit error ille quondam exploſus : præſertim ſi addatur *prop. 65. §. 2.* diſcuſſa, aſſerens, Moyſem, Prophetas, Sacerdoteſque veteris teſtamenti mortuos eſſe, abſque eo quod ULLUM Deo dederint filium : iis ergo mortuis extinctus erat populus Dei : ſi tamen illi recenſiti populum conſtituerunt.

XVI. Cæteris verò propoſitionibus manifeſte innovatur, quod mirum videri debet, error quidam Pelagii apud Auguſtinum dicentis : *in* De grat. Chriſti. cap. 31. *illis*, qui Chriſtiani non ſunt, *nudum, & inerme eſt conditionis bonum.* Hæc nihilominus inter utrumque intercedit differentia, quod Pelagius præſumptuoſos faceret homines, dum per conditionis bonum impleri legem abſolutè potuiſſe affirmabat: Queſnellus verò deſperatos, dum dicit impotentes ad legis impletionem, legis fuiſſe debitores. Magis ergo in Deum peccavit Queſnellus, eum nobis exhibendo in veteri fœdere, ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem, iniquum, qui a Judæis exegerit,

ac

ac de facto quoque ab iis, quibus gratiam illam novi fœderis i.e. neceſſitantem, non confert, exigat ultra quod poſſunt præſtare.

XVII. Sed quid dico, errores illos innovaſſe? Reſuſcitavit impium Lutheri, Calvini, & ſimilium dogma. Docuere illi Deum non ſolum permiſſivè, ſed poſitivè influere in peccata. Et quomodo id probant? Calvinus *lib. 1. inſt. c. 18. num. 1. vult Deus*, inquit, *perfidum regem Achab decipi: operam ſuam offert diabolus ad eam rem: mittitur cum certo mandato, ut ſit ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Et *de provid. Quid? Ubi Deus Satanam vindictæ ſuæ miniſtrum accerſit, & dat apertum fallendi mandatum, an non hoc differt a ſolo permiſſu?* Pag. 739. Beza *in abſters. calumn. Heſbuſij: Deus impiis iratus eos tradit Satanæ, & quidem cum hoc mandato, ut mentiendo, & modis omnibus fallendo, eos miſere perdat.* Pag. 324. Paræus *lib. 2. de amiſſ. grat. c. 14. Quaſi vero non manifeſtè legatur: Deum hujus ſæculi, hoc eſt, ſatanam excæcare mentes infidelium? Si juſſu Dei id fieri quis dubitat, legat hiſtoriam Achabi, cujus Prophetæ juſſu Dei excæcantur, & ſeducuntur a ſatana.* Pag. 378. Hiſce gemella ſunt, quæ tradidit Queſnellus. Cum enim Deus Moyſi dederit expreſſum mandatum promulgandi judæis legem ſuam, Sacerdotibus eam exponendi, ac inculcandi: Prophetas quoque miſerit ad prædicenda flagella non obſervantibus legem parata; Si Deus reliquit populnm judæorum in ſua impotentia, & infirmitate: Si Moyſes, & Prophetæ nullum dederint Deo filium: Si paucis ſanctis viris exceptis, nulla illis fuit gratia data, cum aliunde juxta *prop. 5.* Queſnelli, gra-

iæ exteriores non inſerviant, niſi ad cor hominis magis obdurandum, quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, manifeſtè ſequitur, Deum mandaſſe, ut obdurarentur corda populi hebræorum &c. quemadmodum illi Hæretici docuerunt. Illos etiam impietate ſuperaſſe Queſnellus videri poteſt, dum quod illi mandatum ſatanæ, ad decipiendum parato datum effutierunt, hic etiam viris ſanctis, nihil de decipiendis judæis cogitantibus, datum fuiſſe, non erubuit dogmatizare. Sed de hoc etiam alibi agimus.

CAP. IX.

De Eccleſia.

§. I.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt quod ſit catholica, comprehendens & omnes angelos cæli, & omnes electos, & omnes juſtos terræ, & omnium Sęculorum. Eſt. 72. Queſnell. Hebr. 12. v. 22. 23. & 24.

Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus fidelium Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi? Eſt. 73. 2. Theſ. 1. v. 2.

Eccleſia ſive integer Chriſtus, incarnatum verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra. Eſt. 74. Queſnel. 1. Timoth. 3. v. 16.

Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona:

unus

unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis quorum eſt ſanctificator. Eſt. 75. Queſnell. Epheſ. 2. v. 14. 15. & 16.

I. Plurima circa has ac ſubſequentes propoſitiones annotata, quod typi jam ultra 22 folia excreverint, cogor reſecare; ne cum urcens cæptus ſit inſtitui, amphora exeat. Familiare eſt SS. Patribus, Eccleſiam unum corpus dicere, cujus Chriſtus caput eſt, nos membra: quam locutionem metaphoricam eſse & ſimilitudinariam, notavit S. T. 3. *p. q.* 8. *a.* 1. *Reſpondeo dicendum*, inquit, *quod ſicut tota Eccleſia dicitur unum corpus myſticum per ſimilitudinem ad naturale corpus hominis quod ſecundum diverſa membra habet diverſos actus* (*ut Apoſt. docet Rom.* 12. *&* 1. *Cor.* 12.) *ita Chriſtus dicitur Caput Eccleſiæ ſecundum ſimilitudinem humani capitis: in quo tria poſſumus conſiderare, ſcilicet, ordinem, perfectionem, & virtutem*. Varias Eccleſiæ acceptiones ac definitiones, quas apud Theologos videre Lector poteſt, omitto. Satis eſt, ſi moneatur, Queſnellum agere de Eccleſia, ut externa quædam viſibiliſque ſocietas eſt. Conſtat id ex notis, quas Eccleſiæ, qua de tractat, attribuit. v.g. quod ſit *Viſibilis, ſicut mons: apoſtolica, velut formata die Pentecoſtes . . . & gubernata per miniſterium apoſtolicum*: ut omnino mirabile ſit quod huic Eccleſiæ accenſuerit Angelos & juſtos omnium ſæculorum.

II. Nihilominus dubitat auctor *Theol ſupplicis* num Queſnellus in hiſce propoſitionibus Eccleſiam definierit, *ut externa quædam viſibiliſque Societas eſt*: An verò, *ut ſimpliciter ſocietas eſt, divino*

vino intus Spiritu ducta, *& animata*; id eſt, *Eccleſiæ animam ſpiritumque* tantum, *non corpus*. Verba ejus ſunt: *An Eccleſiam eo ſenſu acceptam Queſnellius citatis locis definierit... viderit ipſe*. Quæ ultima verba qualiter concordent cum illo ejus epiphonemate: *Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem, in ſuperbia, & in abuſione*, non video. Rogo interim Auctorem illum, ut verba Queſnelli mox adducta, & ſequentia, expendere velit; *Notæ, & proprietates Eccleſiæ Chriſtianæ* 1. *Eſt viſibilis velut mons.* 2. *una, velut civitas*... 3. *Sancta, velut cæleſtis Jeruſalem, per adorationem ſuam in ſpiritu, & veritate, & Sacrificium ſuum, & per Religionem, & charitatem ſuam*. 4. *Catholica, Angelos cæleſtes omnes continens, & omnes electos, ac juſtos, qui in terra ſunt, & omnium Sæculorum*. 6. *Divina, velut opus, & habitatio Dei*. 7. *Chriſtiana habens J. C. mediatorem, Pontificem, victimam & advocatum per ſanguinem ſuum*. Ita Queſnellus *Hebr*. 12. *v*. 22. 23. & 24. *edit. latinæ*. Ex quo loco prima hic relata propoſitio deſumpta fuit. Loquitur ergo Queſnellus de Eccleſiæ corpore, nedum ſpiritu; ac proinde meritiſsime condemnatus eſt; fatente *Theol. ſuppl*: Eccleſiam, *ut externa quædam viſibiliſque ſocietas eſt, inſignes etiam* complecti *peccatores ac reprobos*. An.1695 Pag. 86.

III. At vero, inquit ille, *Eccleſiæ definitionem quatuor illis propoſitionibus datam, qua ſcilicet, tacitis peccatoribus, ex juſtis conflata dicitur; homoque unus, una perſona, (Caput & membra, Chriſtus nimirum & juſti) nuncupatur, iiſdem plane verbis dedêre D. Auguſtinus & D. Gregorius M.* Ac ſi, ſcilicet! Queſnellus aliud nihil docuiſſet, Pag.85.

quam

quam SS. Patres illi, & Eccleſiam, *tacitis* unice *peccatoribus* definiviſſet! Unde in fine illius §. inſolentiſsime petit: *Numne*, poſt definitionem Clementis XI., *Eccleſiam definire aliquando liceat, ut eam Auguſtinus & Gregorius definivêre?* Ut nihil dicam de temeraria percunctatione iſta, falſiſſimum eſt, illis quatuor propoſitionibus ſolum tacitè præteriri peccatores, non poſitivè excludi: falſiſsimum item eſt, iiſdem plane verbis dediſſe SS. Patres illos definitionem Eccleſiæ. Singula probemus.

IV. Ac primi quidem falſitas patet abunde ex ſecunda propoſitione: juxta quam Eccleſia eſt *cœtus fidelium Dei, manentium in ejus ſinu*; peccatores non manent in Dei ſinu. *Adoptatorum in Chriſto*: reprobi non ſunt tales. *Redemptorum ejus ſanguine*: at Chriſtus, juxta *prop. 32. morti ſe tradidit ad liberandum....primogenitos, id eſt electos*, non reprobos: rurſus ergo reprobi hîc excluduntur. Hoc adeo peremptorium eſt, ut Auctor *Theol. Suppl* omni abjecto pudore accuſans Eccleſiam Dei truncationis & mutilationis propoſitionum Queſnelli; quod falciſſimum eſſe non ſemel demonſtratnm eſt: coactus fuerit propoſitionem, hîc ordine ſecundam, mutilare, illaſque particulas expungere, non ſecus ac ſequentes, *ſubſiſtentium in ejus perſona*; loco quarum ponit, *ſubſiſtentium in ejus ſpiritu*: cum tamen Queſnellus, omnia illa, tam in editionibus gallicis Ann. 1693. & 1696. quam latina 1695. diſtinctiſſime habeat; prout pag. 10. num 9. ad oculum demonſtratum eſt. Rurſus excludit Queſnellus peccatores, aſserens Eccleſiam cœtum hominum *viventium ejus ſpiritu*, Dei videlicet: qui ſpiritus, quemadmodum habet

bet ad *Gal.*4, *v.* 4. 5. 6. *&* 7. *non eſt niſi pro filiis.* Sequitur. *Agentium per ejus gratiam*: hoc rurſum de peccatoribus intelligi haud poteſt in principiis Queſnelli; ſiquidem prima gratia eſt remiſſio peccatorum juxta ipſius *prop.* 28., atque fides juſtificat quando operatur; & non operatur niſi per charitatem, juxta *prop.* 51. Ex quibus omnibus, niſi ego plurimum fallar, ſatis conſtat Queſnellum ab Eccleſia viſibili poſitive excluſiſſe peccatores.

V. Idem probari poteſt ex prima hîc relata propoſitione, ſi conſideretur cum illis adjunctis quibuſcum extat in libro *Reflexionum moralium Hebr.* 12; *v.* 22.23., *&* 24. ubi inter notas Eccleſiæ chriſtianæ ſecundo loco ponit: *Una velut Civitas, cujus partes omnes Spiritu Dei uniuntur*: ſcitur autem quod Spiritus Dei, juxta Queſnelli verba *num. præced.* relata, *non eſt niſi pro Filiis Dei*: rurſus ergo reprobi excluduntur, & peccatores. Tertia Eccleſiæ nota ponitur, *Sancta velut cœleſtis Jeruſalem, per adorationem ſuam in ſpiritu, & veritate, per ſacrificium ſuum, & per religionem, & charitatem ſuam.* Verum peccatores charitatem non habent: ergo nec adorationem in ſpiritu, & veritate, nec ſacrificium, nec religionem; cum juxta 58. Queſnellianam, *Nec Deus eſt nec religio, ubi non eſt charitas.* Ergo peccatores foras: preſertim quia Eccleſia, juxta hanc tertiam notam Queſnellianam, eſt *Sancta velut cæleſtis Jeruſalem*; in qua certo certius nullus eſt peccator. Sequitur deinde apud Queſnellum 4. conditio. Hæc eſt ipſa prima propoſitio damnata ex iis, quas præ manibus habemus. Hac excludi peccatores ab Eccleſia ex adjunctis jam probatum ſat eſt. Videamus an idem ex ipſis

pro-

propoſitionis terminis non eliciatur. Sic ergo ſonat. *Nota Eccleſiæ chriſtianæ eſt, quod ſit catholica, comprehendens & omnes Angelos cæli, & omnes electos, & omnes juſtos terræ, & omnium ſæculorum*: at peccatores, etiam fidem & ſpem habentes, non ſunt Angeli cæli, nec ſunt juſti: igitur ex ipſis terminis propoſitionis damnatæ excluduntur ab Eccleſia. Sed inter peccatores aliqui eſſe poſſunt electi. Reſpondeo 1. ergo ſaltem reliqui, non electi, manent excluſi. 2. Illi peccatores, qui forte ſunt de numero electorum, nullum habent defacto influxum a Jeſu Chriſto, juxta Queſnellum; qui ponit remiſſionem peccatorum eſſe primum influxum (*prop.*28.) igitur hìc & nunc, dum peccatores exiſtunt, non ſunt in Eccleſia, qui eſt *cœtus fidelium Dei, manentium in ejus ſinu &c.* Vide *prop.* 2. Patet ergo quod omnes peccatores, actu tales, & ex propriis terminis 1.propoſitionis condemnatæ, & ex adjunctis in *lib. Reflexion. Moral.* ab Eccleſia excludantur.

VI. Tantundem habetur ex prop. tertia. Licet enim ſano ſenſu dici poſſit: *Eccleſia incarnatum verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra*, addendo, vel ſubintelligendo illud de membris *vivis*, ſeu *primariis*; quo modo loquendi non cenſentur excludi peccatores: attamen dici non poteſt, quin excludantur peccatores, adeoque ſine errore, quod verbum incarnatum & ſancti, ſint *integer Chriſtus, ſive Eccleſia*; vel ut habet verſio latina *Reflex. Moral. Eccleſia vel Jeſus Chriſtus TOTUS*: ſicut dici non poteſt quod totus ſeu integer homo, ſit caput, collum, humeri, brachia: & qui hoc diceret, cenſeretur

ven-

ventrem, crura, pedes &c. excludere. Idem ergo dicendum de hac propoſitione: *Eccleſia, ſive INTEGER Chriſtus, incarnatum verbum habet ut caput: omnes vero Sanctos ut membra*. Idem etiam habetur ex ultima propoſitione. Ait enim: *Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris.... Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt ſanctificator*. Ecce pluralitas membrorum explicatur pluralitate Sanctorum: ubi ergo peccatores?

VII. Sed, *Queſnellus alias ſæpius bonos ſimul & malos, juſtos atque injuſtos, electos & reprobos in Eccleſiæ corpore comprehendi docet*, inquit Auctor *Theol. ſuppl.* Produxiſſet ſaltem locum unicum, quem diſcutere potuiſſemus. At ſupponatur hoc ita ſe habere: an propterea propoſitiones illæ, manifeſtè excludentes ab Eccleſia peccatores, non erant damnandæ? Imo vero vel ideo foret condemnandus Queſnellus: convinceretur enim duplicem; uti Proteſtantes ſæculi 16.; admittere Eccleſiam militantem, ut partibus & membris & definitione, ita multis proprietatibus differentes. De Proteſtantibus ita Smitheus in *Collatione doctrinæ Cathol. ac Proteſtant. pag.* 222. „ Etenim juxta ipſos, *inquit*, partes ſeu membra invisibilis Eccleſiæ, ſunt ſoli juſti & electi: partes ſeu membra viſibilis Eccleſiæ, ſunt juſti & injuſti; electi & reprobi. Definitio Eccleſiæ inviſibilis eſt: *Societas in fide juſtificante & prædeſtinatione* (*Ecce Eccleſiam quam depingit Queſnell. in* 4. *iſtis damnatis articulis*) Definitio viſibilis eſt: *Societas in profeſſione veræ fidei & legitimo uſu Sacramentorum*. Inviſibilis videri poteſt a ſolo Deo; viſibilis etiam ab ho- Pag. 86.

„ minibus. Contra illam portæ inferi non poſ-
„ ſunt prævalere, contra iſtam poſſunt. Illa non
„ poteſt induci in errorem, ſaltem fundamentalem: iſta poteſt. Illa non poteſt tota perire:
„ iſta poteſt. Illa creditur a Proteſtantibus in
„ Symbolo, non iſta. Illa non habet notas viſibiles quibus diſcernatur ab aliis ſocietatibus:
„ iſta habet. Si ergo utraque iſta ſocietas ſit
„ vera Eccleſia coram Deo; neceſſe eſt ut ſit
„ duplex vera ſocietas Eccleſiaſtica, ſeu duplex
„ Eccleſia militans: nam una eademque ſocietas ſeu Eccleſia non poteſt & partibus & definitione, & tot tantiſque proprietatibus a ſeipſa differre. „ Hucuſque Smitheus. Videri
Tom.12 Theolo. pag.403. num.17. etiam poteſt noſter Emin. S. R. E. Card. Gotti. Itaque ſi Queſnellus præter Eccleſiam, illis 4. *propp.* damnatis definitam, aliam etiam admiſerit, in qua ſint peccatores; duplicem admiſit Eccleſiam, definitione, partibus, ſeu membris, natura, & proprietatibus differentem, quod cauſam ejus nihilo meliorem, ſed ipſum calviniſtam facit.

VIII. Videamus nunc an SS. PP. Auguſtinus & Gregorius *iiſdem plane verbis*, ut aſſerit
Pag. 85. *Theol. ſuppl.*, definitionem Eccleſiæ dederint ac Queſnellus. Conſului loca ab Auctore illo citata, & obſtupui. Ubi frons, inquiebam, ubi verecundia? Nam Patres iſti, illis ipſis locis ab adverſario citatis, tam abeſt ut de peccatoribus taceant, quin potius expreſſe dicant, etiam hos in
Lib.7.de Bapt.cō. tra Don. cap.51. Eccleſia eſſe. Accipe verba S. Auguſtini. *Quibus omnibus conſideratis, puto me non temere dicere, alios ita eſſe in Domo Dei* (quæ eſt Eccleſia) *ut ipſi etiam ſint eadem Domus Dei.... Hæc quippe in bonis fidelibus eſt, & Sanctis Dei ſervis, ubique diſ-*

diſperſis & ſpirituali unitate devinctis in eadem communione Sanctorum .... Alios autem dici eſſe in domo , ut non pertineant ad compagem domus, nec ad Societatem fructiferæ pacificæque juſtitiæ ; ſed ſicut eſſe palea dicitur in frumentis. NAM ET ISTOS ESSE IN DOMO, NEGARE NON POSSUMUS , dicente Apoſtolo, in magna autem domo non 2. Tim. *ſolum aurea vel argentea ; ſed & lignea & fictilia :* 1. 20. *& alia quidem ſunt in bonorem , alia vero in contumeliam .* Hoccine eſt definire Eccleſiam tacitis peccatoribus ? Imo ſufficit citare Auguſtini librum contra Donatiſtas , aſſerentes malos non eſſe in Eccleſia; & ſtatim intelligimus librum, quo error hic Queſnelli funditus evertitur : ut ſtupendum ſit Auctorem *Theol.ſuppl.* ad hunc librum recurriſſe .

IX. Citat quoque *Expoſit. in pſal.* 35. quaſi ibi diceret Auguſtinus . *Quomodo non eſt unus homo , qui unum habet caput ? Caput omnium noſtrum Chriſtus eſt , corpus illius capitis omnes ſumus .* Levi oculo percurri totam expoſitionem , aſt verba illa non offendi . Sed dicat illa Auguſtinus: nonne dicendo , *Corpus illius capitis OMNES SUMUS* , ſatis indicavit etiam malos (niſi fingas Auguſtinum per revelationem ; aliter enim id ſcire non poterat; ſciviſſe, omnes præſentes illi enarrationi fuiſſe prædeſtinatos & juſtos) ad Eccleſiam Dei pertinere ? Si hæc nondum tibi ſufficiunt , en verba clariſſima Auguſtini ex eadem ipſa enarratione ad *v.* 10. *Judicia tua abyſſus multa &c. Latine dicam* , inquit Auguſtinus , *ut melius intelligamus , in Eccleſia Chriſti invenis abyſſum , invenis & montes : invenis ibi pauciores bonos ; quia montes pauci ſunt , abyſſus lata eſt : id eſt , MULTOS MA-*

MALE VIVENTES ab ira Dei, qui ſic egerunt, ut traderentur in concupiſcentias cordis ſui, ut jam defendant peccata ſua, & non confiteantur, ſed dicant: Quare? Quid feci?

X. Jam vero Gregorius non minus clare peccatores in Eccleſia eſſe dicit, etiam loco illo qui citatur tamquam nobis adverſaretur. *Lib.23. Moralium cap.1.num.2.* Chriſtum & Eccleſiam ex geſtis patientiſſimi Job, unius perſonæ, recte nobis innoteſcere aſſerit, quia *Chriſtum & Eccleſiam unam perſonam credimus*. Sequitur autem *num.3, Uxor vero ejus, quæ eum ad maledicendum provocat, quid aliud quam pravitatem carnalium ſignificat? Qui INTRA ECCLESIAM SANCTAM incorrectis moribus POSITI, eo durius vitam fidelium, quo vicinius præmunt: quia dum vitari a fidelibus quaſi fideles nequeunt, tanto gravius, quanto & interius tolerantur*. Ecce ergo ex Gregorio pravi cum bonis unam Eccleſiam conſtituunt. Aliud Gregorii teſtimonium, quod refert Auctor ille, Eccleſia, *quot Sanctos protulit, tot palmites miſit*; nihil ad rem facit: fatemur enim perquam libenter, Eccleſiam, quot Sanctos protulit, quaſi tot palmites virentes, florentes, fructiferoſque miſiſſe: tales non ſunt peccatores. Sunt tamen palmites; ſed areſcentes, vel aridi; exſcindendi demum ac in ignem mittendi, niſi reſipiſcant. Sed de his rurſus in ſequenti paragrapho: interim nota Lector, falſum eſſe Auctorem *Theolog. Supplicis* dum ſcripſit, SS. Patres illos Eccleſiam definiviſſe *tacitis* peccatoribus.

Ex Homel. 19. in Evág.

§. II.

§. II.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Nihil ſpatioſius Eccleſiâ Dei, quia omnes electi & juſti omnium Sæculorum illam componunt. Eſt. 76. Queſnell. Epheſ. 2. v. 20. 21. & 22.

Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite. Eſt. 77. Queſnell. 1. Joan. 2. v. 22.

Separatur quis a populo electo (cujus figura fuit populus Judæorum, & caput eſt Chriſtus) tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. Eſt. 78. Queſnell. Act. 3. v. 23.

XI. Quæ præcedenti §. dicta ſunt, ex hiſce propoſitionibus novum acquirunt robur. Ecce enim Queſnellus deprædicans ſpatioſitatem Eccleſiæ Dei, exclamat in *edit. Latina Reflex. Moral. Quam vere Eccleſia tua, O Deus meus! eſt magnum aliquid & admirabile ... Nibil æque ſpatioſum, cum omnes electi, omniumque ſæculorum juſti illud componant*. Nonne hic locus erat aliquam peccatorum mentionem ingerendi, quo augeretur tanto ſpiritu declamata ſpatioſitas Eccleſiæ? Sed altum de peccatoribus ſilet Paſchaſius; ab Auguſti-

Ad Eph. 2. v. 20.

no, uti olim Pelagius, ob affectatum ſuum ſilentium, condemnandus. Mirum profecto quod hic rurſus non accerſiverit Angelos cæli, veluti in *prop.*72., ne excluſione peccatorum Eccleſiæ pomœria nimis videretur reſtringere. Puto Queſnello adeo ridiculum apparuiſſe, Angelos Eccleſiæ viſibili annumerare, ut contentus id, ad faciendum fucum ſimplicibus, ſemel expreſſiſſe, erubuerit idem ſecundo inculcare. Enimvero, quid ridiculum magis, quam Angelos ad eam Eccleſiam ſpectare, quæ eſt *viſibilis ſicut mons*; quod de Eccleſia Queſnellus prædicat, ut ex §. præced. patet? Nugatur ergo Queſnellus ac fucum facit lectoribus, dum hianti ore exclamat; *Quam vere Eccleſia tua, Deus meus! eſt magnum aliquid .... Nihil ſpatioſius &c.* Cum ex una parte demendi ſint Angeli, ex alia, ipſe excludat peccatores: in veteri etiam lege vix aliquos ad Eccleſiam pertinuiſſe fabuletur, dum ait: Moyſem, Prophetas ac Sacerdotes veteris teſtamenti mortuos eſſe, *abſque eo quod VLLVM Deo dederint filium.* Eſt *prop.*65. Quid autem de novo teſtamento? Ecce *prop.*77. excludit omnes illos qui non ducunt *vitam dignam filio Dei & membro Chriſti.* Porro quam pauci ſunt illi qui ſimilem vitam agunt? Qui vel unum unicum peccatum committit mortale, talem vitam haud ducit: excludendus ergo iterum ab Eccleſia numerus innumerabilis. Verùm hic nondum ſiſtit Queſnelli præpoſterus zelus; quippe ſi ejus principiis ſtetur, omnes illi ulterius excludendi ſunt, qui timore pœnæ a peccatis ſe continent. Vis id probem?

Vid. pag. 43. n. 9. & pag. 179. nu. 81.

XII. Probo. Extra Eccleſiam eſt, qui non habet Deum pro patre & Chriſtum pro capite: hic

eſt,

Digitized by Google

eſt,qui non ducit,vitam dignam filio Dei & membro Chriſti, ex *prop.* 77. : ſi jam ulterius inquiramus a Queſnello, quid ſit ducere vitam dignam filio Dei & membro Chriſti? Reſpondere non poteſt, eſſe ex timore vivere; hoc enim Judæos faciebat mancipia, juxta *prop.* 65. Quid ergo eſt? Eſt vivere per fidem & amorem, juxta *prop.* 66. id eſt, per charitatem; quia non ſunt niſi duo amores. *prop.* 44. cupiditas & charitas. De primo ergo ad ultimum, illi etiam excluſi erunt ab Eccleſia, qui timore pœnæ a peccatis ſe continent: prout etiam confirmat *prop.* 8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi quatenus participes ſumus ipſius NOVÆ gratiæ &c*: atque hâc etiam excludit infantes, dormientes, vel hic & nunc nihil agentes, prout pag. 390. notatum eſt.

XIII. *Theol. ſuppl.* fatetur, omnes in hoc conſentire Theologos catholicos, injuſtos etiam & peccatores in Eccleſia eſſe ac de Eccleſia: attamen multos præclaros Theologos ſentire, eos non eſſe membra vera, nec ſimpliciter, corporis Eccleſiæ, ſed partes excrementitias, ac veluti humores malos ac peccantes corporis humani. In qua ſententia affirmat fuiſſe quoque S. Auguſtinum, qui ſcriptum reliquit: *Ac per hoc etiam neſciente Eccleſia propter malam pollutamque conſcientiam damnati a Chriſto, jam in corpore Chriſti non ſunt, quod eſt Eccleſia: quoniam non poteſt Chriſtus habere MEMBRA damnata.* Et *tract.* 3. *in Epiſt. Joan.* de malis loquens, *ſic ſunt in corpore Chriſti, quomodo humores mali.*

Pag. 88.

Libro 2. cap. 21. contra Creſconium.

XIV. Hæc omnia libenter admitto, dummodo nomine partium excrementitiarum intelligantur illæ, quæ aliquem vitæ gradum, aliquem

adhuc participant a corpore & capite influxum, ut ſunt *humores, dentes, pili, & alia quæ non ſunt membra*, uti loquitur Bellarminus ab eodem citatus. Hoc etiam S. Auguſtinus inſinuare videtur voluiſse, dum primo loco negavit malos MEMBRA eſſe Chriſti; ſecundo tamen loco, & aliis a nobis ſupra adductis, admittit eos in Eccleſia eſse: quod bene reflectendum. Sic S. Thomas *3. p. q. 8. a. 3. ad 2. Qui vero his* (mortalibus) *ſubduntur peccatis, non ſunt membra Chriſti actualiter .... niſi forte imperfecte, per fidem informem, quæ unit Chriſto ſecundum quid, & non ſimpliciter .... fides enim ſine operibus mortua eſt.. Percipiunt tamen tales a Chriſto quemdam actum vitæ, qui eſt credere: ſicut ſi membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine*. Aliud ſiquidem eſt in corpore Eccleſiæ eſse, aliud etiam membrum Chriſti ſimpliciter eſse. Primum concedit Auguſtinus & Thomas malis, ſecundum negat. Hæc ergo ſententia in Queſnello minime damnata eſt. Quid ergo? *An quod oblique ſaltem*, proſequitur *Theol. Supplex. videatur Queſnellus innuere, peccatores nulla ratione ad corpus Chriſti myſticum pertinere; nulloque illos titulo Chriſtum ut caput, Deum ut Patrem agnoſcere?* Imo vero ipſiſſimum hoc eſt dogma in Queſnello damnatum. Nec oblique ſolum illud innuit, ſed clariſſimis verbis expreſſit dicens: *prop. 77.* Ceſſant *interius habere Deum pro Patre & Chriſtum pro capite*, quid clarius? Quod ſi hoc nondum ſufficit ad eum errorem, non oblique ſolum, ſed directe inſinuandum, addatur *prop. 78: Separatur quis a populo electo* (*cujus figura fuit populus Judæorum, & caput eſt Chriſtus*) *tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non*

Lib. 3. de Eccl. Mil. cap. 9.

credendo Evangelio. Viden', qualiter Queſnello par ſit malus chriſtianus, ac infidelis? Nulla ergo ratione ad corpus Chriſti myſticum pertinet peccator, ſecundum Queſnellum; ſicut nec infidelis.

XV. Nec juvat Queſnellum, obſervatio Auctoris *Theol. ſuppl.*, videlicet: *hominem tam non vivendo ſecundum Evangelium, ab INTERNO Eccleſiæ ſpiritu, animaque vivificante INTERIUS ſeparari; quam non credendo Evangelio ab EXTERNA fidelium ſocietate ſeparatur.* Non juvat, inquam; tum quod abſque ullo fundamento talis moderatio Queſnelli verbis adhibeatur: tum quod verba ejus talem omnino reſpuant moderationem, ob paritatem poſitam mali fidelis cum infideli: cæteraque ei propoſitioni in opere *Reflex. moral.* adjuncta. Sic enim habet *Act. 3. v. 23.* unde damnata Theſis deſumpta eſt, editio gall. 1693. *Le peuple Juif eſtoit la figure du peuple elu, dont J.C. eſt le chef. L'excommunication la plus terrible, eſt, de n'etre point de ce peuple; & de n'avoir point de part a J. C.; & on s'en retranche auſſibien en ne vivant pas ſelon L'Evangile, qu'en ne croyant pas a L'Evangile.* Editio latina 1695. *Populus Judaicus figura erat populi electi, cujus caput eſt Chriſtus. Excommunicatio maxime terribilis hæc eſt, ex illo populo non eſſe, & Jeſu Chriſto non participare: PERINDE autem ab eo reſcindimur non vivendo ſecundum Evangelium, ac non credendo Evangelio.* Ecce PERINDE, (gallice, *auſſibien*) uterque reſciſſus a populo electo & Chriſto. Ex populo illo non eſſe: Jeſu Chriſto non participare: excommunicatus dicitur, tam malus chriſtianus, ac infidelis: quæ omnia, uti dixi, attentatam moderationem plane reſpuunt. Pag. 91.

XVI.

XVI. Imo, etſi ſolum innuere viderentur Queſnellianæ propoſitiones errorem indicatum, nonne hoc ſufficere deberet ad juſtam ejus proſcriptionem? Judicent inter nos Doctores Sorbonæ in cauſa Queſnelliana minime ſuſpecti, qui Eraſmi olim propoſitiones plurimas cenſurarunt. Dixerat Eraſmus *Marci 3. Eccleſia Chriſti, neque mutos, neque cæcos, neque claudos recipit: hujuſmodi autem habet Synagoga*. Quid ad hanc prop. Sorbonæ Magiſtri? *Hæc propoſitio*, inquiunt, *ſic indiſtincte poſita, INNUERE videtur, ſolos juſtos eſſe de Eccleſia militante (de illa tantum ſit ibi ſermo) non autem conſonat doctrinæ Evangelicæ, quæ comparat regnum cælorum, quod eſt Eccleſia militans, ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: & agro Dominico, in quo cum tritico ſubnaſcunur zizania*. Et nonne longe clarius eundem errorem innuunt Queſnellianæ? Qualem ergo cenſuram, credimus, in eas ſtrinxiſſent zeloſi illi fidei defenſores? Longe, haud dubie, acriorem: præſertim, cum ſcripſerit Paſchaſius poſtquam Novatores ſæculi 16. duplicem commenti ſunt Eccleſiam: poſt Tridentinum, e cujus vel Catechiſmo, Sedis Apoſtolicæ judicio, & omnium utilitate comprobato, diſcere poterat, quid Eccleſia hac de re ſentiat. Sic enim habet *par. 1.* ad illas particulas noni articuli Symboli, *Sanctorum communionem, num. 26. Membra vero mortua, nimirum homines ſceleribus obſtricti, & a Dei gratia alienati, hoc quidem bono non privantur, ut hujus corporis membra eſſe deſinant: ſed cum ſint mortua, fructum ſpiritualem, qui ad juſtos & pios homines pervenit, non percipiunt: tametſi, cum in Eccleſia ſint, ad amiſſam gratiam vitamque recuperandam*

Tit. 26. cenſuræ cõtra Eraſmum,

ab iis adjuvantur, qui ſpiritu vivunt; & eos fructus capiunt, quorum expertes eſſe dubitari non poteſt, qui omnino ab Eccleſia ſunt præciſi.

REFLEXIO SEPTIMA.

XVII. Summus Eccleſiæ Paſtor ac Pontifex Joannes XXII. in Bulla: *Glorioſam Eccleſiam*, recenſens errores Fratricellorum, primo loco refert, huic Queſnellianæ doctrinæ non multum abſimilem. „ Primus itaque error, *inquit*, qui de iſtorum officina tenebroſa prorumpit, duas fingit „ Eccleſias, unam carnalem . . . . aliam ſpiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, „ paupertate ſuccinctam: in qua ipſi ſoli eorumque complices continentur, cui etiam ipſi ſpiritualis vitæ merito, ſi qua fides eſt adhibenda mendaciis, principantur. Quæ impietas ſic „ iſtis ſceleratis eſt propria, ut a nulla hæreſi poſſit eſſe ſejuncta: quippe omnes impii, dum „ prave in fide ſentiunt, dum ab unitate Eccleſiæ atque obedientiæ per contumaciam ſeparantur, univerſitatem fidelium carni, ſe ipſos „ vero ſpiritui ſervire, frivolis aſſertionibus mentiuntur &c. „

XVIII. Hunc errorem non obſcurè indicant pp. jam diſcuſſæ. Hinc mihi perſuadeo, Queſnellum id in animo geſſiſſe, ut vel novam Eccleſiam conderet, aut antiquam reformaret. Homo ſcilicet privatus, nulla auctoritate munitus; nec a Deo aut ullo homine, auctoritatem habente, ad id muneris deſtinatus; nulla divinæ miſſionis indicia oſtentans: quo argumento SS. Patres, ac controverſiſtæ omnes, contra antiquas, & recentiores hæ-

hæreſes, præſertim Lutheri, atque Calvini proſpere ſemper uſi ſunt. Cœperat autem Queſnelliana factio Ordo appellari, cujus Abbate (ſic vocabatur Antonius Arnaldus) mortuo, ſucceſſit Queſnellus ſub P. Prioris titulo: ſignum utique deficientis jam in incunabulis ſuis Sectæ. Qualis autem eſſe debuiſſet nova hæc Queſnelliana Eccleſia, ex præmemoratis, ac ſequentibus etiam propoſitionibus: quibus varia puncta, uſu Eccleſiæ Romanæ, quæ Mater eſt ac Magiſtra Eccleſiarum omnium, conſecrata, arrodere, perſtringere, abolere tentavit: poterit aliquo uſque patere. Ad quas priusquam accedamus, Quæſtioni ſequenti reſpondendum.

XIX. Ecquid, dicet aliquis, intendunt, vel conſequi ſe poſſe confidunt, qui contra apertas Scripturas, peccatores ab Eccleſia excludunt? Rem acu tetigiſſe mihi videtur Eximius noſter Norbertus Van Bilſen S. T. in Univerſ. Lovan Doctor, quondam Theologus Caſanatenſis, ac hodie Provin. Germ. Infer. iterata vice Provincialis, in *Theſibus ſuis Theologicis, Theſi. 1. pag.* 31.: „ Quam „ vereor, *inquiens*, ne præpoſterus ille ſanctita- „ tis zelus nobis malum ferat, & ne, dum pecca- „ toribus Eccleſia occluditur, omnis denique eiſ- „ dem obſeretur auctoritas. Nam facile eſt, ut „ quibus membri honorem denegas; deneges „ & a capite influxum; & dicas, neminem parti- „ cularis, aut univerſalis Eccleſiæ caput eſſe poſ- „ ſe, qui nullius Eccleſiæ pars eſt, aut membrum. „ Quo utroque poſito, Malorum nutabit aucto- „ ritas, & juriſdictio; ac tandem de totius mi- „ niſterii, & ordinis dubitabitur exercitio. Se- „ quelas iſtas negabit, credo, propoſitionum au-

„ ctor

„ ctor, & merito quidem. Non deſuerunt ta-
„ men qui admiſerunt, & eas ex poſitis princi-
„ piis legitime conſequi profeſſi ſunt. Nec aliis,
„ puto, maximis nitebantur illa, quæ in Joanne
„ Wicleff, & Hus damnavit Conſtantienſe Con-
cilium. „ Hucuſque præfatus Eximius. Quam hic inſtituit cum Joanne Wicleff, & Hus comparationem, juſtiſſimam, nec exaggeram puto: quia, ſi demas, illos malis auctoritatem, & juriſdictionem *verbis expreſſis* eripuiſſe, Queſnellus hos etiam audacia ſuperavit: ut ex ſequentibus, ſpero, manifeſtum fiet.

CAP. X.

De efficacia gratiæ baptiſmalis.

§. I.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Primus effectus gratiæ baptiſmalis, eſt facere, ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi. Eſt. 43. Queſnell. Rom. 6. v. 2.

I. Vidimus præcedenti capite excluſos ab Eccleſia peccatores: omnes qui non ducunt vitam dignam filio Dei & membro Chriſti: eos quoque qui ex timore continent ſeſe a peccatis. Hic jam incipit Queſnellus novæ ſuæ Eccleſiæ fundamenta ponere; ad quam non pertinemus, niſi effectum hunc gratiæ baptiſmalis perceperimus: quippe *ex prop.* 8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi quatenus participes ſumus novæ ipſius gratiæ*; ejuſque effectuum: quos niſi quis in ſe experiatur, ſperare haud poteſt, ſe de Eccleſia eſſe. At quis ſperare poterit eſſe ſe de Eccleſia, ſi effectus in damnata Theſi præſcriptos debeat in ſe experiri? O Doctor gentium Paule, fuiſti tu, dum viveres, membrum Eccleſiæ Chriſti? Exclamas quidem confidenter, de Chriſto loquens:

quens: *Qui tradidit ſe met ipſum pro me*: Sed unde tibi tanta confidentia? Nonne fateris, ſentire te aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ? Nonne quereris datum tibi ſtimulum carnis, angelum ſathanæ qui te colaphizet? Nonne ſcripſiſti: *Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago?* Hæc omnia dum fateris, primum effectum gratiæ baptiſmalis, a Queſnello prædicatum non attigiſti, nec expertus es. Vana erat ergo ſpes tua. Proh enim! *Quantum oportet bonis terrenis renunciaſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem & myſteria. Moriamur peccato* oportet, *adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non babeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi*. At tu, optime Paule! illuc uſque nondum perveneras, quando illa ſcribebas: *Sentio aliam legem in membris meis &c.* Gal. 2. v. 20.

II. Puto enimvero Queſnellum nec Paulum Apoſtolum, omnia prædicta de ſe humiliter fatentem, ad Eccleſiam ſuam admiſſurum fuiſſe. Apage fanaticam ſanctitatis affectationem. Ubi gentium erit Eccleſia, ſi nullus ad eam pertinet, niſi novæ Chriſti gratiæ particeps, cujus primus effectus ille ſit, quem commentus eſt Queſnellus? In infantium baptizatorum cunis quærenda erit; ſi tamen & ibi inveniri, juxta Queſnelli principia, poſſit: cum incapaces ſint infantes illius novæ gratiæ, qua Deus in nobis operatur quod præcipit; ſine qua non pertinemus, ut vult Queſnellus, ad novam legem. Chimærica eſt ergo Queſnelli Eccleſia, non ſecus atque a Platone olim ſomniata Reſpublica. Fatemur Catholici, cum Sefs. 5.
Tridentino „ Manere in Baptizatis concupiſ- Can. 5.

„ cen-

„ centiam, vel fomitem, quæ cum ad agonem
„ relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed
„ viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnanti-
„ bus non valet: quinimo, *qui legitime certa-*
„ *verit, coronabitur.*

III. Quam pauci, imo quam nulli ſunt homines in terra, qui hunc primum gratiæ baptiſmalis effectum habeant, & experiantur, agnoſcit Queſnellus ipſe, dum ſtatim poſt propoſitionem damnatam addit: *Ah! quis eſt qui amori laudum, qui omnibus voluptatibus, & omnibus cupiditatibus ſæculi mortuus eſt?* Nulli ergo, aut ſaltem pauciſſimi erunt, qui gratiam recipiant baptiſmalem; quippe quæ eſt a ſuo effectu primario inſeparabilis. Ubi eſt ergo *Trident. canon. 7. ſeſs. 7.* De Sacramentis: *Si quis dixerit non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta, SEMPER, ET OMNIBUS; quantum eſt ex parte Dei: etiamſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus, anathema ſit?*

IV. *Eum mortis ſpiritualis effectum non ſemper conſequitur baptizatus*, inquit *Theologia ſuppl.* Pag. 200. *culpa utique ſua, non inſufficientia Sacramenti*: Sed inquam, obſecro, culpam committunt miriades infantium qui baptizantur, nec tamen hunc effectum conſequuntur? Addit: *Idcirco forte ea damnata eſt propoſitio, quod eum gratiæ baptiſmalis effectum ſtatim, & ab omnibus plene, & integre obtineri, videatur aſſerere.* Potius contrarium exiſtimo omnino verum; ideo damnatam, quod videatur aſſerere, pauciſſimos, imo nullos conſequi effectum primarium gratiæ baptiſmalis in hac vita, ſed in futura ſolum: adeoque nec ipſam gratiam; quæ, ut omnes aliæ formæ, communicari non poteſt, niſi ſaltem effectum primum conferat. In-

de

de illa Queſnelli exclamatio: *Ab! quam pauci &c.* & rurſus ad *v.* 52. ejuſdem capitis: *in maximis Sanctis, dum vivunt, vivit lex peccati, quis non contremiſcat, quis extollere ſe audeat?* Quæ omnia ad minus ſuſpectum reddunt Queſnellum violati *canonis* 7. *citati*: ſufficiuntque ad juſtam damnationem. Quod ſi addere volumus verba Queſnelli *cap. 9. n. 4.* deſcripta: *Spiritus Dei non eſt niſi pro filiis Dei*, omnino manifeſtum erit Queſnellum renovaſſe errorem a Trid. *loco cit.* damnatum.

V. Fruſtra autem idem auctor adducit Apoſtolum dicentem ad Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in C. J. in morte ipſius baptizati ſumus: ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato &c.* Scimus enim quid Apoſtolo ſit, nos crucifixos eſſe, mortuos eſſe &c. imo ſatis ſe ipſe explicat verbis illis: *ut ultra non ſerviamus peccato*; quod toto cœlo diſtat ab hoc, quod eſt, ſpiritum, cor, ſenſum, id eſt, intellectum, voluntatem, & ſenſualitatem, non plus vitæ habere pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi. Unde idem Paulus, quantumcumque ſe dicat mortuum peccato, mortuum mundo, mundum ſibi, & ſe mundo crucifixum: alibi tamen meminit habitantis in ſe peccati; optatque liberari a corpore mortis hujus &c. Pag. 198.

VI. Pari ſucceſſu, id eſt nullo, allegat pag. 199. auctoritatem Gregorii Nyſſeni, baptizatum ita loquentem inducentis: *Si conformes morti facti ſumus, mortuum prorſus deinceps in nobis* Orat. de S. Baptiſmate.

peccatum eſt, *lanceâ Baptiſmatis* ... *Mortuus corpora non amat*, *mortuus non capitur divitiis*, *mortuus non calumniatur*, *mortuus non mentitur*, *non rapit ea quæ ad ſe non pertinent*, *non conviciatur ſibi obviam factis* &c. Ubi ſignanter obſervandum, quod cum dicere etiam potuiſſet, mortuus non ſentit ullam concupiſcentiam carnis, ullum motum iræ, vindictæ &c. ab iis tamen, & ſimilibus abſtinet S. Gregorius. Quare? Quia ſciebat tantum ſe ab homine ſpiritualiter mortuo in hac vita exigere non poſſe: ſed unice, quod non debeat amare corpora, ſinere ſe capi divitiis, neminem calumniari, non mentiri, aliena non rapere: hæc enim omnia in hac vita vitari poſſunt, non prima. Hinc concludit S. Gregorius: *Hoc pactum in traditone myſterii*, Baptiſmalis, *cum Deo fecit*, *cum omnem & pœnam & cruciatum & voluptatem*, *pro illius dilectione ſe NEGLECTVRVM* (non dicit, *ſe non ſenſurum*) *promiſit*. Juxta Queſnellum vero, habens vel primum effectum gratiæ baptiſmalis, ne ſentire quidem debet, aut poteſt ullam voluptatis titillationem.

VII. Præter hunc ſenſum, quem ſtatim ingerit hæc propoſitio in ſe ſpectata, habet alium, attentis Queſnelli principiis. Quam alibi dicit NOVAM GRATIAM, ad fœdus novum pertinentem, hîc indigitat nomine gratiæ baptiſmalis, quaſi Chriſtianis propriam, minime Judæis: ſicque intelligenda foret propoſitio de gratia operationis, faceretque hunc ſenſum: gratiam operationis, ſeu efficacem, tam potenter rapere hominem, ut non plus poſſit oppoſitum, quam homo mortûus opera vitæ elicere. Sicque manifeſte reproducit gratiam, neceſſitantem in Bajo, &

Jan-

Janſenio olim damnatam. Hunc eſſe ſenſum præcipue a Queſnello intentum, perſuadet Magiſtri ejus Janſenii expreſſio, *De grat. Chr. lib. 4. c. 9. ante finem*: *Nam quemadmodum hic ante gratiam iſtius cœleſtis delectationis, non poterat quidquam agere boni; dominante ei ſola delectatione creaturæ; ita poſt eam ABSORPTAM EXTINCTAMQUE PENITUS, nihil poteſt agere mali, dominante ei ſola delectatione Creatoris*. De hoc ſenſu dictum eſt pag. 185. in fine. Quocumque ergo modo ſumatur hæc propoſitio: ſive abſolute ut jacet, ſive per ordinem ad alias propoſitiones, in ſenſu obvio eſt damnabilis, meritoque damnata; veluti continens, aut ſuſpecta ſaltem duplicis hæreſis, ut dictum eſt.

VIII. Si ergo juxta Queſnellum non pertinemus ad novum fœdus, id eſt, Eccleſiam Chriſti, niſi quatenus participes ſumus novæ iſtius gratiæ, quâ ita perfecti reddimur, ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi: aut, quâ ita agimur ad bonum, ut non magis oppoſitum, quam mortuus opera vitæ, elicere poſſimus; cum tanta perfectio vel in nullis, vel in rariſſimis deprehendatur; audio quidem Queſnellum clamantem: *Nihil ſpatioſius Eccleſiâ Dei*; ſed eam utut ſpatioſam Eccleſiam minime video, nec invenio; nec ubi Queſnellus eam invenerit, ſcio: niſi forte, ſe in Belgio, ac deinceps in Hollandia, unum aut alterum in Gallia, alium quempiam in Italia, exiſtentes, ad eum perfectionis gradum perveniſſe, ac novam illam Eccleſiam conſtituere arbitratus ſit; ſicque ea ſpatioſa ſit non numero credentium ſed diſtantia locorum: niſi,

inquam, hoc intellexerit Queſnellus, nullatenus video, quî potuerit exclamare: *Nihil ſpatioſius Eccleſiâ Dei* &c.

REFLEXIO OCTAVA.

IX. Mirabitur fortaſſis aliquis, quod poſt aſſignatum ſenſum, *num.* 7. ab auctore præcipue intentum nuncupatum, hîc rurſus alius ſenſus tribuatur uni & eidem propoſitioni. Sed deſinet mirari, ſi dixero id me feciſſe, quod Auctor *Theologiæ Suppl.* ſæpius repetat, Theologis haud curæ eſſe debere, quid Queſnellus animo geſſerit, aut exprimere intenderit. Hac ergo licentia uſus, novum, nec tamen violentum huic propoſitioni ſenſum dandum eſſe putavi; ut ſic magis pateat Queſnelli librum nonniſi fœdiſſimam eſſe cloacam; unde innumeri errores a legentibus hauriri poſſunt. Quod ut roboretur magis, addamus ex S.
Q. 24. de verit. a. 12. Thoma, *Habet humana mens, duas contrarias inclinationes, unam quidem in bonum.... quam conſiderans Jovinianus, dixit, hominem non poſſe peccare: alia inclinatio ineſt humanæ menti ex inferioribus viribus, & præcipue ſecundum quod ſunt ex originali peccato corruptæ: qua ſcilicet inclinatur mens ad eligendum quæ ſunt ſecundum carnem delectabilia: & hanc conſiderantes Manichæi, dixerunt, quod homo neceſſario peccat, nec aliquo modo peccatum vitare poteſt. Et ſic uterque, licet viis contrariis, in idem inconveniens inciderunt, ut liberum arbitrium denegarent.* Hunc errorem manifeſte renovat Queſnellus, dum cum Janſenio docet, *quod liberum*
De grat. Salv. lib. 4. c. 10. *arbitrium ante gratiam, non ſit amplius liberum ad agendum bonum, ſed tantummodo ad malum* (quod alibi

alibi oſtenſum eſt) : & hic vice verſa aſſerit, hominem ſub gratia baptiſmali, id eſt, medicinali Chriſti, non habere *plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi*. Igitur, vel eſt neceſſitatus ad malum, vel ad bonum: ubi ergo libertas? Addamus & Fauſti Soncini errorem, apud Alex. Natal. *Hiſt. Eccl. Sæc. XV. & XVI.* docentis: *Viſibilem Eccleſiam perpetuo non extitiſſe, aut porro extituram*: ſi enim medicinalis illa Queſnelli gratia, baptiſmalis eſt, hoc eſt, Eccleſiæ novi Teſtamenti propria; Synagoga ea privata fuit: ubi ergo tunc fuit Chriſti Eccleſia? Nam ſicut una hirundo non facit ver, ita unus aut alter juſtus; quos forte non difficulter admitteret Queſnelliſta in veteri lege, non facit cœtum, ſeu Eccleſiam. Hæc ergo prop. non unum continet errorem: ac propterea juſtiſſime condemnata eſt, juxta regulam 2. *pag*. 41. datam. Cap. 2. Art. 13. §. 4. n. 26.

X. Rurſus ex Auguſtino habemus, Pelagianos quidpiam huic Queſnelliano errori ſimile docuiſſe: *Etiam hec*, inquit Auguſt., *Pelagiani audent dicere: hominem juſtum in hac vita nullum habere omnino peccatum: & in talibus hominibus eſſe jam in præſenti tempore Eccleſiam non habentem maculam neque rugam, aut aliquid ejuſmodi; quæ una & ſola ſponſa ſit Chriſti: tamquam ſponſa ejus non ſit, quæ per univerſam terram, quod ab eo didicit, dicit*: Dimitte nobis debita noſtra.,, En ipſiſſimum Queſnelli errorem. Si enim primus effectus gratiæ baptiſmalis (quæ utique nova gratia novi fœderis eſt) ſit, efficere, ut non plus vitæ habeamus pro peccato, quam homo mortuus habet pro rebus hujus mundi: *Si non pertinemus ad novum fœdus*, ut ait *prop*. 8. (id eſt Eccleſiam) *niſi quate-* De dono perſev. cap. 5.

mus participes ſumus ipſius novæ gratiæ;conſequens eſt, ut in Eccleſia nonniſi tales ſint: adeoque in talibus hominibus eſt jam Eccleſia, non habens maculam, neque rugam. Videri etiam poteſt ſcriptum adverſus Pelagii errores,quod extat *Tom. X, novæ edit. operum S. Auguſt. in appendice*, ubi inter illius hæreſiarchæ errores recenſetur: *Filios Dei non poſſe vocari, niſi omnimode abſque peccato fuerint effecti*, cum enim gratiæ baptiſmalis effectus ſit, translatio filiorum Adæ in ſtatum filiorum Dei; ſi primus hujus gratiæ effectus ſit, facere, ut omnino moriamur peccato, nemo vocari poterit filius Dei, niſi omnino abſque peccato, peccatique affectu & ſenſu fuerit. Quis non miretur Queſnellum tam fidum in multis Lutheri & Calvini ſectatorem, hic in Pelagii errorem iſtum præcipitare? Sed hæc ſors eſt eorum, qui mediâ viâ relictâ incedunt, ut in quævis præcipitia labantur; dum ducem & paſtorem ſibi a Deo datum recuſant audire & ſequi. Præterea, etiam Prædeſtinatiani in Queſnello redivivi, apud Cellotium docuêre, quod *ſoli prædeſtinati ad vitam per baptiſmum in membra Chriſti coaptantur, & verum corpus, vera Eccleſia conficiuntur; cæteris perfunctorie & fruſtratoriæ detur &c.* Hoc etiam implicite hîc docet Paſchaſius, dum tales nobis gratiæ baptiſmalis deſcribit effectus, quos vix ulli, ſi tamen ulli, percipiunt. Ecce quot, & quantos errores unica Queſnelli prop. renovat! Ex hac *errorum colluvie in propatulo poſita*, agnoſcite, o! Queſnelliani, *quanto demum veneno ejuſmodi liber, tametſi dulcibus ſubdole illitus fucis, non modo conſperſus, ſed plane infectus ſit; nec quiſquam deinceps eundem ſatis emendatum fidelium manibus obtrudere ſe poſſe* confidat.

In appar. ad Hiſt. Gotteſchalci.

Clé. XI. ad Epiſc. Gal. die 20. Nov. 1716.

CAP.

CAP. XI.

De cenſurarum & juramentorum uſu.

§. I.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidelium fidem, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. Eſt. 94. Queſnell. Rom. 14. v. 16.

I. VEtus hæreticorum cantilena eſt, Eccleſiam Romanam, Romanoſve pontifices dominatum affectare ſupra fidem fidelium; dum eorum nova, periculoſa, erronea, hæretica dogmata proſcribunt. Quo vero Eccleſiæ paſtores profundo ſomno, ſi fieri poſſet, immergant, ut ſecurè zizania ſua tritico ſuperſeminare valeant, adjungunt, nova ſua dogmata nihil ad fidem, ad mores facere nihil. Hiſce veſtigiis inhæret hic Queſnellus. Primo igitur Eccleſiam ſacrilegè accuſat uſurpatæ dominationis ſupra fidelium fidem. Immemor Chriſtum dixiſſe Petro, *Paſce oves meas, paſce agnos meos*: Immemor Paulum ipſum, Deo auctore, aſcendiſſe Jeroſolymam, ut ipſe teſtatur *ad Gal.* 2. *Aſcendi au-*

tem ſecundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus &c. Immemor, ex omnibus mundi partibus conſultos in fidei negotiis Petri Succeſſores: immemor ipſos Galliæ Epiſcopos non ita quidem, contra novaturientia ingenia a Sede Petri poſtulaſſe, ut quid tenere quid credere deberent, docerentur: paſtoralis ſollicitudinis omnibus impenſæ officia, Dominatum ſupra fidem fidelium, per ſummam impietatem appellat. An dominatum illum exercuit Romana ſedes, propoſitiones laxiores damnando? An, librum *Maximes des Saints*, aut librum *Molinos* proſcribendo? An Bajum, Janſenium, hujuſque aſſeclarum propoſitiones rigidiores anathematizando? Eligant Queſnelli aſſeclæ: ex ore ipſorum eos judicabimus. Nos interea cum Auguſtino gaudebimus, Eccleſiam talem eſſe, ut comparari poſſit Mulieri iſti, de qua *Prov.* 2. dicitur, *Severæ ſunt converſationes domus ejus*: poſt quæ addit S. Auguſt. *Sed ut non eo uſque progrediatur dementiæ, potius temeritas, quam ſeveritas diligentiæ, ut quaſi bonos a malis per nefaria ſchiſmata ſeparare præſumat: neque enim per has ſimilitudines & prænuntiationes conſilium deſidiæ datum eſt bonis, qua negligant quod probibere debent, ſed patientiæ, qua perferant, SALVA DOCTRINA VERITATIS, quod emendare non valent.*

De fide & oper. c. ult.

II. Sed, multa ſunt Romæ proſcripta, quæ nec fidem lædunt nec mores; foventurque ita diviſiones. Audio. Sed ſcio etiam Eudoxium Arianum dixiſſe Valenti Imperatori, inter eos & catholicos certamen eſſe verborum, non differentiam dogmatum: ſcio Lutheranos & Calviniſtas eandem cantilenam repetiiſſe, teſte Bunderio noſtro.

ſtro. Idem jam repetit Queſnellus. Sed ita ſit, nihil ad fidem faciant aut mores, quæ Bajus, Janſenius, Queſnellus effutierunt, cur illos non accuſant qui diſcordiæ ſemina ſparſerunt? Qui nova dogmata procuderunt, nihil, ſi ipſis credimus, ad fidem aut mores pertinentia? Quid illis dogmatibus opus, ſi abſque illis nihil, nec fides nec mores patiuntur? Si ad fidem aut mores illæ non pertinent, cur detrectant obedire Conſtitutioni *Unigenitus*? Nonne ideo ſe debitam obedientiam nondum præſtitiſſe affirmant: *Quia verentur, ne per illam catholica dogmata convellantur: ne laudabilis, & ab hac ſancta ſede probata Eccleſiaſtica diſciplina infringatur: neve demum ſalubriores Chriſtianorum Morum regulæ ſubvertantur?* Cur Queſnellus ipſe, propter res adiaphoras, ſponte exul factus eſt? Dicamus quod res eſt: ſperavit Queſnellus fieri poſſe, ut illa monitione prævia, ſopiretur ſollicitudo paſtorum Eccleſiæ: doctrina ſua radices interea ageret, ramos expanderet, antiquam Eccleſiæ fidem ſuffocaret, tumque facilius pro fidei dogmatibus venditaret, quæ prius pro indifferentibus ſparſerat. At Spiritus præſidens caſtris Dei viventis, a ſimilibus ſirenarum cantibus jam olim docuit cavendum; induenſque ſummum in terris Eccleſiæ Paſtorem virtute ex alto, zizania compreſſit in herba: inde gemitus, inde fletus, inde indignatio in Romanam Sedem: inde, quæ prius indifferentia, nunc articuli fidei dicuntur.

Cōpend. Concert. tit. 33.

Bulla Paſtoral. officii.

III. Interim vero liceat Queſnelliſtarum novæ ſectæ huic dominatui, ut ipſi vocant (revera tamen paſtoralis ſollicitudo & cura dicenda eſt) renunciare: liceat unicuique ipſorum quæ

ma-

maluerit dogmatizare: fatebuntur brevi vel inviti, ſectam ſuam, non jam propter ſolum Babylonienſem, verum ob dogmatum confuſionem, *recte Eccleſiam Babylonis* nominandam. Mirari autem ſatis non poſſum, quod Auctor *Theol. Suppl.* relatis hâc & aliis quatuor propoſitionibus, deinde *pag.* 156. dicat. *Cum nihil dogmatis propoſitiones illæ contineant, ſed aſperas tantum graſſantium nonnullorum abuſuum inſectationes complectantur; nulla Theologis monitione opus eſt, ut intelligant, nullum in iis errorem fuiſſe deprehenſum &c.* ut enim omittam, eum videri hanc propoſitionem renovare, dũ *graſſantium nonnullorum abuſuum* meminit, non video quomodo ad Dogma non pertineat, aſſerere, in Eccleſia *dominatum exerceri ſupra fidelium fidem, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores?* Scimus illas RES eſſe dogmata vel Baii vel Janſenii, vel ipſius Queſnelli, vel denique omnium iſtorum, quæ Eccleſia ſub variis cenſuris, etiam hæreſis, proſcripſit. Quod ſi nulla ex iſtis hæretica ſunt, quomodo Eccleſia non erravit in fide, dum illa vel ex illis aliqua ut hæretica proſcripſit, eorumque contradictoria, ex conſequenti, ad fidem pertinere definivit? *Ad fidem pertinet aliquid dupliciter*, inquit S. Thomas 3. *p. q.* 33. *a.* 3. *uno modo directe .... indirecte vero ad fidem pertinent ea ex quibus conſequitur aliquid contrarium fidei*. At ſi exercetur Dominatus in Eccleſia ſupra fidem fidelium, res quæ nec fidem lædunt, nec mores tractando, ac ſi ad fidem pertinerent, ſequitur Eccleſiam errare in fide; quod eſt hæreticum aſſerere.

IV. Hæc & alia, quæ plurima in hanc rem dici poterant, conſideret, obſecro, auctor iſte:

dum

dum nos interim Deum laudabimus, quod dederit Eccleſiæ ſuæ paſtores vigilantes, quibus neceſſe non ſit ſcribere illa *Apoc. 2. v. 2. Angelo Pergami... habeo adverſum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam ... ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum ... Et Angelo Thyatiræ ... habeo adverſum te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit prophetan docere, & ſeducere ſervos meos fornicari & manducare de idolothytis &c.* Similia, abſit, ut Angelo Eccleſiæ Romanæ ſcribere ſit opus. Addendum quoque, videri Queſnellus hac propoſitione negaſſe Eccleſiæ vim coercitivam in materia doctrinæ; hoc eſt, Eccleſiam habere poteſtatem cenſuris aliiſque remediis coercendi petulantia ingenia, ne novas procudant opiniones. Ecquis enim queſtus eſt unquam de uſu poteſtatis, quam credit a Chriſto Eccleſiæ datam. Hoc ſi verum eſt, incidit Queſnellus in hæreſim Marci Ant. de Dominis, eam etiam poteſtatem Eccleſiæ auſi eripere; uti in *Reflexione* dicetur. Si autem prætendas non de uſu, ſed de illius poteſtatis abuſu queſtum Paſchaſium, jam fateri cogeris, inſigni injuria affeciſſe Prælatos Eccleſiæ, dum eos accuſat, quaſi poteſtate ſibi a Chriſto tradita, non in Eccleſiæ, ſed propriam utantur utilitatem: hoc enim eſſet dominari fidei fidelium, uti docet S. Thomas.

§. II.

§. II.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quam communia facere juramenta in Eccleſia: quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum. Eſt 101. Queſnell. Matt. 5. v. 37.

V. Poſtquam Queſnellus plenam libertatem eſſe voluit unicuique, ſentiendi quod vellet, non poterat non abrogare conſuetudinem exigendi in certis caſibus juramentum a quibuſdam perſonis. Hæc conſuetudo viget in Eccleſia; atque etiam a Principibus ſæcularibus adhibetur; quo magis ſe aſſecurent de fidelitate ſuorum ſubditorum. Sed cavit Queſnellus tangere ſæculares principes: unde addidit, *in Eccleſia*. Non loqui Queſnellum de conſuetudine leviter & continuo jurandi, ſatis patet ex ipſa textura propoſitionis. Si enim de hac ſermo ei fuiſſet, non dixiſſet: *communia facere juramenta*; ſed: *Leviter aut frequenter jurare*. Nec addidiſſet: *In Eccleſia*; nam æque id periculoſum eſt extra Eccleſiam. Rurſus impropriè diceret: *Hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi*: rectius quippe dixiſſet, *Hoc eſt ſe exponere periculo pejerandi*. Deinde

inde ultima verba : *Hoc eſt . . . . laqueos tendere infirmis & idiotis , & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum* , non de conſuetudine jurandi , ab aliquibus male contracta ; ſed de uſu exigendi a quibuſdam juramentum , ut facit Eccleſia ab ordinandis , & officiis quibuſdam præficiendis , manifeſtum eſt debere intelligi .

VI. Idem clarius patet ex verſione latina *Reflexionum Moralium* , in qua ſic lego : *Juramenti abuſus AB EXIGENTIS incredulitate, aut ab ejus , a quo EXIGITUR , malitia , aut a levitate & irreverentia proficiſcitur* . Tum ſequitur : *Nihil adeo Spiritui divino atque doctrinæ Jeſu Chriſti adverſatur , quam juramenta in Eccleſia communia REDDERE : hoc enim perjurii occaſiones multiplicare eſt , infirmis atque ignorantibus inſidias TENDERE , Dei nomen & veritatem , malorum quandoque hominum conſiliis exequendis ſacrilega reddere inſtrumenta* . Ubi notandum quod expreſſe ſermo ſit de *exigente* juramentum , ac de eo a quo *exigitur* , non de eo qui ex ſe jurat . Tum vero etiam illud : *Juramenta in Eccleſia communia REDDERE*, gallice: *Rendre les ſermens communs* : id quod aliquo modo facit is , qui legem condit , ſecundum quam a quibuſdam eſt exigendum juramentum : Denique quod addat , hoc eſſe *infirmis atque ignorantibus inſidias tendere*: quod ſano ſenſu intelligi non poteſt , niſi de conſuetudine exigendi juramentum ; ſicut nec illud quod ſequitur : *Dei nomen & veritatem , malorum quandoque hominum conſiliis exequendis , ſacrilega reddere inſtrumenta* , quod non de jurandi conſuetudine , ſed de lege exigente juramenta aperte intelligitur .

Matt. 5. v. 37.

VII.

VII. Igitur Queſnellus manifeſte hic damnat praxim Univerſalis Eccleſiæ; non ſine maxima ac evidente neceſſitate, inſtantibus ipſo Galliæ Rege Ludovico XIV. ac Galliæ Epiſcopis introductam, ſeu potius renovatam; atque cum ingenti utilitate hucuſque in praxim deductam. Interim
Pag. 95. Auctor *Theol. ſuppl.* aſſerere non dubitat: *Quidquid continet dogmatis propoſitio illa, fidei noſtræ caput eſt, ſacris in litteris revelatum*. Putat enim, aut ſimulat Queſnellum textibus Scripturæ, jurandi conſuetudinem improbantibus, abuſum haud fuiſſe, ad ſugillandam, quæ in uſu Eccleſiæ eſt, juramenti exactionem: unde concludit:
Pag. 96. *Non ob aliud ergo damnata videtur propoſitio, quam ob ſiniſtram proferentis intentionem: qui de juramentis in formularii ſubſcriptione dari ſolitis, ita dixiſſe creditus eſt*. Verum exiſtimo ſatis me oſtendiſſe, non de nihilo ita creditum, ſed hunc eſſe ſenſum naturalem & obvium hujus propoſitionis; tum ex ipſiuſmet propoſitionis verbis: tum ex iis etiam, quæ illam præcedunt eive adjunguntur. Quæ ſi ſedato ac tranquillo animo voluerit expendere, confido me auctorem illum conſentientem habiturum: unaque mecum dicturum: propoſitionem hanc, attentis, uti debent, circumſtantiis perſonæ, cujus eſt; & temporis quo ſcripta eſt, cætera inter juramenta, ſugillare etiam illud, quod in Formularii ſubſcriptione exigi ſolitum eſt. Huc pertinet regula ſexta *cap.* 2. §. 1. aſſignata; quod ad dijudicandum propoſitionis ſenſum, quid ejus auctor alibi docuerit, attendi debeat. Jam vero Queſnellus docuit (uti legitime probatum eſſe teſtantur Doctores Lovanien. hic *cap.* 2. §. 2.) *Perjurium & ſacrilegium eſſe, ſubſcribe-*

re

re formulario Alexandri VII. in eum ſenſum, ut damnetur doctrina Janſenii, quem Eccleſiæ Magiſtrum appellat. Eſt *art.* 15. Quis ergo dubitet, quin, dum hic ſugillat conſuetudinem exigendi juramentum, *quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi*, præcipuè intenderit loqui de juramento in negotio Formularii? Ad minus negari non poteſt; cum propoſitio ejus univerſalis ſit, & in materia dogmatica; quod hoc etiam juramentum comprehendat, taxetque ita Eccleſiam, velut utentem medio, quo *nibil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur*; id eſt, erroris in fide: quod nemo catholicus dubitat hæreticum dicere.

VIII. Illud autem non eſt prætereundum, quod Queſnellus ſollicite caverit ne hac ſua propoſitione Principes offenderet ſæculares: unde addidit, *in Eccleſia*. Notum quippe eſt Principes ſæculares jam olim, nemine contradicente, juramentum ab iis, quos rebus ſuis præficiunt, exigere ſolitos. Hanc praxim, tantum abeſt ut Queſnellus auſus fuerit arrodere, ut potius eam videatur approbare: cùm, particula illa reſtrictiva *in Eccleſia*: tum, quia paulo ante verba ſuperius ex verſione latina *Reflexionum moralium* adducta, dicit: *Ob commodi temporalis exiguum, adhibere juramentum, religione abuti eſt; Deumque pecuniæ ſatellitem conſtituere*: ubi reſtringens dictum ſuum ad caſum, quo ob commodum temporale exiguum, adhibetur juramentum, ſatis innuit, in majoris momenti rebus, utique temporalibus, licite adhiberi. Et quomodo id poterat negare, cum de fide ſit, juramentum ſuis ſtipatum notis comitibus licite, quin etiam religioſe adhiberi?

At

At vero, ſi hoc admittit licitum, ubi de temporalibus magni momenti agitur; quî negare potuit id licitum, ubi de ſpiritualibus momenti ſummi, de extirpanda videlicet radicitus hæreſi aliqua agitur? Atqui ad extirpandam Janſenianam hæreſim nulla aptior viſa fuit via, vel ipſi Chriſtianiſſimo Galliarum Regi Ludovico Magno, uti teſtatur Clemens XI. in Bulla, *Vineam Domini* &c. quam editio Formularii, cui omnes Eccleſiaſtici tenerentur ſubſcribere? Cur ergo arrodit Queſnellus Formularii hujus ſubſcriptionem, cum non auſus fuerit arrodere ſæcularium poteſtatum praxim, pro rebus temporalibus juratam fidem exigentium? Haud dubie Queſnellus plus timuit pœnas ſæcularium Principum, quam ſpiritualem Vicarii Chriſti in terris: ſicque oſtendit ſe; needum participem novæ illius gratiæ, quam tantopere deprædicat; verſatum fuiſſe ſub lege, ſicut judæi: id eſt, fuiſſe timoris mundadani mancipium.

IX. Dixi praxim illam exigendi ſubſcriptiones juratas debere potius dici renovatam quam de novo introductam, quandoquidem antiquiſſima reperiantur hujuſmodi ſubſcriptionum exempla. Vnum ſolum adducam ex Concilio Conſtantienſi, quod magnæ apud Queſnelliſtas, qui eo ſæpiſſime ut haſtâ & clipeo utuntur, eſſe debet auctoritatis. In hoc ergo univerſali Concilio edita ſcitur Bulla a Martino V. qua omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis &c. præſcribitur, ut omnes infamatos aut ſuſpectos de hæreſi Joannis Wicleff, & Husz *per juramentum corporale præſtitum, tactis Sacroſanctis Evangeliis, ſeu Sanctorum Reliquiis, imagine Crucifixi, ſecundum quorum-*

rumdam locorum obſervantiam, juxta infraſcripta interrogatoria, ad quemlibet articulum convenientia, reſpondere compellant. Porro inter articulos ordine undecimus hic eſt: *Item, ſpecialiter litteratus interrogetur: utrum credat ſententiam ſacri Conſtantienſis Concilii ſupra quadraginta quinque Joannis Wicleff, & Joannis Husz triginta articulis, ſuperius deſcriptis, latam, fore veram & catholicam: ſcilicet, quod ſupradicti 45. articuli Joannis Wicleff, & Joannis Husz triginta, non ſunt catholici, ſed quidam ex eis ſunt notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii & ſeditioſi, alii piarum aurium offenſivi. Art.* 12. *Item, utrum credat & aſſerat, quod in nullo caſu ſit licitum jurare. Art.* 13. *Item, utrum credat, quod ad mandatum judicis juramentum de veritate dicenda, vel QUODLIBET ALIUD AD CAUSAM OPPORTUNAM, ETIAM PRO PURIFICATIONE INFAMIÆ faciendum, ſit licitum.*

X. Plura ſimilia longe etiam antiquiora exempla adduci poſſent: ſed quibus hoc non ſufficit, ſufficiet nullum; unde ab illis referendis in præſentiarum ſuperſedemus. Bonis catholicis ſufficiet ſcire, quod Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth* §. 11. dicat: *Memoratus Alexander prædeceſſor, PRISCUM ECCLESIÆ MOREM SEQUUTUS, certam edidit formulam ab omnibus Eccleſiaſtici Ordinis, tam ſecularibus, quam regularibus perſonis ſubſcribendam*. Priſcum hunc morem eſſe nota.

REFLEXIO NONA.

XI. Non ſolum arrodit Queſnellus praxim Eccleſiæ in exigenda juratoria ſubſcriptione, ſed

impingit etiam in articulum illum 13. Conc. Conſt. quo credendum eſſe monſtratur: *Ad mandatum Judicis juramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad cauſam opportunam, etiam pro purificatione infamiæ, eſſe licitum*. Hoc quippe articulo non id ſolum continetur, licitum eſſe, dum Judex mandat, jurare; verū etiam, licitum eſſe pro veritate cognoſcenda, aliiſque gravibus cauſis, juramentum exigere. At Queſnello: *Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur*. Eccleſia igitur juramenta certis in caſibus exigens, erravit & errat contra Spiritum Dei & doctrinam Jeſu Chriſti? O temeritatem! Contra id quod univerſalis Eccleſia facit, diſputare, *inſolentiſſima inſania* eſſe, Auguſtinus dicit. Epiſt. 118.

XII. Prima autem propoſitio §. 1. expenſa, dum aſſerit Dominatum exerceri in Eccleſia ſupra fidem fidelium, id eſt, vim coactivam, qua uti ſolet Eccleſia, in coercendis novaturientium petulantium ingeniis, invadit, non obſcure renovat hanc Marci Ant. De Dominis *lib. 1. cap. 1. num. 1.* propoſitionem: *Qui de Republica Eccleſiaſtica ſicut de pure humanis philoſophantur, mihi videntur non parum a recto tramite aberrare; non modo quia in ea requirunt veram juriſdictionem, hoc eſt, vim coactivam, & ſubjectionem externam, ubi tamen* omnis gloria ejus ab intus &c......: quam propoſitionem ſequenti cenſura Pariſienſis Theologica Facultas perſtrinxit: *Hæc propoſitio, qua parte veram juriſdictionem, id eſt, vim coactivam & ſubjectivam externam Eccleſiæ denegat, eſt hæretica, & totius ordinis hierarchici perturbativa; atque confuſionem Babylonicam in Eccleſia generans*. Tantundem dico de propoſitione centeſima prima Paſchaſiana.

CAP.

CAP. XII.

De Lectione Scripturæ Sacræ.

§. I.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Utile eſt & neceſſarium, omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scripturæ. Eſt. 79. Queſnell. 1. cor. 14. v. 5.

Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus. Eſt. 80. Queſnell. Act. 8. v. 28.

Obſcuritas ſancta verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione. Eſt. 81. Queſnell. Act. 8. v. 31.

Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex feminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes. Eſt. 83. Queſnell. Joan. 4. v. 26.

I. HIſce propoſitionibus ſufficeret opponere regulam 4. Indicis Tridentini:

Cum experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri; hac in parte judicio Epiſcopi aut Inquiſitoris ſtetur; ut cum conſilio parochi vel confeſſarii, Bibliorum a catholicis auctoribus verſorum lectionem in lingua vulgari his concedere poſſint, quos intelligunt ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis incrementum capere poſſe. Quid hac regula ſapientius, quid prudentius excogitari poſſit? Sciens Eccleſia nihil tam Sanctum eſſe, quod *indocti & inſtabiles*, non depravant *ad ſuam ipſorum perditionem*, ut ait Apoſtolorum Princeps in ult. Epiſt. *cap.*3. & experientia plus nimis confirmavit: judicavit hîc non eſſe abſque aliquo delectu procedendum. Quapropter Epiſcopis ac Inquiſitoribus committit, ut licentiam iis tantum, qui ex ea lectione fidei & pietatis incrementum, non damnum capere poſſent, concedant. In quo verè Eccleſia ut pia mater ſe gerit; quæ rem de ſe bonam licet, puero eadem abuſuro non concedit.

II. Queſnellus prudentior, illuminatior, ut ſibi videbatur, Eccleſia, non contentus dicere *Illuſionem eſſe ſibi perſuadere, quod notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari feminis* (quibus quid indoctius, quid inſtabilius?) *LECTIONE SACRORUM LIBRORUM*, etiam comminiſcitur legem, quam debet divinam ſupponere, *omni tempore omni loco, & omni perſonarum generi*, impoſitam, *ſtudere* (verſio lat. *Refl. Moral. Scrutari*) *& cognoſcere, &c.* adeo ut Lectio Scripturæ ſit *pro omnibus & obſcuritas Sancti Verbi Dei non ſit Laicis ratio DISPENSANDI*

ſe

ſe ipſos ab ejus lectione. Averem ſcire ex ipſo, aut aliquo ejus ſectatore, qui potuerint huic ſibi impoſitæ neceſſitati facere ſatis priſcæ Eccleſiæ fideles, nominatim Itali antequam Illuſtriſſimus noſter Jacobus de Voragine Archiep.Genuenſis Italicam adornaret verſionem, id eſt ante an. 1200. Galli ante 1100. Germani ante 1400., quando nullæ extabant Sacrorum Librorum editiones illis vulgares: & quomodo etiamnum poſſint idiotæ, illitterati, ſancta ruſticitas? Dicat obſecro, cur S. Paulus in fine *Epiſtolæ ad Coloſſenſes*, ſollicite moneat: *Cum lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite, ut & in Laodicienſium ECCLESIA LEGATUR: & eam quæ Laodicenſium eſt, vos legatis*; cur, inquam, unâ non monuit, ut quilibet Paterfamilias, deſcriberet iſtam Epiſtolam; quo poſſent omni loco & tempore eam legere, ſcrutari, cognoſcere &c. Si obſcuritas verbi Dei non eſt ratio ſe diſpenſandi ab ejus aſſidua lectione; dicat ſaltem, unde hauſerit iſtam legem neceſſitantem? Ego nullibi in Bibliis, intellectis juxta interpretationem Eccleſiæ, (*Cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum Sanctarum*) tale quid reperio: quin potius, quod feminas ſpectat, reperio 1. *cor*. 14. *v*. 35. *Si quid volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*, non dicit; *Legant Scripturas*. An dicet Queſnellus Paulo: *Illuſio eſt ſibi perſuadere, quod notitia myſteriorum non debeat communicari feminis LECTIONE Sacrorum Librorum?* Tandem, ut finem faciam, Auguſtinus, cujus vellet Queſnellus videri diſcipulus, talem neceſſitatem non agnovit. Unde, *Homo*, inquit, *fide, ſpe, & charitate ſubnixus, eaque inconcuſſe retinens, non indiget Scripturis, niſi ad alios inſtruendos*.

Trid.Seſſ 4.Decreto 2.

Lib. 1. de doct. Chr c. 39.

dos: *Itaque multi per hæc tria etiam in ſolitudine, ſine codicibus vivunt*.

III. Sed probat, inquiet aliquis, Queſnellus aſſerta ſua manifeſtiſſimo exemplo: nam de Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum dicitur: *Et revertebatur ſedens ſuper currum ſuum*: *legenſque Iſaiam Prophetam*: cui loco hanc notam adjecit Queſnellus: *Scripturæ Sacræ lectio ab homine negotioſo, & ærarii præfecto adhibita, ſatis demonſtrat eam ad omnes pertinere*. En clariſſimam demonſtrationem. Imo vero clariſſimam ſtultitiam; qualis foret etiam hæc: S.Hieronymus vertit Sacram Scripturam: ergo omnes tenentur idem facere. Quis ſimilem conſequentiam non rideat? Ei tamen non multum abſimilis eſt diſcurſus Queſnellianus. Dedi Hieronymum in exemplum; quia ipſe illi Eunucho ne auſus quidem fuit ſe comparare, dicens. *Ego, ut de me loquar interim, nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior, qui de Æthiopia; id eſt, de extremis finibus mundi venit ad templum*: *RELIQUIT aulam regiam; & tantus amator legis divinæ quam ſcientiæ fuit*: *ut etiam in vehiculo litteras legeret Sacras*. Qui ergo ex hujus Eunuchi facto infert, neceſſitatem incumbere omnibus legendi Scripturam, mihi æque ridiculus videtur, ac alius, qui ex facto Hieronymi omnes omnino homines, etiam mulierculas, adſtrictas diceret ad vertendas Sacras Scripturas & explicandas.

Act. 8. v. 28.

Epiſt. ad Paulinũ cap. 5.

IV. Non diſplicuit tamen genus illud argumenti Auctori *Theol. Supplicis*. Nam *pag.* 30. mulieribus convenire Lectionem Scripturarum probat *ex Epiſtolis D. Hieronymi ad Euſtochium, ad Demetriadem, ad Principiam, ad Lætam*; *& D. Au-*

D. Auguſtini ad Paulinam, ad Florentiam aliaſque virgines, quibus illas ad Sacrarum Scripturarum ſtudium adhortantur, graviſſimiſque documentis juvant, ad eas & legendas & intelligendas. Sed, ſuntne omnes mulierculæ recenſitis ſimiles? Det mihi Euſtochias, Demetriades, Principias, Lætas, Paulinas, Florentias, aliaſque ſimiles viragines, & ſine ullo negotio eiſdem hanc facultatem obtinebo. Et nonne hîc etiam aliquid valere poteſt Eccleſiæ diſciplina? Fatetur id Auctor ille; unde addit: *Sic ſane de utilitate atque neceſſitate legendi Scripturam Sacram loquuntur Patres, generatim quidem & universè* (tranſeat, quod epiſtolæ ad particulares perſonas ſcriptæ, debeant intelligi generatim & universè) *ac juxta prioris ævi diſciplinam*. Peſſime igitur Queſnellus, nullo habito reſpectu ad diſciplinam Eccleſiæ modernam, omnibus imponit mulierculis neceſſitatem legendi Scripturas; ac Eccleſiam univerſam taxat illuſionis, quod mulieribus judicet Sacros Codices non eſſe tradendos.

V. Hoc cum negare apertè non audeat Auctor ille, conatur tamen Queſnellum excuſare, producto S. Thomæ & Joan. Chryſoſtomi textu, aſſerentium: ideo libros ſacros ab idiotis, piſcatoribus, publicanis, tabernaculorum opificibus & illitteratis compoſitos, ſpiritualia ſub ſimilitudinibus corporum proponere, ut Scriptura, quæ *communiter omnibus proponitur*, (verba ſunt Sancti Thomæ) vel ſic a rudibus capiatur; & omnium hominum indoctiſſimus *ex audita lectione* (verba ſunt S. Joannis Chryſoſtomi) *aliquid lucri utilitatiſque reportaret*. Sed quid hæc ad propoſitiones Queſnelli? Nam nec S. Thomas dicit

 Scri-

Scripturas omnibus communiter proponi *legendas*; & Joannes Chryſoſtomus agit aperte *de audita lectione*; ut commode uterque intelligatur de propoſitione, & lectione, quæ fit in Eccleſia, per modum concionis, explicando aliquem Sacræ Scripturæ textum; juxta illud Hieronymi ad Paulinum *c.7. Nolo ut offendaris in Scripturis ſanctis ſimplicitate, & quaſi vilitate verborum; quæ vel vitio interpretum, vel de induſtria ſic prolatæ ſunt, ut RUSTICAM CONCIONEM facilius inſtruerent*. Unde ab hujuſcemodi allegandis auctoritatibus ſibi potuiſſet temperare: *Ad defenſionem enim*, ait S. Proſper, *alicujus definitionis ea promenda ſunt, quæ alteri intellectui, a quo videtur definitio diſſonare, non cedant, & eam regulam, cui ſunt aptata non deſerant*. Talia ergo proferre debebat, quæ in nullum alium ſenſum, præterquam Queſnellianum, capi poterant.

Epiſt. ad Ruffinū.

VI. Sed demus gratis, tempore S. Joannis Chryſoſtomi, ac etiam S. Thomæ omnes omnino fideles, non excluſis opificibus, famulis, ruſticis, mulieribus, aut omnium hominum indoctiſſimis, Sacram Scripturam omni loco, omni tempore fuiſſe adſtrictos legere, præcepto quolibet, ſive divino, ſive humano, tunc peto: Vel potuit Eccleſia rationabiliter hanc legem abrogare, interpretari, declarare, vel non potuit? Si dicas ultimum: Ergo Eccleſia in Univerſali Synodo Tridentina vetans, ne quiſpiam legat Scripturas in lingua vulgari, abſque debita licentia; & ſubtrahens innumeris fidelibus Scripturas, erravit, & errat etiam nunc? At Eccleſiam errare vel in dogmate vel in diſciplina, abſque errore affirmari non poteſt. Si eligas primum: ergo temerarius,

rius, ut mitiſſimè dicam, fuit Queſnellus, miſer homuncio, nulla ſingulari prærogativa commendabilis, auſus effutire, quod *eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia myſteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum librorum*. An Eccleſia in generali Concilio congregata, illuſionem paſſa eſt; & modo etiam patitur? Quocumque ſe vertat Queſnelliſta, aut Queſnellum fateri debet juſte condemnatum: aut ipſe ſe confeſſioni Anglicanæ, cujus vigeſimus articulus eſt, *Generalia Concilia errare poſſunt, & interdum errarunt, etiam in his, quæ ad normam pietatis pertinent*, adhærere oſtendet.

VII. Sed *periculum eſt*, ait Auctor *Theolog. Suppl. Ne pari cum Queſnello cenſura confixos a Clemente XI. ſummos Eccleſiæ Patres, Calviniani ac Lutherani deblaterent, uti re ipſa deblaterarunt &c.* Pag. 31 Si tanta ei cura, eſt blaterantium hæreticorum ora obſtruere, proponat ergo Summo Pontifici, ut abnegata fide catholica hæreticorum amplectatur errores: nam donec hoc fiat, nuſquam ceſſabunt blaterones. Audeo tamen aſſerere, doctiores ac prudentiores inter hæreticos, nuſquam tale argumentum, quale hic tangit Auctor ille, facturos. Sciunt quippe etiam ipſi, quod ſicut poteſt abrogari lex aliqua civilis, olim juſta ex cauſa lata, abſque eo quod cenſeantur per hoc condemnari veteres legislatores; utpote, qui habere potuerint juſta motiva legem antiquo tempore ferendi, ut moderni rectores, eandem abrogandi: ita in Eccleſiaſticis evenire poſſe. Sit exemplum. Romana Eccleſia, ac plerique etiam hæretici miniſtrant baptiſmum per affuſionem: an ideo cenſentur damnare antiquos, qui eum im-

mer-

merſione adminiſtrabant? Ridendum ſe propinaret qui hoc aſſereret. Idem dicimus in præſenti caſu.

VIII. Porro inter Patres quos *Theol. Suppl.* pro Queſnello citat, video etiam Baſilium *lib. de virginitate*. Sed cum nulla verba adferat, nec indicet quâ parte illius libri illa habeat, operæ pretium non judicavi librum illum evolvere, quod mens S. Baſilii ſufficienter pateat *ex epiſt. ad Chilonem*, quam etiam in fine §. illius citat. Itaque S. Baſilius Chilonem diſcipulum ſuum, ex monacho anachareten ſic alloquitur. *Crebram lectitationem novi præſertim teſtamenti ne levi ex cauſa tranſmiſeris: quod ex veteris lectione identidem, nec pauci, noxam contraxerunt; non quia Scripturæ illæ ulla ex parte noxiæ ſint, quando id contingit per infirmam eorum, qui noxam contrahunt, mentem. Panis enim ſuapte natura comparatus eſt nutricando corpori; tametſi noxam adfert infirmo. Itidem Scriptura omnis divinitus inſpirata, non mediocrem ex ſe uſum conciliat attento lectori, nibil ſuapte ingenio habens admiſtæ impuritatis aut commune: niſi ſi quis ipſe profanus illam, nullo ſuo merito, profanam, communemve cenſuerit, illi communis eſto*. Hæc tamen nobis non incommodant, obſunt vero plurimum adverſariis: primo, quia nulla ibi fit obligationis mentio aut præcepti: ſimplex conſilium eſt, & quidem datum Chiloni, diſcipulo S. Baſilii, Anachoretæ ex Monacho; inde autem velle inferre omnes Catholicos, ne mulierculis quidem exceptis, teneri Scripturas *lingua vulgari*, omni loco & tempore lectitare, tantum non inſanire eſt. Deinde, non ſuadet Lectionem veteris Teſtamenti, quod multi ex ea

pro-

proſani noxam contraxerint: at Queſnel indefinite loquitur: & multi, etiam proſani, ſimilem noxam ex novi Teſtamenti Lectione contraxerunt, ut §. 3. dicetur? Potuit ergo Eccleſia juſtiſſimè ordinare, ne huic lectioni temere ſe unuſquiſque ingerat; ſed judicio ſtetur Epiſcopi: ſicut Baſilius Chiloni, etſi quondam Monacho, Diſcipulo ſuo, & Anachoretæ, veteris teſtamenti Lectionem diſſuaſit, haud dubie prudenter. Deinde ultima verba decretoria ſunt adverſus Queſnellum: *Scriptura omnis divinitus inſpirat, non mediocrem ex ſe uſum conciliat attento lectori, nihil ſuapte ingenio habens admixtæ impuritatis* .... An omnes omnino homines tales ſunt? Prudentiæ ergo fuit, ut ſtetur hic ſapientum judicio, ordinare.

IX. Petit deinde *Theol. Suppl. pag.* 32. *Annon a Clemente damnatæ dicendæ ſint propoſitiones illæ quatuor, intellectæ dumtaxat de abſoluta & generali a qua nemo poſſit eximi, obligatione legendi Scripturam Sacram, nulla habita ratione interdicti aliquibus facti: ſic tamen, ut relinquantur indemnes, in eum ſenſum acceptæ, quod Scripturæ lectio per ſeſe ſpectata & abſolute, ſit utilis, ſalutaris, pia, religioſa, atque uti talis omnibus conſulenda, quibus aliunde peculiari de cauſa interdicta non eſt*: quaſi propp. illæ quatuor duplicem illum ſenſum naturaliter continerent: quod falſum eſt. Nullam ſiquidem habuiſſe Queſnellum attentionem ad prohibitionem Eccleſiæ, ſatis patet, tum ex ejus de hac prohibitione ſilentio: tum quod inculcet nedum utilitatem, ſed neceſſitatem talem, a qua nec ipſa obſcuritas verbi Dei ſit ratio diſpenſandi: ſitque *illuſio* ſibi perſuadere, quod

no-

notitia myſteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum Librorum: imo dicat, lege illa, os Chriſti obſtrui fidelibus, ut §. *ſeq* dicetur. Hoc autem fatetur adverſarius juſte damnari: ut proinde ſuperfluat omnis declaratio in hoc puncto.

XI. Fere ſilentio prætereram verba Gregorii IX. Rom. Pontif. *Epiſt. 6. ad Germanicum Patriarcham Conſtantinopolitanum: Cum juxta teſtimonium veritatis, occaſio ſit errorum ignorantia Scripturarum, cunctis expedit eas legere vel AUDIRE*. Nonne verba illa ſole meridiano clarius demonſtrant veritatem propoſitionum Queſnellianarum, aſſerentium *Lectionem* S. Scripturæ eſſe pro *omnibus*, non poſſe ſe quemquam ab ejus *lectione* diſpenſare, obſcuritatis titulo: feminis communicanda eſſe Myſteria religionis *Lectione* ſacrorum librorum, contrarium ſibi perſuadere, illuſionem eſſe? Imo vero tam clare oſtendunt falſitatem, ut dubitem an Auctor *Theologiæ Supplicis* fuerit domi ſuæ quando hæc exſcribebat. Omnibus, inquit Gregorius IX. expedit Scripturas *legere vel AUDIRE*. Eccleſiaſtici legant & ſcrutentur Scripturas, populus eoſdem explicantes audiat. Rurſus ergo contra Regulam S. Proſperi, *num. 5.* allegatam peccat hic auctor,

§. II.

§. II.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Abripere e Chriſtianorum manibus Novum Teſtamentum, ſeu illud eis clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare. Eſt 84. Queſnell. Matt. 5. v. 2.

Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis. Eſt 85. Queſnell. Lucæ 11. v. 33.

XII. Sæpe videmus Principes & Magiſtratus civiles, filios diſcolos, ac bonorum paternorum decoctores, privare adminiſtratione bonorum ſuorum, aſſignare eis tutorem, determinare certam ſummam, ſtatutis intervallis ad honeſtam ſuſtentationem ſubminiſtrandam; ac etiam occultare exactam bonorum ſuorum notitiam, ſi prævideant, hanc etiam eis nocituram. Nemo tamen dixerit Magiſtratum illum, hoc faciendo, obſtruere filiis illis os patris, eos privare hæreditate paterna, eos punire confiſcatione bonorum, aut ſimilia: ſed contra, prudentes omnes hoc vocant curam gerere pupillorum, procurare ſalutem ſubditorum, rem defuncti parentis optime

me gerere. Sic Eccleſia, experientiâ edocta, plus, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, ſi Sacra Biblia vulgari linguâ *paſſim* ſine diſcrimine permittantur; impoſuit Epiſcopis & Inquiſitoribus, ut cum conſilio Parochi, vel Confeſſarii, hujuſmodi lectionem his concedere poſſint, quos intelligunt non damnum, ſed fidei atque pietatis incrementum inde capere poſſe: interim vero injungit Epiſcopis, ut per ſe, vel per alios idoneos miniſtros panem Evangelicum frangant ſuis ſubditis, per conciones Dominicis & feſtis habendas, quantum eis neceſſarium eſt ad ſalutem conſequendam. Hoc prudens quiſque vocat, curam gerere fidelium, eorum ſalutem procurare, & præceptum Chriſti ejuſque voluntatem perfecte implere: qui ipſis etiam Apoſtolis multa abſcondebat, quorum erant incapaces. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*. (Joan. 16. v. 12.) Hoc eſt imitari zelum Pauli, qui etſi intenſiſſime diligeret Corinthios, taliter ut diceret: *Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licet plus vos diligens, minus diligar*. (Epiſt. 2. cap. 12. v. 15.) In *prima* tamen *Epiſt. cap. 3.* dicit: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus; ſed quaſi carnalibus. Tamquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis; ſed nec nunc quidem poteſtis*. Sic, inquam, loquuntur de procedendi modo Eccleſiæ, prudentes & ſapientes. Et ratio in utroque caſu eadem hæc eſt: quod actiones omnes præcipuam ſpeciem & denominationem ſortiantur a fine principali, ob quem fiunt. Unde licet Rector communitatis ob bonum ſubditorum, eiſdem interdicat uſum cujuſpiam rei ipſis nocituræ;

non

non tam dicendus eſt illos punire, privare, pœnis afficere, quam curam habere, ſollicitudinem gerere, bonum promovere: quia hoc ipſe principaliter intendit.

XIII. At vero Queſnellus, hîc, ut in cæteris, heteroclitus, hoc vocat, *Chriſti os obturare, interdicere uſum luminis filiis lucis, facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis*: quas expreſſiones nemo Theologus, affectu præpoſtero vacuus, non dicet falſas, temerarias, ſcandaloſas, Eccleſiæ ejuſque praxi injurioſas. Et notandæ phraſes, quibus Paſchaſius utitur: nempe *abripere*, *clauſum tenere*, *interdicere*, quæ unicè deſerviunt ut prudentiſſima Eccleſiæ ordinatio magis magiſque odioſa reddatur: quaſi Eccleſia Romana Scripturas divinas, tamquam vetitæ lectionis librum haberet, doctrinam iis contentam ſtudioſe abſconderet, violenter Libris Sacris fideles ſpoliaret: cum Eccleſia aliud velit nihil, quam, ut in hoc negotio prudentium *judicio fletur*. Qui autem nollent illi acquieſcere, aut Sacerdotū judicio ſe ſubjicere, *niſi Biblus Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem recipere non poſſint*: in pœnam utique ſuæ præſumptionis.

XIV. Unde corruit, unâ cum propoſitionibus hiſce Queſnelli, vetus heterodoxorum nænia; *quâ Sacram Scripturam tamquam vetitæ lectionis librum, a Romanis haberi impie criminantur*. Niſi enim excœcaret eos malitia ipſorum, ſatis viderent ex ipſis regulæ quartæ Indicis verbis, aliam longe Sanctorum Bibliorum, & vetitæ lectionis librorum in Eccleſia Romana haberi rationem. Quapropter, uti neceſſe non fuit, dum regula illa primùm evulgabatur, explicare, quo

ſen-

ſenſo illa intelligeretur; cum verba quibus concepta eſt, ex ſe ſatis ſint clara; ita modo ob Queſnellianas damnatas, multo minus neceſſarium id
Pag. 36. eſt; quidquid dicat Queſnelli Patronus: non ob aliam rationem, quam quod Paſchaſius nonniſi infundatas & malitioſas veterum hæreticorum nænias recantet. Porro, non eſſe novam, aut a Tridentino primum introductam prohibitionem hanc, qua de agimus, cum multa, hoc capite adducta, probent, clariſſime oſtendit fragmentum *Hiſtoriæ Manichæorum* Petri Siculi, quod refert Natal. Alex. Hiſt. Eccl. Sæc. IX. & X. *art.* 26. *cap.* 2. his verbis conſtans: ***Sergius, cum juvenis adhuc eſſet, in fœminam quamdam caſu incidit moribus infamem, ſectâ Manichæam. Illa vero diaboli ſectatrix, ut callida erat ac ſubdola, ſic juvenem eſt allocuta: Audio, Domine Sergi, te litterarum ſcientia, & eruditione præſtantem eſſe, ac bonum præterea virum uſquequaque. Dic ergo mihi, cur non legis ſacra Evangelia? Quibus ille verbis illectus; nec occultum potius intuens nequitiæ venenum, ita reſpondit: Nobis profanis iſta legere non licet, ſed Sacerdotibus dumtaxat. At illa: Non ita eſt***, inquit, ***ut putas: nec enim perſonarum acceptio eſt apud Deum: omnes ſiquidem homines vult ſalvos fieri Dominus, & ad agnitionem veritatis venire. At ſacerdotes veſtri; quoniam verbum Dei adulterant, & myſteria occulunt, quæ in Evangelio continentur, idcirco vobis audientibus omnia non legunt quæ ſcripta ſunt, ne poſſitis pervenire ad agnitionem veritatis &c.*** Hæc ſæculo nono geſta oſtendunt, ab antiquis vetitum fuiſſe Laicis, ne ſe in Sacrorum Bibliorum lectionem temere ingererent. Hujus mulieris diſcipulum Queſnellum fuiſſe diceres,

res,

res, quod ſpectat Sacræ Scripturæ lectionem: niſi mavis unum & alteram communem habuiſſe magiſtrum.

XV. Videamus nunc, quid *Theol. ſuppl.* in clientis ſui defenſionem adferat. Primo adducit fragmentum *epiſt.* S. Greg. Mag. *ad Theodorum Medicum*, laicum virum, qua eum hortatur ad lectionem diligentem Sac. Scripturæ; inde colligendum relinquens, quod omnibus ea lectio competat. Verum ad ſimilis farinæ argumenta jam reſponſum eſt §. *præcedenti*. Solum hîc addo; ut ſciat Lector qualis ac quantus vir fuerit ille Theodorus; quædam magnifica vocabula, quibus eum S. Gregor. honorat dicta *Epiſt.* 31. *lib.* 4. *Regiſtri*. *Gloria veſtra*, *Glorioſe fili*: tituli ſunt quos Summus Pontifex non cuivis concedit: adde illum fuiſſe Medicum Imperatoris, virum utique apprimè litteratum. Nunc tu Judex eſto, erudite lector, an recte inde quidquam colligatur pro Paſchaſio, qui omnibus hominibus cujuſcumque ſtatus & conditionis ſint, etiam mulierculis vult impoſitam neceſſitatem legendi Scripturas. Imo ſi S. Gregorio perſuaſum fuiſſet extare neceſſitatem talem, nonne eam epiſtola iſta inculcaſſet? Nonne ſalutis periculum negligenti & incurio medico exaggeraſſet? At nihil horum in illa eſt epiſtola invenire: *Et certe*, inquit Greg., *ſicubi eſſet gloria veſtra alibi conſtituta, & ſcripta terreni Imperatoris acciperet, non ceſſaret, non quieſceret, ſomnum oculis non daret, niſi prius, quid ſibi Imperator terrenus ſcripſiſſet, agnoviſſet. Imperator cæli, Dominus hominum & Angelorum, pro vita tua tibi ſuas epiſtolas tranſmiſit; & tamen, Glorioſè fili, eaſdem epiſtolas ardenter legere* Pag. 35.

negligis. Hæc Gregorius: at non ita ſcripturus erat Queſnellus. Sub interminatione æterni ſupplicii eum adjuraſſet haud dubie; ubi Gregorius laciniam à *Theol. ſuppl.* adductam hortando ita concludit: *Stude ergo, quæſo, ... cor Dei in verbis Dei; ut ardentius ad æterna ſuſpires, ut mens veſtra ad cæleſtia gaudia majoribus deſideriis accendatur.*

XVI. Finem impono huic §. verbis obſervatione dignis Eximii Viri, Martini Steyartii quondam S. Theol. Doctoris in Univerſ. Lovanienſi, & ad Sedem Apoſtolicam ab eadem Univerſitate Delegati, in quadam Theſi defenſa 16. *Junii* 1698. ubi hæc habet. „ Nunquam Scripturæ *lectio* omnibus fuit in *præcepto. Primis* Eccleſiæ temporibus privata erat *rariſſima*. Nunquam ullus Ordinis Religioſi *fundator* eam ſuis præſcripſit; multo minus *S. Thereſia*, quæ vixit tempore conditarum *Regularum Indicis* Tridentini; & repulit etiam a cœtu ſuo juvenculam, quæ eandem videbatur affectare. „ Puto interim quod hi Spiritum Dei habuerint. Si dicas *Joan.* 5. *v.* 39. dixiſſe Jeſum, *Scrutamini Scripturas*. Reſp. id dixiſſe Judæis ſub veteri fœdere, cujus præcipuus character erat *Littera*. Fuerit ergo illis licitum rodere corticem litteræ: non vacat modo id diſcutere: Chriſtianis ſub lege nova, cujus principalis character eſt *gratia & charitas*, litteræ intendere non neceſſarium, ſed gratiæ & charitati. Unde lubet repetere verba Auguſtini §. 1. hujus cap. *num.* 2. relata: *Fide, ſpe & charitate ſubnixus, eaque inconcuſſe retinens, non indiget Scripturis, niſi ad alios inſtruendos. Itaque multi per hæc tria, etiam in ſolitudine, ſine codicibus vivunt.*

§. III.

ſ. III.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sacrarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere. Eſt 82. Queſnell. Act. 15. v. 21.

XVII. Priuſquam ea diſcutiam quæ in defenſionem hujus propoſitionis adfert auctor *Theologiæ ſuppl.* vellem reflecteret Lector, quam inſignis fuerit S. Scripturæ interpres Queſnellus; quod cum ex innumeris aliis, ex hoc tamen etiam loco videri poteſt. Igitur *Act.* 15. *v.* 21. hic eſt: ***Moyſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum PRÆDICENT in SYNAGOGIS, ubi per omne Sabbatum legitur.*** Huic verſui apponit hanc damnatam Queſnellus. Nonne bene fit argumentum a Prædicatione & Lectione publica, in qua textus ab aliquo Rabbino enucleabatur, ad privatæ Lectionis librorum Sacrorum neceſſitatem: a qua nullus, ne mulieres quidem, liber ſit? Sed ad propoſitionem. Hic iterum Queſnellus Magiſtrali ſupercilio Eccleſiam Romanam carpit, quaſi non ad utilitatem, ſed in damnum præſit omnibus Chriſti fidelibus, retrahendo eos a lectione Scripturarum. Sed inſolentia hujuſmodi accuſationis ſufficienter ex- Pag. 37. 38. &c.

 pun-

pungitur ex ipſo textu, quem Queſnellus præ manibus habebat. Si enim ſufficienter providebatur populo Judæorum prædicatione & lectione Moyſis in OMNI SABBATO in Synagogis, ſufficienter providetur populo Chriſtiano prædicatione & expoſitione verbi Dei in omni Dominica, quæ Sabbato ſucceſſit; & omnibus feſtivitatibus; quæ longe plures ſunt hodie, quam olim in Synagoga.

Lib. de fide reſurr. XVIII. Nihilo melius eſt quod *Theol. ſuppl.* adducit in defenſionem hujus damnatæ. Nam S. Ambroſius, quem primo loco citat, nihil dicit ſpeciatim de lectione, ſed generaliter aſſerit, *Nemo enim poteſt, niſi divini hauriat promiſſa ſermonis, & reſultantibus credat oraculis, exultare lætitia, dieſque feſtos aut Neomenias agere.* Nihil hic video quod neceſſario ſit intelligendum de lectione Scripturarum in lingua vulgari: quin potius optime intelligitur textus ille de auditione prædicationum, vel homiliarum in Eccleſia. Nam paulo ante verba allata, ſic diſcurrit S. Ambroſius, allegorice exponens tubas illas, de quibus *Num.* 10. *Faciat ſibi rationabiles tubas duas ductiles argento probato, hoc eſt, pretioſo Verbo compoſitas & ORNATAS . . . talium enim tubarum ſonitu mortui ſuſcitantur: non crepitu utique æris, ſed verbo veritatis animati . . . . Nec tamen omnium eſt utraque canere tuba, nec eſt omnium univerſam colligere Synagogam, ſed ſolis SACERDOTIBUS & miniſtris Dei canentibus, iſta prærogativa defertur: ut Quicumque AUDIERIT & SECUTUS eo fuerit, ubi eſt Dei gloria, & ad tabernaculum teſtimonii præmatura intentione convenerit, opera poſſit ſpectare divina, & legitimum il-*

lud

lud æternumque domicilium in ſuæ poſteritatis ſeriem promereri. Et paucis interjectis, ſequuntur verba primo loco citata: *Nemo enim poteſt niſi divini HAURIAT promiſſa ſermonis & reſultantibus credat oracalis &c.* Nonne omnia illa omninò naturaliter intelliguntur de concione vel homilia, quam vult *ornatam* eſſe *pretioſo Verbo*; propriam *SOLIS SACERDOTIBUS*: cui vult intereſſe Chriſtianum populum: ut quicumque *audierit &c.* ut quid ergo iſta torquentur ad lectionem Scripturæ promiſcuam & aſſiduam?

XIX. Eadem facilitate ſolvuntur ea quæ deinceps ex Juſtino Martyre *Apologia 2. ad Antoninum Imper.* ex Euſebio *lib. 8. Præparat. Evangelicæ*: Ex Nicolao I. c. 11. dati reſponſi *ad conſulta Bulgarorum* adducit & objicit. Illud vero quod ultimo loco ex S. Antonino refert, prætermitti non debet. Ac primo quidem, nihil S. Antoninus habet titulo 10. qui eſt de Mendacio & Perjurio, hanc materiam concernens. Sed titulo præcedenti, id eſt nono, ubi de Acedia agitur, tractat. de celebratione feſtorum *cap. 7. §§. 5.* Sed feſtivum eſt quod Sanctus ille Archi-præſul Florentinus, ordinis noſtri inſigne decus, non plus faveat Queſnello, quam Mediolanenſis Ambroſius. Quippe S. Antoninus recenſens ea quibus occupari debent catholici Dominicis diebus, refert ex cap. *Jejunia*, nullam operationem ſervilem in ea fieri, ſed tranſigi debere in hymnis, pſalmis, canticis: quæ ſunt operationes corporales aliquo modo: ac tum poſtea ſubjungit: *Debet ergo die feſto inſiſti operibus ſpiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinorum, Lectionis* (ſed non addit S. Scripturæ) *& eleemoſynis & hujuſmodi*. Et paulo inferius: *Inter*

Parte 2. Summæ Tit. 10. c. 7. §. 4.

De Conſecr. diſt. 3.

ter cætera debent homines vacare compunctioni, & contritioni peccatorum ſuorum, recogitantes quæ egerunt aliis diebus, in quibus fuerunt occupati... Item auditioni Miſſæ & divinorum officiorum & PRÆDICATIONUM.... item admonitioni & correctioni proximorum & præcipuè familiæ ſuæ.... item inſiſti debet magnis eleemoſynis. Ubi ut vides, de Lectione Sacræ Scripturæ in lingua vulgari, nihil eſt. Quam hæc ſunt longe diverſa a Queſnelliana: *Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis & SUPER OMNIA Sacrarum Scripturarum!*

XX. Scio Queſnelliſtas continuo recantare quædam antiquorum PP. verba, aſſerentium, Chriſtianos olim ſolitos feſta tranſigere *legendo, audiendoque paſſim in domibus verbum Dei*. Sed ſimul ſcio *Verbum Dei* bifariam ſumi. Primo antonomaſtice pro Sacra Scriptura: ſecundo magis communiter, pro quovis ſermone ædificativo, inſtigante ad compunctionem, animante ad devotionem &c. De hoc poſteriori verbo Dei præſertim intelligendi ſunt SS. PP. dum de communi hominum vulgo loquentes, dicunt eos teneri audire *Verbum Dei aut LEGERE*. Pro vulgo enim ipſi componebant ſuas enarrationes, homelias, tractatus, omnia diſponentes pro vulgi captu. Sic S. Au-
Lib. 3. cōfeſſ. c. 3. guſtinus dicit, *Eum*, S. Ambroſium, *in populo Verbum Dei recte tractantem, omni die Dominico audiebam*. At vero Queſnellus vult ut quilibet ſibi ipſi ſit doctor, & prædicator verbi Dei; ex quo quales confuſiones natæ ſint oriri, & jam ortæ ſint, mox dicemus.

XXI. Singulari reflexione dignum eſt, quod habet *Theol. Suppl. a pag.* 40. paulo ante finem: „

„ Cum ea de re aliquamdiu in Concilio Triden-
„ tino diſceptatum eſſet ; num ſcilicet ea Germa-
„ niæ ferenda eſſet diſciplina, quæ Sacrarum
„ Scripturarum uſum lingua vernacula ſimplici-
„ bus fidelibus licitum facit, cenſuerunt Legati
„ Præſides, *Relinquendam eſſe unamquamque na-*
„ *tionem in ſuis inſtitutis, ut quod ſibi neceſſarium,*
„ *vel utile cenſet, amplectatur* : ut habet Oderi-
„ cus Raynaldus *in Annalibus ad Annum* 1546.
„ *num* 34. *&c.* „ ubi vides, lector, verba diſtin-
cto caractere impreſſa, referri velut finalem hujus diſceptationis concluſionem. Conſului Odericum Raynaldum *loco cit.* deprehendique longe aliter rem ſe habere, prout ex ſequentibus Raynaldi verbis facile eſt animadvertere : ſic ergo habet

„ Cum de corruptelis circa Scripturas admiſſis „ ageretur, ac Præſides Legati cenſerent articu- „ lum, An verſio Sacrarum Scripturarum in lin- „ guam vulgarem permittenda eſſet ? *non propo-* „ *nendum*, cum *Galliæ* & Hiſpaniarum regna eam „ *non ſuſcipiant* ; aliæ vero nationes, ut Germa- „ ni, Italique & Poloni expetant ; *relinquendam* „ *itaque unamquamque nationem in ſuis inſtitutis*, „ *ut quod ſibi neceſſarium vel utile cenſet, ample-* „ *ctatur*. Cardinalis Giennenſis proponendum „ articulum cenſuit, hac de cauſa „. Priuſquam hanc cauſam, quæ plurimum ad rem noſtram facit, referam, reflectatur, verba a *Theol. Suppl.* relata, velut finalis quædam reſolutio Præſidum Concilii poſt longas diſceptationes, fuiſſe e contra diſceptationum, quæ deinceps ſecutæ ſunt principium. Secundo reflecti poteſt hic non agi de promiſcua Scripturæ in vulgari lingua lectione, an omnibus omnino, etiam mulieribus præcepta

Ad an. 1546. n. 34.

ſit; ſed an expediat verſiones in linguam vulgarem fieri: fuiſſeque olim nedum Hiſpanos, ſed Gallos etiam hiſce verſionibus, non ſolum promiſcuæ Lectioni contrarios; prout uberius aperitur in diſcurſu Cardinalis Giennenſis, quem hîc ſubjicio.

Petrus Pacecho Hiſpan. Gien. Ep.

XXII. Cardinalis igitur Giennenſis: proponendum articulum, *An verſio Scripturarum Sacrarum in linguam vulgarem, permittenda ſit*, cenſuit, hac de cauſa: „ Quod pars affirmativa hu„jus articuli a pauciſſimis tenebitur, cum in pri„mis Hiſpani Prælati, *GALLIQUE OMNES*, „& magna pars Italorum in negativam incli„nent; magnique apud Concilium momenti & „exiſtimationis eſſe, quod duo illa ampliſſima „regna, Hiſpaniarum & Galliæ, ita verſionem „hanc deteſtentur, ut nedum pluribus Edictis, „pœnis graviſſimis & prohibitionibus publicis „vetuerint, ſed noviſſimè his diebus Univerſitas „Pariſienſis, quæ ultra centum & quinquaginta „doctores habet, non ſolum verſiones ſacrorum „librorum non eſſe in vernaculam linguam fa„ciendas cenſuit, verum etiam, qui eas ver„tunt, tamquam hæreticos habendos eſſe decla„ravit. Et ſacra iſta Synodus, cum nunc de abu„ſibus Scripturarum ſermonem habeat, articulum „hunc relinquet indiſcuſſum? Conſideret parum„per unuſquiſque, unde potiſſimum tot hæreſes „in orbe chriſtiano ortæ fuerint: nulla equidem „alia ex cauſa id eveniſſe comperiet, *quam ex* „*verſione Sacrorum Librorum in vernaculam lin*„*guam*. Nam Germania in primis, antequam „libri ſacri ruſticis & plebi legendi traderentur, „paululum in catholica religione permanſit:

„ quam

„ quam primum vero eorum omnibus facta eſt
„ copia, in quam calamitatem devenerit, quiſ-
„ quis oculis intueri poteſt. Idem in Gallia & in
„ Hiſpaniis pullulare cœperat, ni optimorum
„ principum diligentia & pietate, graviſſimis le-
„ gibus id fuiſſet prohibitum. Quid vero in ali-
„ quibus veſtræ Italiæ Civitatibus (Germania
„ enitatur) minime latere arbitror. Diſcutiatur
„ itaque articulus iſte, & Spiritus Sancti deter-
„ minationi acquieſcamus. „

XXIII. Hæc ad longum deſcribere placuit, ut conſtet quam olim felix Eccleſia Gallicana verſiones in linguas vulgares, nedum promiſcuas lectitationes, quæ naturaliter ſequuntur, horruerit. Et quia multi diſtinguunt inter novum & vetus Teſtamentum, ac ſi hujus quidem non expediat, illius vero nocere non poſſit promiſcua Lectio, placet hic annectere maturam reflexionem Epiſcopi Feltrenſis, quam refert idem Raynaldus: Loc. cit. „ Feltrenſis ſuam hujus tenoris ſententiam legit: Maximus abuſus Scripturarum, eſt
„ eorum, qui *indocti & inſtabiles* eas *depravant*,
„ *ad ſuam ipſorum perditionem*, ut dixit B. Petrus
„ de his, qui D. Pauli Epiſtolas ad malum ſen-
„ ſum detorquebant. Hinc in Germania abuſus
„ irrepſit communionis ſub utraque ſpecie, ex
„ mala interpretatione illius Dominici præcepti,
„ quod habetur *Matt.* 26. *Bibite ex hoc omnes*.
„ Illius Pauli 1. *Cor.* 11. *Ego enim accepi a Domi-*
„ *no*: & ejus quod prius dixerat cap. 10. *Unus*
„ *panis & unum corpus multi ſumus, qui de uno pa-*
„ *ne & de uno calice participamus &c.* Et *cap. com-*
„ *perimus de Conſecrat. Diſt.* 2. Hinc connubia Sa-
„ cerdotum, ex prava detorſione illornm loco-

„ rum:

„ rum: *Creſcite & multiplicamini &c.* Habeat „ *unuſquiſque uxorem ſuam propter fornicationem.* „ *Melius eſt nubere quam uri*. Epiſcopum eligendum, qui ſit *unus uxoris vir*, & ſimilium. Hinc „ jejuniorum abrogatio. & quorumdam ciborum „ certis diebus abſtinentia, ex prava interpretatione illorum locorum Sacræ Scripturæ: *Non* „ *eſt regnum Dei eſca & potus*. *Eſca non commendat nos Deo*. *Nemo vos dijudicet in cibo & potu*. „ *Omnis creatura bona eſt, & nihil rejiciendum* „ *quod cum gratiarum actione percipitur*: & ſimilia. „. Huc uſque Feltrenſis Epiſcopus; cujus dicta confirmat ipſe Liber *Reflexionum Moralium*, in quo Queſnellus violenter detorquet novum Teſtamentum ad errores ſuos ſtabiliendos. Sed hæc ſufficiant in præſenti.

XXIV. Nihil hic dicam de petulanti cenſura; *Damnoſum eſt Chriſtianum ab hac lectione retrahere velle*: quâ Eccleſiam Romanam, homo privatus perſtringit, imo ſe ſupra univerſalem Eccleſiam, in Tridentino congregatam Concilio, erigit: ſatis enim quiſque intelligit hoc non eſſe ſapere ad ſobrietatem. Enimvero peti a Queſnello poſſet: Tu quis es qui judicas, & magiſtrali ſupercilio ultro aſſumpto, Eccleſiam Dei viventis condemnas? An res quævis etſi optima, omnibus omnino communicanda; iis etiam qui non infundatè creduntur ea abuſuri? Affirmas quod lectio Scripturæ eſt pro *OMNIBUS*; *neceſſaria eſt*; *nec obſcuritas eſt ratio ſe ab ea diſpenſandi. Illuſio eſt quod non debeat communicari feminis. Damnoſum eſt aliquem ab hac lectione retrahere*. Sed eo ipſo te adverſari Sanctis Patribus declaras: quorum unus, Magnus Baſilius, loco omnium nobis dicit: a veteris

teris Teſtamenti lectione, utique de ſe optima, nonnullis eſſe abſtinendum; *Non quod quæ in eo ſcripta ſunt, noxia ſint; ſed quod infirmus ſit eorum animus qui ea lectione offenduntur*. Atqui jam oſtendimus, & cuilibet notum eſt, novi quoque Teſtamenti, vel ipſorum etiam Evangeliorum, lectione plurimos offendiſſe? Quidni ergo pia mater Eccleſia, hiſce inconvenientibus, providâ ordinatione occurrat; arcendo ab ea lectione profanos; cavendoq; ne, contra Evangelicum mandatum, ſpargantur margaritæ ante porcos? Atqui hoc & aliud nihil intendit, quam arrodis, regula 4. Indicis Tridentini? Epiſt. 1. ad Chilonem.

XXV. Indicis regulam, inquit *Theol. Supplex*, Germaniæ & Gallicanæ Eccleſiæ nuſquam admiſerunt; *uti Serrarius in Prologomenis Bibli: c. 20. quæſt. 2. Paulus Laymanius in Compen. Theol. Moral. lib. 2. tract. 1, de fide cap. 15. Veronius præfatione 3. in verſionem Novi Teſt. fidenter affirmant.* Quid de hoc ultimo ſit, cum is mihi deſit, ignoro. Circa primum tamen inſigniter hallucinatur auctor ille: non ſolum, quod *quæſt.* 2. ab ipſo citata, nihil de hac re Serrarius habeat; ſed maximè, quod *quæſt.* 3. potius indicet contrarium. En tibi, Lector, Serrarii verba *cap.* 20. *quæſt.* 3. *Et hinc patet primo, ſi Epiſcopi aut inquiſitores cum parochorum aut confeſſariorum judicio bonaque voluntate: vel contra, parochi vel confeſſarii cum Epiſcoporum aut inquiſitorum conceſſu, bonaque venia; vel ſpeciatim pluribus, vel generatim omnibus, hanc vernacula catholica legendi Biblia, FACIANT, verbo aut facto Poteſtatem; licere tum vel pluribus vel omnibus legere: prout in noſtra jam Germania videmus; ubi non modo non improbant Epiſcopi & Parochi,* Pag. 41.

con-

confeſſarii, ſi quis Eckii aut Dietembergii, Nullâ diſertè petitâ facultate, legat: ſed probant & laudant maxime; QUASI JAM FACULTAS EA COMMUNIS SIT: neque pœnam infligunt ullam; prout quotidiana docet experientia, & ſatis ſignificat Bellarmini propugnator lib. 2. cap. 15. pag. 787. 858. Hæc Serrarius. Ubi vides quod recurrat ad facultatem, uſu & facto, cui non contradicitur, obtentam: quæ neceſſaria non foret ſi regula indicis *nuſquam* (quod ait *Theol. Supplex*) in Germania fuiſſet admiſſa. Fateor Laymannum, quem etiam citat, *loc. cit.* dicere, *Regula quarta indicis.. his NOSTRIS REGIONIBUS recepta non eſt. Non puniuntur, inquit Nicolaus Serrarius in prolog. Bibl. cap. 20. quæſt. 3. ſed laudantur, qui in Germania noſtra, nullà diſertè petita facultate, Biblia vulgata .... legunt.* Sed cum fundet ſe in Serrario, non plus dicere voluiſſe merito aſſeritur ac Serrarius: id eſt: quod ob contrarium uſum, cui non contradicitur, hac in parte ſit legi derogatum, ut non petatur ſemper *diſerte* licentia ab Epiſcopo. Si plus dicere voluit, mentem Serrarii, in quo ſe fundat, non eſt plene aſſecutus, uti ex dictis conſtat. Interim vero falſa eſt aſſertio univerſalis *Theologiæ Supplicis*: *Germaniæ Eccleſiæ nuſquam admiſerunt indicis regulam*: nec hoc dicit Serrarius, ſed potius contrarium inſinuat. Nec Laymannus de tota Germania, ſed de *his regionibus*, ubi ſcribebat, loquitur.

In edit. Mogunt. Baltaſaris Lippii 1612. pag 136. col. 1. in fine.

XXVI. Quidquid tamen de hoc ſit, ac etiam de Gallia, non evadit innocens Queſnellus: nec uſus, qui modo viget in Germania, aut forte etiam Gallia, damnatione Queſnelli, damnatus eſt. Cui enim Epiſcopo a tempore editæ Bullæ *Unigenitus*

quoad

quoad hoc punctum, Romani Pontifices negotium faceſſivêre? At vero Queſnellus damnans eas Eccleſias, quæ Indicis quartam regulam religioſe obſervant, merito damnatus eſt: quippe non temerarium ſolum eſt; velle ſapere ſupra Eccleſiam; quæ eſt columna & firmamentum veritatis; ſed erroneum quoque eſt dicere, in ſtatuenda aliqua lege Eccleſiam illuſionem pati: aut aliquam ejus legem damnoſam eſſe fidelibus: aut Eccleſiam errare: quæ omnia auſus eſt Paſchaſius. Nam in edit. Latina *Reflex. Moral. Joan.4. v.26.*; unde *prop.* 83. deſumta eſt; loco, *Eſt illuſio*, ut habet Conſt. *Unigenitus*, lego: *Eſt error ſibi imaginari cognitionem myſteriorum religionis non debere communicari iſti ſexui*, femineo, *per lectionem librorum ſacrorum*. Cætera conſtant ex ipſis damnatis.

XXVII. Hinc patet reſponſio ad interrogationem *Theol.ſuppl. An res hæc ſit mera diſciplinæ, non fidei?* Reſpondeo enim, diſciplinæ eſſe, quod nemo vernacula Biblia legat, ſine Epiſcopi aut Inquiſitoris, de conſilio Parochi aut Confeſſarii, licentia: Fidei vero eſſe, Eccleſiam in hac ſtatuenda lege, non erraſſe, nec paſſam eſſe illuſionem, nec damnum inferre fidelibus; quâ diſtinctione uti etiam ſolemus in cæremoniis, ritibus Eccleſiæ, aliiſque uſibus: & colligi poteſt ex variis Canonibus Tridentini, de Sacramentis, de Baptiſmo, de Euchariſtia, de Matrimonio &c. Huc facit quod noſter Illuſtriſs. Melchior Cano Epiſcopus Canarien. *Lib.5. de locis Theol. cap.5. quæſt.5. concl.2.* refert in Concil. Conſtantienſi ſeſs. 13. ſtatutum fuiſſe, *eos pro hæreticis condemnandos, qui affirmarint, Eccleſiam errare in more communicandi plebem ſub una ſpecie tantum*: vel, ut loquitur Martinus V.

Pag.40.

Edit. Patavinæ An.1727 pag.179. col.2.

in

in litteris, quibus illud Concilium probat apud eundem Canum *loc. cit.*, *Eſſe vel ut hæreticos, vel ut ſapientes hæreſim condemnandos*: quæ huic materiæ, quam verſamus, facile applicari poterunt.

REFLEXIO DECIMA.

XXVIII. Cum juxta ſapientiſſimum, prudentiſſimum, atque ab omnibus admiſſum Vincentii Lirinenſis monitum, in rebus ad religionem ſpectantibus, quid antiqui cenſuerint, ſit ſolerter indagandum, ac manutenendum; operæ pretium eſſe duxi hic annectere vetus Sac. Facul. Theol. Pariſienſis judicium, circa ſimiles, hiſce Queſnelli propoſitionibus, Eraſmi Roterodami propoſitiones; ut pateat Paſchaſium non antiquæ Gallicanæ Eccleſiæ, ſed Hollandi iſtius Scriptoris; ne dicam Waldenſium, Albigenſium, & Turrelupinorum; principia ſectatum eſſe. Sic ergo lego *Titulo* 12. *Cenſuræ Pariſienſis*, circa *annum* 1526. latæ. Propoſitio Eraſmi prima *in præfatione ejuſdem in Matthæum: Sacras litteras cupiam in omnes verti linguas*. „ Cenſura. Quamvis in quamcumque linguam vertantur Sacræ
„ Litteræ, & ſuapte natura ſanctæ ſint & bonæ;
„ quanti tamen ſit periculi permittere paſſim
„ lectionem earum in linguam vulgarem traductarum,
„ abſque ulla explicatione, idiotis &
„ ſimplicibus eis abutentibus, nec eas pie & humiliter
„ legentibus; quales plures nunc reperiuntur;
„ ſatis indicarunt Waldenſes, Albigenſes,
„ Turrelupini: qui inde occaſione ſumpta,
„ multos errores diſſeminarunt. Quare hac tempeſtate,
„ perſpectâ hominum malitiâ, pericu-

„ lo-

„ loſa ac perniicioſa extitit hujuſmodi traductio,
„ loquendo de omnibus Scripturæ libris indiffe-
„ renter. Nec ſicubi paucis eſſet utilis, prop-
„ terea temere eſſet omnibus permittenda: in re
„ namque *ad ſalutem non neceſſaria*, potius con-
„ ſulendum eſt multornm profectui ipſam inter-
„ dicendo; quam paucorum utilitati eam permit-
„ tendo cum gravi multitudinis incommodo: un-
„ de & jure damnata eſt hujuſmodi translatio.

XXIX. „ Propoſitio ejuſdem ſecunda, *in*
„ *præfatione in Matthæum. Exclamant indignum*
„ *facinus*, *ſi mulier vel coriarius loquantur de*
„ *Sacris Litteris*: Cenſura. Rectè perpenſa mul-
„ torum hujus temporis temeritate, indignum
„ facinus exiſtimandum eſt, quod idiotæ & ſim-
„ plices ſuo judicio Sacras Litteras legant, in
„ ſuam linguam converſas: & de illis differant,
„ aut diſceptantes de earum difficultatibus tra-
„ ctent. Nec tamen prohibetur per hoc eis con-
„ ferre inter ſe de eis quæ in *concionibus publicis*
„ *audierunt*, ad morum correctionem, & ad com-
„ punctionis & devotionis excitationem; ut ma-
„ gis ac magis in ipſis charitas accreſcat, humili-
„ tas ſolidetur, atque opera carnis mortificentur.

XXX. „ Propoſitio ejuſdem tertia in præf. in
„ Matt. *Me authore ſacros Libros leget agricola, le-*
„ *get & faber, leget latomus*. Cenſura. Teſtan-
„ tur ſacra Eloquia ſimplices eſſe tamquam par-
„ vulos, quibus, authore Paulo, lacte opus ſit: non
„ enim adhuc ſolidam eſcam ferre ac digerere
„ poſſunt: perfectorum ſiquidem ſolidus eſt ci-
„ bus, eorum qui pro ſua conſuetudine exercita-
„ tos habent ſenſus ad diſcretionem boni & ma-
„ li. Quapropter non eſt medium aptum hujuſ-

„ modi

„ modi ſimplicibus, quod indiſcriminatim quoſvis Sacros Libros legant, in linguam vulgarem „ translatos: ſed convenientiſſimum eis medium „ Eccleſia conſtituit, *auditionem Verbi Dei*, & „ *frequentationem prædicationum ejus*. Neque eis „ obiter interdicit uſum quorumdam ſacrorum „ Librorum, qui cum explicatione convenienti „ ædificationi morum ſint accommodi: ſi ſic tamen tales libri ab ipſis legantur pie ac ſobrie, „ citra ſupercilium & arrogantiam, ut non inde „ *contemnant prædicationes* (*videantur dicenda* „ *cap. ſeq. ad prop. 95.*) nec a crebra Verbi Dei „ auditione retrahantur. Proinde hæc propoſitio „ abſque præſcripta moderatione poſita (*prout* „ *etiam propoſitiones Queſnelli*) ſui aſſertorem „ ſanæ doctrinæ non ſatis conſentire demonſtrant.

XXXI. „ Propoſitio ejuſdem quarta in eadem „ præfatione: *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujuſquam librorum veteris Teſtamenti lectionem ulli hominum, interdixero*. Cenſura. Cum Sedis Apoſtolicæ Decreto multorum talium librorum lectio laicis *jam pridem* interdicta ſit: (Ergo antequam ederentur Regulæ Indicis, jam erat Lectio Scripturæ Laicis prohibita in Gallia: ſicque nihil ad rem, fueritne Regula 4. Indicis recepta in Gallia nec ne) & eruditis in lege „ Domini apud Hebræos gravium auctorum „ ſententia prohibita fuerit lectio dictorum librorum, atque primi capitis Geneſeos, ante „ annum ætatis triceſimum, prædicta propoſitio „ temerariè & imprudenter aſſeritur: quandoquidem eadem ſubeſt cauſa inhibendi talium li-

„ bro-

„ brorum lectionem, quæ ſuberat quando decre-
„ tum Innocentii tertii ſupra his conſtitutum eſt,
„ cujus fragmentum refertur *De hæreticis* in au-
„ tentica: *Cum ex injunctis*.

XXXII. Ex his facile colligitur quid de propoſitionibus Queſnellianis, juxta antiquam Eccleſiæ Gallicanæ, cujus teſtes ſunt hi Doctores Pariſienſes, auctores hujus cenſuræ, ſtatuendum ſit: cum non ſolum Queſnellus propoſitionibus illis ſignificet, ſe auctore, neminem arcendum a lectione cujuſcumque Libri Sacri, nullo reſpectu habito ad conſtitutiones vel ordinationes Eccleſiæ Romanæ, verum etiam neceſſitatem talis lectionis inculcet; ipſamque Romanam Eccleſiam, & omnes ei per orbem catholicum in hoc puncto adhærentes, taxet *erroris, illuſionis*, & abusûs ſuæ poteſtatis: dum aſſerit *damnoſum* eſſe retrahere fideles ab ejus lectione: illis *obturari os Chriſti, interdici uſum luminis filiis lucis &c.*

XXXIII. Adde temerarium ad minus eſſe, dicere, regnum Galliæ, per pura ſæcula ignoraſſe & caruiſſe aliquo, fidelibus neceſſario ad ſalutem. De verſionibus autem Sacræ Scripturæ in linguam vulgarem Gallicam, id ſolum certo conſtat, Waldenſes ſub annum Domini 1160. Scripturas tranſtuliſſe; prout hîc tangitur cenſura 1. & apud Innocentium III. epiſt. 2. ad Metenſes: ſecunda autem facta eſt circa tempora hujus cenſuræ atque de illa intelligendum videtur relatum pag. 456. num. 22. ex Raynaldo, Cardinalis Giennenſis dictum. Cum autem præfati Pariſienſes doctores expreſſe aſſerant, ad mentem Eccleſiæ Romanæ, omnium Eccleſiarum Matris, & magiſtræ, Lectionem illam rem eſſe *ad ſalutem non neceſſariam*: quis

ſe transferri permittet in novum illud Queſnelli Evangelium? Judicarem id omnino impoſſibile, niſi videremus oculis quiſque ſuis, adveniſſe tempus illud de quo Apoſtolus: *Erit enim tempus, cum Sanam Doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. 2. Timoth. 4.*

XXXIV. Adjiciamus pro coronide Martini Lutheri, de lectione S. Scripturæ vulgari judicium: erit id forte Queſnelliſtis majoris ponderis, quam Conſtitutio Pontificia. Is ergo initio ſuæ apoſtaſiæ (nimirum, nemo repente fit peſſimus) Georgio Spalatino, qui animum induxerat quædam opuſcula, forte quoſdam SS. Patrum libros, in teutonicam linguam transferre, ipſumque deſuper conſuluerat, ita reſpondet: *An ignoras quod quo ſunt aliqua ſalubriora, eo minus placent ac proficiunt? Quid Evangelio & Chriſto ſalubrius? At ſordent & ſunt odor mortis in mortem plurimis, pauciſſimiſque in vitam odor vitæ.* Verùm ubi eo uſque devenit, ut ſtatueret in Deo decretum poſitivum perdendi reprobos, eoſque deducendi per vias occultas in barathrum ſempiternum, tum & ipſe cœpit Sacros Libros in vulgarem transferre. Nimirum credebat huic fini, a Deo per ſe, uti impie blaſphemabat, intento, hanc operam ſuam poſſe deſervire. Ex hoc fonte eodem, fluere potuerunt propoſitiones Queſnellianæ, de neceſſitate legendi Sacram Scripturam; quam ille liberaliter unicuique, nullo excepto, imponit.

Tom. 1. epiſt. 23.

CAP.

CAP. XIII.

De prædicatione verbi Dei, & divinorum officiorum celebratione.

§. I.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Veritates eo devenerunt, ut ſint quaſi lingua peregrina pleriſque chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt velut idioma incognitum; adeo remotus eſt a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium: neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos. Eſt. 95. Queſnell. 1. Corr. 14. v. 21.

I. VEra & germana Dei Eccleſia, ab aliis falsò ſibi hoc nomen vendicantibus, in ſymbolo Conſtantinopolitano, his quatuor ſecernitur notis: Quod ſit Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. Has, cum Heterodoxi ſuis conventiculis competere, probari poſſe deſperent: commenti ſunt, hiſce notis abjectis, alias duas veræ Eccleſiæ notas: videlicet: *Sinceram*

prædicationem Verbi Dei, &, *Rectum Sacramentorum uſum*: quæ tamen non tam manifeſtant Eccleſiam, ut potius ab Eccleſia debeant manifeſtari. Neſciremus enim quid ſit ſincerum Verbum Dei, rectus Sacramentorum uſus; niſi conſtaret nobis veram Chriſti Eccleſiam hoc vel illud prædicare; hoc vel illo modo Sacramenta adminiſtrare. Hæc, quamvis ab omnibus Romano-Catholicis admittantur; Queſnellus ad Heterodoxorum notas proſpiciens, Eccleſiam Romanam jàm ſenuiſſe dicit, eo quod veritates ſint quaſi lingua peregrina, modus eas prædicandi idioma incognitum, alienus a ſimplicitate Apoſtolorum: in ſequentibus verò propoſitionibus ritum celebrandi divina officia, & adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ arrodit.

II. Sed quas ille veritates queritur eſſe quaſi lingua peregrina pleriſque Chriſtianis? Nonne in Eccleſia Romana & ea quæ Symbolum Apoſtolorum, & Decalogum, & orationem dominicam, & Sacramenta, & virtutes & vitia concernunt, Dominicis, & feſtivis diebus pro concione explicantur? Negari id non poteſt. Quæ ſunt ergo veritates iſtæ neglectæ? Haud dubie, dogmata Queſnelliana, aut ſi mavis, Bajana & Janſeniana, ab Eccleſia proſcripta. Hæc dogmata veritates eſſe, Queſnellus & verbis & factis aſſeruit: uti conſtat tum ex articulis Lovanienſibus, & Sententia Archiep. Mechlin. hic cap. 2. §. 2. tum ex voluntario ejus exilio, quo ſe, ne dogmata illa cogeretur ejurare, ſponte mulctavit; haud facturus, niſi exiſtimaſſet, ea ad fidei ſummam pertinere. Hic jam ſunt veritates, quæ *propoſitione* 94. erant *res quæ nec fidem lædunt nec mores*. Sicque confirman-

tur

tur & robur accipiunt dicta *cap.* 11. *num.* 2. *p.*425.

III. Quod nunc ſpectat modum annuntiandi Verbum Dei, non diffiteor fieri poſſe, ut unus aut alter, imo multi illud pro ſua dignitate & gravitate tractent minime: attamen male inde Eccleſia accuſatur; peſſime vero inde colligitur ſenectus, id eſt, defectus Eccleſiæ. Nempe Eccleſia ſimiles abuſus non probat, ſed execratur; uti ex inſtructionibus, Verbi Dei concionatoribus tradi ſolitis, patet: nec Eccleſiæ praxis ex ſingulis qui in ea practicant, colligenda eſt; neque omnis praxis in Eccleſia, eſt praxis Eccleſiæ. Videndum quid in Eccleſia, ipsâ ſtatuente, vel ſaltem probante, adeoque & conſtanter, ubi novit, non reclamante practicetur: atque id demum Eccleſiæ ſi attribuatur, tamquam ejus praxis, non magnopere reluctabor. Aſt ſudabit Queſnelliſta, ut probet defectus, ſi qui committuntur, hoc aut alio modo ab Eccleſia Romana foveri.

IV. De hac & aliis pluribus Queſnelli propoſitionibus dicit Auctor *Theol. Suppl.* „ Cum „ nihil dogmatis propoſitiones illæ contineant, „ ſed aſperas tantum graſſantium nonnullorum „ abuſuum inſectationes complectantur; nulla „ Theologis monitione opus eſt, ut intelligant, „ nullum in iis errorem fuiſſe deprehenſum &c. (reliquas vide pag.423.& 471.)Hæc ille. Verum enormiter decipitur aut decipere vult. Annon aliquid dogmatis continet Lutheranorum & Calviniſtarum aſſertio, prætendens Eccleſiam olim defeciſſe? Idem dicit Queſnellus. *Signa ſunt*, inquit, *ſenectutis Eccleſiæ*, ſcilicet abuſus illi, quos *Prop.* 95. enumerat. Seneſcere, deficere: ſenem eſſe, jam defeciſſe eſt: unde pluſculum dicit, qui Pag.156.

 aſſe-

aſſerit Eccleſiam jam perveniſſe ad ſenectutem, quam qui ſeneſcere aſſeveraret. Jam vero Queſnellus non ſeneſcentis modo, ſed *ſenectutis Eccleſiæ* ſigna illa eſſe prætendit.

V. Tantundem innuunt verba ſequentia: *Et iræ Dei in filios ſuos*. Signa iræ Dei in filios ſuos, variis Scripturæ locis exprimuntur. Unus nobis ſufficiet locus, ex 2. *ad Theſſal.c.* 2. *v.*10. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Dum igitur prætenditur jam adeſſe *ſigna iræ Dei in filios ſuos*, ſignificatur jam adveniſſe ſpiritum erroris, operarique myſterium iniquitatis: id eſt Eccleſiam in errorem miſſam, extremaque tempora, de quibus ibi agit Apoſtolus, inſtare. Unde aliqui Queſnelliſtæ, quos *Figuriſtas* vocant in Hollandia, indies expectant Eliam, ut reſtituat omnia. Similia ſigna iræ Dei in filios ſuos deſcribuntur *Iſaiæ* 29. *a.v.* 10.

VI. Dogma fidei eſt, Eccleſiam Unam, Sanctam Catholicã & Apoſtolicã, quæ Romana eſt, nuſquam defecturam. Dogma illud in Chriſti promiſſione, *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, fundatum, ab omnibus tum Græcis tum Latinis Patribus, adverſus omnes hæreticos, ſemper conſtanter propugnatum fuit. Athanaſius circa annum 340. *In oratione de uno Chriſto: Tu es Petrus. Fidelis ſermo, & non vacillans promiſſio: & Eccleſia invicta res eſt, etiamſi infernus ipſe commoveatur*. Gregor. Nazianz. circa an. 380. *Oratione prima in Julianum: Tunc contra magnam Chriſti hæreditatem? Magnam, inquam, & haud ceſſaturam, & altius exarrecturam? Divinis enim credo prædictionibus*. Joannes Chryſ. circa annum

num 400. *Ad cap. 2. Iſaiæ: Vocat nomine montis Eccleſiam, ſimul & inexpugnabilem dogmatum ejus traditionem*. Ex latinis adeſt Ambroſius circa an. 370. *Ad cap. 11. Lucæ: Regnum Eccleſiæ manebit in æternum, quia individua fidei corpus eſt unum*. Hieronymus circa an. 390. *Ad cap. 4. Iſaiæ: Super petram fundata Eccleſia, nulla tempeſtate concutitur; nullo turbine ventiſque ſubvertitur*. Auguſtinus circa an. 400. *in pſal. 47. Quæ eſt ergo iſta Eccleſia videamus .... Deus fundavit eam in æternum. Quid, times ne cadat firmamentum?*

VII. Faceſsat ergo Queſnellus, cum ſua fatiſcente & ſeneſcente Eccleſia: *Chriſtus heri & hodie; ipſe & in Sæcula*, Eccleſiam ſuam nunquam ſe deſeriturum ſpopondit. Faceſsat etiam Queſnelli noviſſimus Advocatus, qui nihil in ea propoſitione dogmatis contineri, perſuadere vellet. Dogma nobis eſt, Unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam futuram ſemper Eccleſiam; adverſus quam nullo unquam tempore portæ inferi prævalebunt: juxta Queſnellum autem, jam prævaluerunt. Hunc ſenſum, ſi quis protervè negaret ineſse illi *propoſitioni* 95., confirmari poſset explicatio data propoſitionibus ſequentibus: quas quia claræ ſunt, non duxi ſeparatim exponendas, ſed hîc, in confirmationem dictorū tranſcribendas. Prop. 96. *Deus permittit, ut omnes poteſtates ſint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi divinæ gratiæ*. Nota: *Omnes poteſtates*, tam Eccleſiaſtica, quam civilis, *ſunt contrariæ veritati*. Prop. 97. *Nimis ſæpe* (propoſitio 99. dicit *quotidie*) *contingit, membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici atque tractari tamquam indigna, ut ſint in Eccleſia,*

vel tamquam ab ea ſeparata: ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum. Queſnelliſtas intellige Prop.98. *Status perſecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tamquam hæreticus, flagitioſus & impius ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria; utpote, quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.* Prop. 99. *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie, quoad multos, in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ. v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c.* Nota: pervicaciam, præventionem, obſtinationem *quotidie* tyrannidem ſuam exercere. Denique 100. dicit: *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos, tempus hoc advenit. Haberi & tractari a religionis miniſtris, tamquam impium & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam religionis, perſequendo flamma ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena; propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.* Nota: tempus *jam adveniſſe*, quo creditur honorari Deus *perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos*. Qnibus nihil clarius, ad confirmandum ſenſum propoſitionis 95. ſuperius datum, dici poterat.

§. II.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Eripere ſimplici populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolorum, & intentioni Dei. Eſt. 86. Queſnell. 1. Cor. 14. v. 16.

VIII. Uti ego non nego olim in aliquibus Eccleſiis uſu venire potuiſſe, ut populus & Sacerdoti celebranti, & clero pſalmodianti; vocem ſuam uniret: ita confido ab Auctore *Theologiæ Supplicis* mihi non negandum, hunc uſum, ſi alibi fuerit, de quo hîc non eſt diſputandum, non eſſe traditionis Apoſtolicæ, vim legis immutabilis habentis. De hoc enim genere Apoſtolicarum traditionum Auguſtinus diſſerens, ait: *Quod univerſa tenet Eccleſia, ſi non poſſit initium aſſignari, de Apoſtolica traditione deſcendere, credendum eſt.* Juxta quam regulam, non eſt de numero hujuſmodi traditionum Apoſtolicarum, id, quod nunquam ab univerſa Eccleſia obſervatum deprehenditur. Porro, populum unire vocem ſuam voci Sacerdotis & Cleri, nuſquam eſſe potuit in uſu Eccleſiæ Univerſalis: ſiquidem, ut admittit *Theol. Supplex pag.* 43. fieri id poterat, & licebat, *modo & ipſe, populus, eamdem cum Clero linguam loquatur, præſcriptumque ab Eccleſia Sa-* Serm. 2. de Jejun. Pentec.

cum

crum idioma inter orandum uſurpet. Quis vero dicat, omnes per orbem nationes, ad quas per Apoſtolos Evangelium delatum eſt, calluiſſe eandem linguam, idem Sacrum Idioma, quo Apoſtoli in divinis utebantur? Aut quis dicat Apoſtolos in Gallia, Gallice; in Hiſpania Hiſpanice (ſuppono tantiſper ibidem Apoſtolos, ut illarum nationum Scriptores aliqui prætendunt, prædicaſſe) aut Apoſtolorum Diſcipulos in Germania Germanice, in Belgio Belgice, & ſic de cæteris nationibus, ſacra myſteria peregiſse? Hoc cum nemo aſserat: fatendum eſt, nunquam per univerſalem Eccleſiam uſu veniſse, aut venire potuiſse, ut populus acclamaret Sacerdoti facienti ad altare; aut alias vocem ſuam uniret ſacræ pſalmodiæ. Non ergo eſt, Auguſtino Judice, hujuſmodi uſus, ſi alibi fuerit, Traditionibus Apoſtolicis immutabilibus, ac legis indiſpenſabilis rationem habentibus annumerandus. Huc etiam ſpectat, quod Miſsalia vulgari lingua edita, ſint recentionis datæ, quam ut inde probari poſſit, Miſsæ Sacrificium fuiſse ex Apoſtolica inſtitutione peractum in lingua vulgo nota. Eſt mihi Miſsale Germanicum, ſed editum anno 1552. *Baſileæ per Adamum Petri ex Langendorff*, *civem Baſileenſem*: Miſsale autem Gallicum anno 1661. damnatum eſt; paulo poſtquam lucem aſpexerat.

IX. Quid autem Queſnellus? *Eripere ſimplici populo hoc ſolatium...... eſt uſus contrarius praxi Apoſtolorum & intentioni Dei*. Ubi notandum venit to *contrarius*, quod idem eſt ac repugnans; adeoque peccaminoſus. Ecce ergo iterum praxim Romanæ Eccleſiæ, & majoris numeri Eccleſiarum per univerſum orbem, ab homine privato,

gravi

gravi cenſura perſtrictam. Nonne ridiculum foret, ſi clericis latine pſalmodiantibus, populus adderet alterum verſum Gallicum, aut Hiſpanicum, aut Italicum? Aut. Sed, inquit Queſnellus, hoc eſt quod volo. Eccleſiam lingua ignota populo divina peragere, hoc ego dico praxi Apoſtolorum & intentioni Dei contrarium.

X. Credo equidem hoc eſſe principale intentum Queſnelli in hac propoſitione: ſcilicet, Eccleſiam contra Apoſtolorum praxim, & intentionem Dei facere, celebrando divina non in lingua vulgari. Hoc eſt Queſnello *eripere ſimplici populo ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ*. Id clare explicat locus ipſe ex quo propoſitio hæc deſumpta eſt. Ita enim habet verſio latina *Reflex. Moral. Docendi ſunt ſimplices fideles, unire ſe per diſpoſitionem cordis, & APPLICATIONEM MENTIS, laudibus, orationibus, & SACRIFICIO Eccleſiæ ... juſtum eſt, ut filii INTELLIGANT id quod eorum mater facit, & poſtulat pro ipſis, & id quod ipſi faciunt & poſtulant cum ipſa ... Laus & Oratio publica in Eccleſia etiam ad PLEBEM pertinet. Eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ & conſilio Dei, eripere populo conſolationem uniendi vocem ſuam voci Eccleſiæ.* Itaque cenſura Queſnelli non cadit principaliter ſuper hoc, quod hodie uſus in omnibus fere Eccleſiis habeat, miniſtros vel clerum, & non populum, reſpondere celebranti Sacerdoti, *Amen*, *& cum Spiritu tuo*, *Deo gratias &c.* Sed ſuper eo, quod Eccleſia peragat divina in lingua ignota populo. Hoc autem non reflexit, aut diſſimulavit prohibitarum mercium Mango ille. Unde inepte interrogat an Clemens XI. cenſura ſua, *Hoc ſimplici*

Ad 1. Co 14. v. 16

Pag. 45.

plici

plici populo qualecumque ſolatium ereptum omnino voluerit? An potius vernaculæ dumtaxat linguæ uſum in divinorum Officiorum celebratione vetuerit? Ne ſcilicet Chriſtiana plebs VERNACULAM LINGUAM,(oranti ſacrâ)*clero poſſit adjūgere.* Ineptè, inquam. Enimvero, ſicut ſecundum iſtorum duorum directe non tangit Queſnelli propoſitio: ita minime attingit cenſura. Sed hæc ſunt quæ cenſura afficiuntur: Primum, Eſſe contrarium praxi Apoſtolicæ & intentioni ſeu conſilio Dei, quod in Romana Eccleſia, ac in omnibus forte aliis, populus non reſpondeat, etiam linguâ eadem, Sacerdoti celebranti: nec alternatim cum clero pſalmodiet. Secundum, ſacra myſteria ac cætera Eccleſiaſtica officia celebranda eſſe linguâ quæ a Plebe intelligatur. Utrumque affirmat Queſnellus; utrumque damnat Clemens: ſeu potius cenſuram jam olim in has extravagantias latam, renovat.

XI. Ab anno 1661. Alexander VII. damnavit Miſſale Romanum in Gallicam vulgarem converſum, & typis editum, vocatque hoc attentatum, *Novitatem perpetui Eccleſiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, ſeditionis, ſchiſmatis, aliorumque plurium malorum facile productricem.* Nonne plus eſt aſſerere, Sacrificium Eccleſiæ ac cætera divina officia in lingua vulgari, & a plebe intellecta, fieri oportere; contrariumque, Apoſtolicæ praxi ac intentioni divinæ, ſeu conſilio Dei eſſe adverſum? Merito ergo Queſnellianam, hæc aſſerentem damnare Clemens potuit ac debuit, velut totidem facinorum ream: cui etiam a Tridentino pridem Anathema dictum erat. *Si quis dixerit Ec-*

Seſſ. 22. can. 9.

cle-

cleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe: ***AUT LINGUA TANTUM VULGARI MISSAM CELEBRARI DEBERE;*** *aut aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem,* ***ANATHEMA SIT.***

XII. Quia vero Queſnellus cum ſuis in eo ſe fundare videntur, quod fideles debeant ſe unire laudibus, orationibus, Sacrificio Eccleſiæ, per diſpoſitionem cordis & *Applicationem mentis*, quod ultimum fieri non poſſe videtur, niſi intelligant quæ aguntur, notandum ex S. Thoma triplicem eſſe attentionem, *Quæ orationi vocali poteſt adhiberi. Una quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret: ſecunda, qua attenditur ad ſenſum verborum: tertia, qua attenditur ad finem orationis; ſcilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur: quæ quidem attentio, eſt maxime neceſſaria. Et hanc etiam poſſunt habere IDIOTÆ: & quandoque intantum abundat HÆC INTENTIO, qua mens fertur in Deum; ut etiam omnium aliorum mens obliviſcatur: ſicut dicit Hugo de S. Victore.* Hac autem ſtante attentione, haberi poſſunt omnes orationis effectus, ut ibi aſſerit S. Doctor: id eſt, meritum, impetratio, & ſpiritualis mentis refectio; etiam in Idiotis: atque ita docent omnes ſpiritualis vitæ magiſtri. Nullatenus ergo neceſſe eſt, ut oratio publica, fiat lingua vulgari.

2.2.q.83. art.13.

Lib. de modo orandi c.2. a medio. tom.2.

XIII. Accedat hîc etiam Cenſura Facultatis Theol. Pariſienſis, in hanc Eraſmianam: *Indecorum vel ridiculum potius videtur, quod idiotæ & mulierculæ pſitaci exemplo pſalmos ſuos & precationem Dominicam immurmurant, cum ipſi quod ſonant,*

nant,

Tit. 12. *nant, non intelligant*. Cenſura. ***Hæc propoſitio ſimplices, idiotas, & mulierculas ab oratione vocali JUXTA RITUM & CONSUETUDINEM ECCLESIÆ, perperam trahens, ac ſi inutilis ſit, niſi ab eis intelligatur, impia eſt & erronea, viam præbens errori Bohemorum, qui officium Eccleſiaſticum in idiomate vulgari celebrare conati ſunt. Alioquin lege veteri indecorum fuiſſet & ridiculum, ſimplicem populum ex Dei inſtituto cæremonias legis obſervare, quas non intelligebat: quod aſſerere, eſt in legem & in ejus Latorem Deum blaſphemum & hæreticum &c.*** Ita olim Doctores Pariſienſes.

XIV. Objiciunt aliqui: nationes quaſdam, puta Armenos, lingua vulgari uti in divinis Officiis: quidni & cæteræ nationes id poſſint? Nolim ad hoc recurrere, quod nationes illæ omnes ſint aut Schiſmaticæ aut Hæreticæ (ita quidam ſatis imprudenter ſcripſit) ſed quod Eccleſia juſtis de cauſis cum illis diſpenſaverit: prout in Miſſali Ord. Prædicat. lingua Armena impreſſo Romæ, *Typis S. Congregat. de propaganda Fide, an.* 1728. videri poteſt. Quocirca notandum, ***Linguam, quâ in templis & ſacris diviniſque litteris utuntur Armeni, non eſſe vernaculam, ſed arcanam & excellentem, quæ ab eis CRAPAR dicitur***: verba ſunt Nic. Serrarii *Prolog. Bibl. cap.* 20. *quæſt.* 2.: quod etiam mihi confirmarunt ***AA. RR. PP. Alexius Alexi, & Petrus Joanni***, nativitate Armeni, profeſſione Dominicani: Primus, Provincialis Provinciæ Armeniæ Minoris, erectæ anno 1333., ac in duodecim Conventibus conſiſtentis: alter Prædicator, ut vocamus, Generalis, qui ante paucos dies, dum hæc ſcribo, Romam ex Armenia appulerunt: ubi totus clerus cum ſuo Archiepiſco-

po. eſt Dominicani Ordinis. Et Archiepiſcopus quidem hodiernus Illuſt. Salvini, Italus eſt, de Congregatione Romana S.Sabinæ, olim *Fr Raymundus Salvini* dictus. Eadem Congregatio *Iſpahami* Conventum obtinet Religioſis probe catholicis (prout & alii duodecim, ultimo bello fere exciſi) non omnino deſtitutum.

XV. Sed ut ad inſtitutum revertamur, Eccleſia diſpenſante, fieri poſſent divina in quavis lingua, etſi nec latina nec græca. Verum non judicat optima Mater eſſe ubique in hoc diſpenſandum. Quanti autem prudentiſſima hæc Eccleſiæ Romanæ OEconomia facta ſit, vel a Synodo Generali Conſtantienſi, cui plurimum acclamare ſolent Queſnelliſtæ, inde patet, quod, cum inter petitiones ab Oratoribus Bohemiæ propoſitas ſacro Conceſſui Anno 1438. ordine ſeptima eſſet: *Item ſupplicamus ut ſupra, quatenus ex eiſdem cauſis, veſtræ Paternitates dignentur permittere ad minus Evangelia, Epiſtolas, & Symbolum in vulgari, in Miſſis & Eccleſiis coram populo, ad excitandum devotionem libertari, legi & decantari. Nam in noſtro linguagio Slavico ex indulto Eccleſiæ olim ab antiquo in vulgari ſuo exercetur, etiam in noſtro regno*, Reſponſio ordinata fuerit hæc. *Ad Septimam petitionem, quod illa eſt directo contra compactata, & ipſorum Bohemorum promiſſionem, per quam tenentur ſe conformare ritibus Eccleſiæ. Certum autem eſt, quod Ritus Eccleſiæ hoc non habet: neque in Pragenſi Eccleſia, ante iſta diſturbia hoc fiebat. Unde juſtum & rationabile foret quod conformarent ſe Ritibus Eccleſiæ, & in hoc & in omnibus aliis compactata efficaciter adimplerent: & tunc poſſent honeſtius a Sacro Concilio petere, & rationabilius ſperare.*

re.

re. Ita in Conciliis Labbè. Sed de his plus ſatis.

REFLEXIO UNDECIMA.

XVI. Duo plurimum conducere poterant ad Sectam Queſnellianam cum ſucceſſu aliquo promovendam. Unum, ſi fideles potuiſſent abſtrahi a concionibus Romano-catholicorum: alterum, ſi induci ſe paterentur ad frequentandas Eccleſias Queſnelliſtarum. Ad utrumque tendunt hæ duæ propoſitiones. Quis avidus ſit audire conciones, in quibus aut veritates non proponuntur, aut non eo modo, ut a communi populo intelligi poſſint? Igitur Queſnellus ſimilia de concionibus, quæ in Romano-Catholica Eccleſia fiunt effutiens, non immerito dicitur, hac propoſitione retrahere fideles a crebra auditione Verbi Dei: ſicque meritus eſt cenſuram; etiam circumſcriptis cæteris, quæ in eadem latent propoſitione exceſſibus; non minus ac *prop*.3. Eraſmi, de qua *cap. præced. num*.30. attento vel maxime quod aliæ etiam propoſitiones & dicta Queſnelli, in eundem finem videantur collimare. Quid enim ſibi vult *v.g. prop*. 5. *Quando Deus non emollit cor.... exhortationes ... non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum?* Quid *prop*.82. *Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, ſuper omnia Sacrarum Scripturarum?* Quid, ea quæ ſcribit *Act*. 8. *v*.28. alludens ad Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, qui revertebatur legens Iſaiam Prophetam: *Sic piis Lectionibus itinera ſanctificantur .... Nihil magis idoneum eſt ad fovendos pietatis ſenſus, quos ab ORATIONE PUBLICA domum*

re-

referimus, quam lectio Sanctarum Paginarum: Quaſi ad Eccleſiam eundum non ſit, niſi pro *oratione publica* facienda. Hoc ſi non ſit fideles avocare a crebra auditione verbi Dei, neſcio quid ſit.

XVII. Pro ſecundo, quo ſcilicet inducerentur fideles ad frequentandas Eccleſias Queſnellianas, introducenda erat novitas quædam. Vulgus novitatibus capitur. Unde Queſnellus in altera propoſitione vult, ut divina officia fiant lingua vulgo non ignota; ut ſic vocem ſuam vulgus unire poſſit, precibus Sacerdotum. Et quæ inde non ſunt expectandæ confuſiones? Memini quadam Dominica die, dum Bruxellis veſperis decantandis operam daremus, quemdam officialem Gallum intraſſe chorum, & ſubitò loco Prioris, qui forte aberat, occupato, cœpiſſe nobiſcum pſalmodiare. Poſt verſus aliquot decantatos ſurgit non ſine ſtrepitu, hæc corrupta flandrica verba proferens: *Kanni ſiſton*: quæ res pluribus indignationem excuſſit. Erat haud dubie ille alicujus Diœceſis in Gallia, ubi populus cum clero alternatim pſalmodiat; ubi ſimilia ſæpius occurrere poſſe, nemo dubitat. Fingamus ergo Pontificem, damnando hanc propoſitionem, voluiſſe, quo cauſæ ſimilium confuſionum tollerentur, interdicere, ne laici alta voce cum Clericis pſalmodiarent, an ideo reluctandum ejus conſtitutioni? Dici non poteſt, eſſe ad ſalutem neceſſarium, Laicos cum Clericis pſalmodiare: cur ergo prohiberi non poſſit? Conſolatio aliqua erat, quod primi fideles epularentur in Eccleſia, in memoriam Dominicæ cœnæ: propter varia tamen inconvenientia ſublatum id eſt ab Apoſtolo. Tam firmiter adhærent capiti viſibili Eccleſiæ Queſnelliſtæ, 1.Cor.11

ut cum putent, etſi erronee, ab eo ſublatam vulgi pſalmodiam, ad ſalutem haud neceſſariam, eum deſerant, imo ei obluctentur? Oportet certe paleas eſſe, quæ tam exiguo vento avolant. An hoc forte non eſt in re non neceſſaria ad ſalutem, ultimum ſuum finem collocare?

XVIII. Dixi erronee id eos exiſtimare. Nempe non id eſt quod cenſuravit Pontifex, uti ſuperius monui, proſcriptione illius Queſnellianæ Theſis (nam ubi praxis illa pſalmodiæ olim introducta fuit, illic etiam hodie continuatur, nullo Pontifice ab edita Conſtitutione reclamante) ſed audaciam cenſuravit Queſnelli, dicentis uſum Eccleſiæ celebrantis divina idiomate vulgo ignoto eſſe contrarium *praxi Apoſtolorum & intentioni Dei*: temeritatem perſtrinxit, qua auſus fuit ſignificare, Officia Eccleſiaſtica, quin & ipſum Miſſæ Sacrificium in lingua vulgari eſſe peragenda; contra conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, omnium Eccleſiarum Matris ac Magiſtræ, quam in omnibus æmulandam eſſe S. Thomas innumeris locis inculcat. *Vide* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12.

XIX. Ut vero pateat Summum Pontificem, & ab ipſo inſtitutas S. Congregationes, nihil habere contra celebrationem Divinorum Officiorum in alio quam Latino aut græco idiomate, dummodo ſufficientes pro diſpenſatione obtinenda adferantur rationes, ſubjicio facultatem *Sac. Congregat. S. Officii*, Miſſali Armenico, juſſu Reverendiſſimi P. Thomæ Ripoll Ord. Prædic. Magiſtri Generalis: quem diu ſoſpitet Deus: Romæ impreſſo anno 1728. *Typis S. Congregat. de Propaganda Fide*, adjectam: uno ſolum, nota, die ante Conſt. *Unigenitus* a Clem. XI. approbatam.

Feria

Feria 4. die 6. Septembris 1713.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, coram Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, a S. Sede Apoſtolica generaliter deputatis. „ Relata iterum inſtantia a S. Congregatione de Propaganda Fide ad S. Officium remiſſa, alias propoſita die 30. Aug. proxime præteriti, Patrum Ord. Prædicatorum Provinciæ Naxivanenſis in Armenia, ſupplicantium pro licentia imprimendi eorum Miſſalia & Breviaria e Latino in Armenum idioma traducta, attenta neceſſitate expoſita, Eminentiſſimi & Reverendiſſimi DD. Cardinales, Generales Inquiſitores prædicti cenſuerunt Oratoribus licentiam petitam, prævia tamen recognitione, reviſione, & correctione facienda per DD. Mechitarum Petrum, Abbatem Monachorum Armenorum, & Cacciatur de Arachiel: & ſi eis contigerit aliquod dubium, Sacram Congregationem certiorent. „

Feria 5. die 7. Septembris ejuſdem Anni. In Congregatione Generali S. Officii habita coram Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Clemente Divina Providentia Papa XI. Sanctitas ſua ſupradictum Decretum Sacræ Congregationis approbavit. „

Joſeph Bartolus S. Rom. & Un. Inq. Not.

Hanc facultatem ſequuta eſt impreſſio Breviarii Ord. Prædic. in idiomate Armeno Venetiis, Anno 1716. ſub Rmo Antonino Cloche: Miſſalis vero Romæ 1728. ſub Rmo Thoma Ripoll, Ord. Præd. Generalibus.

CAP. XIV.

De adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ.

§. I.

Propoſitiones Queſnellianæ, cenſurâ notatæ.

Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati; petendi ſpiritum pœnitentiæ & contritionis; & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur. Eſt.87. Queſnell. Act.9. v.9.

Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit; & detrectamus ſeparationis illius ferre confuſionem. Eſt. 88. Queſnell. Luc. 17. v. 11. & 12.

I. QUid in hiſce propoſitionibus damnaverit Clemens XI., cum certò damnaverit ſenſum obvium earumdem, dependet ab eo, quis ſit ſenſus earum obvius: & rurſum hic col-

colligi debet, partim ex occaſione quâ ſcriptæ fuëre, atque ex adjunctis, ſi quæ ſint, in Queſnello. Notandum igitur primam ex illis appoſitam verbis *Act.9. v.9. Et erat*, Paulus, *ibi tribus diebus, & non manducavit neque bibit*. Huic loco apponit Queſnellus hanc reflexionem: *Deus ipſe ſupremus director & medicus animarum, nihil in reconciliatione S. Pauli, quantumvis miraculoſa, præpropere agit. Triduum illud auſteri jejunii, orationis aſſiduæ & ſtatus cæcitatis, humiliationis & pœnitentiæ nos docet, quid in pœnitentia, ſervata proportione, agere oporteat*: ac tum ſequitur propoſitio damnata. Secundam vero apponit illis verbis *Lucæ* 17.*v*.12.... *Occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt a longe*: poſt quæ ita diſcurrit Queſnellus: *Peccati lepra indignos nos efficit, qui Deo appropinquemus... Non eſt delictum mortiferum, quod non coram Deo majorem ferat excommunicationem: ſiquidem ipſo Deo nos privat... jam illi denuo appropinquare incipis, cum te, qui appropinques, indignum reputas. Inde inchoanda pœnitentia eſt*. Tum ſequitur propoſitio damnata.

II. Hæc accurate ponderata & perpenſa, ſatis clare indicant, Queſnellum loqui de quocumque peccatore: etiam miraculoſe converſo, ſicut Paulus: etiamſi in peccatum occultum incidiſſet, dummodo mortale ſit; quia nihil diſtinguit: imo verba illa ſatis indicant de quocumque peccatore agi, quæ pro ratione differendi reconciliationem adferunt, quod *Non eſt delictum mortiferum, quod non coram Deo majorem ferat excommunicationem*. Itaque ſemper differenda abſolutio erit, donec præmiſſa fuerint opera ſatisfactoria, ferendaque ſeparationis, utiq; publicæ, confuſio, pro quocum-

que peccato. Hoc demum vocat modum plenum ſapientia, lumine, & charitate: quia Supremus Medicus & Director animarum ita egiſſe cum Paulo *videtur* Queſnello; ſed erronee, ut illico oſtendetur. Reflectere debebat, quod idem Supremus Medicus filium prodigum repente in gratiam admiſſum, atque ad epulum aſſumptum exhibuerit, reſtitutâ ei ſtolâ primâ, annulo ac calceamentis. Item, idem Supremus Director Lazarum, etſi quatriduanum & jam fœtentem, ſubito ſuſcitavit, ſolvi juſſit & abire. Quanto ergo conformior Evangelio eſt praxis Eccleſiæ Romanæ; quæ, ſicut communibus peccatoribus, modo ſinceræ pœnitentiæ ſigna dederint, abſolutionem impertiri; ita quibuſdam differri, imo etiam negari quandoque, pro cujuſque merito, vult. Sic Ritualia, Cathecismus Tridentini, S. Carolus Borromæus, Synodorum poſt Tridentinam celebratarum ſtatuta, ac boni quique moralis doctrinæ Magiſtri, ut recte obſervat Auctor *Theol. Supplicis pag.* 47.

III. At vero Queſnelli praxis quam horrida, quam barbara, quam crudelis! Alia aliqua ejuſdem auctoris principia hiſce damnatis connectamus. *Nec Deus eſt nec religio, ubi non eſt charitas. Eſt prop.* 58. *Sola charitas eſt quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit*. Eſt 54. *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium*. Eſt 59. Et quid non aſſerit de abſtinente a peccato ex timore? Peccatur ſecundum ipſum, *ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando*. Eſt. 64.: & miſerum peccatorem quemcumque, vult relinqui in illo miſerabili ſtatu, donec prius ſe exercuerit in operibus

bus pœnitentialibus! Quid proderunt ipſi, obſecro, opera pœnitentialia, ſi omnia quæ agit in ſtatu peccati mortalis, ſunt peccata? Taceo, quod pro quolibet peccato confuſionem ſeparationis, ut in ſequenti §. explicabitur, ſuſtineri debere prætendat: ſicque pro peccatis etiam occultis, publicam imponi pœnitentiam, ac ſuſtineri quamdam ſpeciem excommunicationis, ipſe qui aliunde excommunicationes Eccleſiæ inutiles reddit: uti poſtea dicetur. Illud ſolum dicam, quod rurſum hic ſugillet praxim Eccleſiæ, dum ſuam, ei oppoſitam, plenam ſapientiâ, lumine, & charitate buccinat, homo privatus: atque ſenſu, ſi non verbis & ſyllabis, revocet illas ab Alexandro VIII. damnatas propoſitiones: *Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ; ſed ipſa Chriſti lex & præſcriptio: natura rei idipſum quodammodo dictante*. Si enim Deus in converſione Pauli, ſpecimen Eccleſiæ, quo ſe erga peccatores modo gerere *debeat*, præbere voluerit; uti inſinuat Queſnellus: ſi Deus ipſe, ſupremus director, & medicus animarum, exegerit a Saulo, opera ſatisfactoria priuſquam ei reconciliaretur, uti prætendit idem: negari non poterit, quin ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxerit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ; ſed ipſa Dei lex & præſcriptio: ſicque praxi mox abſolvendi ordinem pœnitentiæ, a Deo præſcriptum, eſſe inverſum.

IV. Sed fallitur egregie hoc loco Queſnellus, aut certè fallere vult, dum prætendit Deum a Paulo exegiſſe opera pœnitentialia, priuſquam ei

1. 2. qu. 113. a. 10 reconciliaretur. Si enim credimus S. Thomæ: *Quandoque tam vehementer Deus animam* (peccatoris) *movet, ut ſtatim quandam perfectionem juſtitiæ aſſequatur* (*ſicut fuit in converſione Pauli*) *adbibita etiam exterius miraculoſa proſtratione*. Statim autem ac homo adipiſcitur juſtitiæ perfectionem, reconciliatur Deo: unde triduum illud auſteri jejunii, orationis aſſiduæ Pauli, poſt reconciliationem, & in ſtatu gratiæ exactum fuit: & ſtatus illæ cæcitatis, humiliationis & pœnitentiæ, minime docent, ante reconciliationem ſemper debere præmitti opera ſatisfactoria; ſed, neminem de propitiato peccato debere eſſe ſine metu: unumquemque peccatorem merito ſe exercere in operibus pœnitentialibus, etiam remiſſo peccato, & reconciliatione peracta &c. Quod vero poſtea ad Paulum miſſus venerit Ananias; fuit id, non reconciliationis cauſâ; ſed ut a cæcitate corporali liberaretur, Eccleſiam per Baptiſmum intraret, Actorum cap. 9: v. 17. & impleretur Spiritu Sancto: uti Lucas nobis auctor eſt: id eſt ampliori gratiâ donaretur.

V. Idem quoque probat exemplum 10. leproſorum. Nam ab illis etiam Chriſtus nihil exegit pœnitentiæ operum, niſi, ut ſe oſtenderent Sacerdotibus. Luc. 17. *Et factum eſt dum irent*, ait Lucas, *mundati ſunt*. Ex quibus manifeſtum fit, Queſnellum hìc omnino contra textus quos exponebat iiſſe, requirendo plus quam Chriſtus ipſe locis illis exegerit: ſicque oſtendit ſe ſupra Chriſtum voluiſſe ſapere, cudendo novum Evangelium.

§. II.

§. II.

Propoſitio Queſnelliana, cenſura notata.

Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod cum jam ſit reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ. Eſt. 89. Queſnell. Luc. 15. v. 23.

VI. Multam hîc agglomerat eruditionem, Auctor *Theologiæ ſupplicis a pag.* 49. circa diſciplinam priſcam Eccleſiæ, erga *publicos pœnitentes*: quibus, antequam ſalutaris hoſtia offerretur, clamabat Diaconus: *Sancta Sanctis*: *Exite, quotquot eſtis in pœnitentia*. Inde infert peccatores necdum reconciliatos jus habere nullum, ut altaris ſacrificio interſint: *Si quod enim haberent*, inquit, *Eccleſia, ut eſt juris & æqui retinentiſſima, nuſquam id eis denegaſſet, ne tam atrocem illis injuriam faceret*. Quod peccatores nondum reconciliati altaris ſacrificio interſint, non *jure ſummo ac ſtricto*, ſed ex mera Eccleſiæ indulgentia: ad quam Eccleſia veluti compulſa fuerit. Tandem jus illud ex indulgentia competens peccatoribus, in præceptum Eccleſiaſticum tranſiiſſe; & multa alia ibi dicit Auctor ille. Circa quæ licet mihi quædam dubia oriantur, v. g. An vox illa Diaconi omnes omnino concerneret peccatores non reconciliatos, etſi occultos? Quid dicendum de Chriſtianiſſima Gallia, quæ multis ſæculis negavit Viaticum damnatis ad extremum ſupplicium, ſuppoſito, quod Eccleſia nemi-

minem privare poſſit jure quod aliunde habet ad Sacrificium, aut Sacramenta ſuſpicienda, ut vult ille? An præceptum de audienda Miſſa nullos alligaverit peccatores, priuſquam pœnitentiæ ritus abrogaretur? Et plura alia, inquam, licet mihi occurrant dubia; tamen, quia ad Queſnellum, agentem de quocumque mortaliter delinquente, aut nihil aut parum faciunt, libens ea prætereo, ne Queſnellus obtutum noſtrum effugiat.

VII. Statuit ille uſque ad octodecim, ni fallor, reconciliationis gradus, Luc. 15. a v. 17. & ne muſſitat quidem de abſolutione Sacerdotis. In quarto decimo, cum jam ſit reconciliatus, inquit, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Miſſæ. Hunc quartũ decimum gradum dupliciter conſiderare poſſumus, vel in ſe abſolute, vel reduplicative, ut decimum quartum; adeoq; præſupponentem neceſſario omnes præcedentes: & utrovis modo conſideretur, meritò damnata eſt propoſitio. Si enim primo modo eum ſumas, clare ſonat, omnem peccatorem vel debere, vel poſse ſe abſentare ab Eccleſiæ Sacrificio. Hoc autem eſt contra modernam Eccleſiæ diſciplinam, quæ præcepto obligat omnes fideles, ut interſint Feſtis & Dominicis diebus, ſacrificio Eccleſiæ, ſive Miſsæ.

VIII. Si autem ſecundo modo accipimus propoſitionem; cum in quarto gradu dicat, *a voce amoris plena, confeſſio ſumit exordium: PATER: quia veræ pœnitentiæ fundamentum amor Dei eſt. Primum odii contra peccata motivum illud eſt, quod divinæ bonitati contrarientur; quodque Deus ipſe, qui offenſus eſt, inter omnes Patres ſit optimus Pater*: in quinto autem gradu dicat, *Amor, & Spiritus adoptionis jus tribuunt Deum PATRIS*

no-

nomine compellandi: in ſexto, *Subiicit ſeſe pœnitentiæ*: in Septimo, *cavet accedere*, ad reconciliationem *niſi diſpoſitionibus jam ſupra dictis fuerit præmunitus*: Si, inquam, ſecundo modo accipiatur, ut neceſſario præſupponens hos jam dictos gradus, ſignificabit, omnem peccatorem cavere debere, ne ad abſolutionem habendam accedat, neve illi ea impendatur, niſi habeat charitatem, & ſpiritum adoptionis: ex quo ulterius ſequitur; vel, quod per contritionem etiam perfectam, & cum voto ſuſcipiendi *Sacramentum conjunctam*, *non remittitur crimen*; quæ eſt 71. Bajana: vel, quod *abſolutione Sacerdotis*, non peccatum, ſed *ſolum reatus*, ſeu obligatio ad pœnam *tollatur*; uti habent 56. 57. & 58. Bajanæ: vel ſequitur utrumque potius, ſcilicet, quod per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non tollatur crimen ſimpliciter, ſed maneat reatus; qui ſolus per abſolutionem Sacerdotis tollitur. Hoc autem ipſo revocari Syſtema Baji, ab univerſa Eccleſia pridem damnatum, nullus ignorat.

IX. Quid porro neceſſe erat, ut Queſnellus, deſcribendo novos reconciliationis gradus, ſupra Concilium Tridentinum; quod diligenter modum præparationis ad juſtificationem exaraverat; ſapere videri vellet? *Diſponuntur autem*, inquit *Trid.* *ad ipſam juſtitiam*, *dum excitati divinâ gratiâ*, *& adjuti*, *fidem ex auditu concipientes*, *libere moventur in Deum*, *credentes vera eſſe*, *quæ divinitus revelata*, *& promiſſa ſunt*: *atque illud in primis*, *a Deo juſtificari impium per gratiam ejus*, *per redemptionem*, *quæ eſt in Chriſto Jeſu*: *& dum peccatores ſe eſſe intelligentes*, *a divinæ juſtitiæ timore*, Seſſ. 6. cap. 6. de juſtif.

quo

quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur; fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore: illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet: Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.

X. Et ſi quis reponat, ibidem agi de juſtificatione infidelis: aliud autem eſſe, de juſtificatione Baptiſati relapſi loquendo: ad quam, juxta idem concilium, *ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus pervenire nequaquam poſſumus*. Reſpondeo, verba Trid.non integre adferri. Sic enim habet Concilium - *Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura: plenam*, & *integram peccatorum omnium remiſſionum conſequentes: ad quam tamen NOVITATEM, ET INTEGRITATEM*: qualem in Baptiſmo conſequimur: *per Sacramentum pœnitentiæ, ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia,pervenire nequaquam poſſumus*: id eſt, ad plenariam atque perfectam peccatorum, tam quoad culpam, quam quoad omnem pœnam, remiſſionem, ſicut in Baptiſmo. Cæterum ad ſimplicem reconciliationem, ſeu abſolutionem a peccatis, ad ſummum requiri, & ſufficere, ut *Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere* incipiamus; *ac propterea* moveamur *adverſus peccata, per odium aliquod, & deteſtationem*, ex Seſſ.6. c. 6. verbis num. 9. relatis habetur.

Seſſ. 14. cap. 2.

RE-

XI. Nonne hæc & alia, in quibus ſapientior Tridentinis Patribus videri voluit Queſnellus, blaſphemiam ſapiunt Abbatis S. Cyrani; qui præſentem Eccleſiam corruptam, ejuſque diſciplinam depravatam in Synodo Tridentina, opera Romanæ curiæ & Scholaſticorum impudentiſſimo ore effutiit? Videatur Petavius *Theol. Dogm. tom. 4. lib. 3. cap.* 14. Videbitur Arnaldus Queſnellianæ factionis Abbas, & Paſchaſii Magiſter de eodem errore fuiſſe ſuſpectus. Si ergo S. Auguſtinus ex iis quæ docebat Cæleſtius, merito ſuſpectum habuit Pelagium, uti in Regula noſtra 7. obſervatum eſt: non ægrè feret quivis Auguſtini Diſcipulus, ſi nos Queſnellum in eandem cum ſuo magiſtro ſuſpicionem trahamus.

XII. Ob hæc & alia, ſuperius tacta, nemo, ſpero, cordatus dubitabit, quin merito fuerint hæ propoſitiones proſcriptæ. Quibus addi poteſt: videri eas excogitatas ad melius occultandum latentes Calviniſtas. Notum eſt Ludovicum Magnum pro virili adlaboraſſe, peſtem hanc e regnis ſuis extirpare. Quapropter extortis olim privilegiis revocatis, omnes excedere finibus ſuis juſſit, aut Romanis Sacris ſociari. Quo autem detegerentur, qui larva aſſumpta remanſerant, provide ordinavit, invigilaretur, an omnes temporibus ſuis Romanæ Eccleſiæ legibus ſatisfaciant. Permittatur nunc ſecta, quod abſit, Queſnelliana, accurrent Calviniſtæ ad pſalmodiam, eã enim depereunt; ſed a Miſſarum auditione, communione, & reconciliatione ſe continebunt; prætextu, quod ſint peccatores, neque ſufficienter ſeſe per opera pœnitentialia ad reconciliationem diſ-

po-

poſuerint. Ecce vivent quieti Calviniſtæ & abſque timore ullo ne uſquam agnoſcantur. Atque hinc forte tam multi Queſnelliſtæ: quia occulti Calviniſtæ ſe eis ſociare facile poſſunt. Saltē commodius pallium, quo ſe occultent, non reperient.

XVI. Gradus converſionis, ſecundum Queſnellum. Sic habet Luc. 15. a v. 17. *Gradus varii converſionis peccatorum. 1. Miſeriam ſuam agnoſcit. 2. Decernit peccatum peccatique occaſionem deſerere ... Nunquam ea nimium cito deſeruntur; tametſi motivo amoris proprii...... cætera omnia in ſequentibus mandat gratiæ 3. Verſus Deum ſe convertit .... ad ipſum regredi velle incipit ... nec ad momentum differendum reditum putat* (vult dicere; *nec poteſt differre*, juxta dicta cap. 5.) 4. *Confitetur peccatum, & a voce amoris plena confeſſio ſumit exordium. Pater, quia veræ pœnitentiæ fundamentum amor Dei eſt ... 5. Humiliat ſe ... Amor Dei & ſpiritus adoptionis jus tribuunt Deum Patris nomine compellandi. 6. Seſe ſubjicit pœnitentiæ ... Optima pœnitentia eſt, velle toto vitæ decurſu præferre habitum humiliationis. 7. E ceno ſuo ad reconciliationis gratiam cavet accedere, niſi diſpoſitionibus jam ſupradictis fuerit præmunitus. 8. Prævenit pœnitentem Deus in ſingulo paſſu, 9. Confitetur peccatum ſuum, & ingratitudinis ſuæ portat confuſionem. 10. Deus* pœnitentem *habet ut filium. 11.* Induit eum *juſtitia, meritis, virtutibus J. C. 12. Communit fœdus hoc novum per vivam ſui ſpiritus impreſſionem. 13. Dat ei gratias... quibus in via mandatorum .. ambulet. 14.* Eſt prop. §. 2. diſcuſſa. 15. *Paſcitur carne J. C., quod ex parte Eccleſiæ nota eſt reconciliationis. 16. Exinde vitam ducit hominis reſuſcitati. 17. Se prodit Eccleſiæ gaudium. 18. Confert Deus gratias, quæ natæ ſunt movere æmulationem juſtis.*

CAP.

CAP. XV.

De poteſtate diſpenſandi in legibus, & excommunicandi.

§. I.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem. Eſt. 71. Queſnell. Mar. 2. v. 28.

1. IN damnatarum propoſitionum examine, benigniore cenſura proceſſum eſſe, Auctor vitæ Clementis XI. teſtatur. Hoc exemplum, ut alias ſecutus ſum, hîc quoque imitari intendo: quapropter gratis concedo *Theol. Supplici*, Paſchaſium, non de Lege naturali, ſed poſitiva tantummodo agere. Gratis, inquam, hoc concedo: nam in rigore, propoſitio hæc generaliter loquens de lege, *quam Deus condidit*, tam naturalem quam poſitivam Dei legem, videri ac dici poſſet comprehendere: quas inter, hæc diverſitas eſt, quod poſitivam Deus præſcripſerit arbitraria ſua voluntate; naturalis vero, juxta regulas ſapientiæ ipſius & æquitatis poni debuerit. Sed gratis dato, quod non agatur de lege natura- Lib. 4. n. 36.

tura-

turali; de qua ſi ageretur, horribiliſſima ſequerentur conſectaria; negari non poteſt, quin ſub lege divina poſitiva, tamquam ſub majori minus, leges poſitivas, tam eccleſiaſticas, quam civiles comprehenderit damnatus auctor. Hoc ſi mihi, præter omnem expectationem, negaretur, recurrerem ad Regulam meam octavam pag. 44. aſſignatam: ad praxim, inquam, Queſnelli: qui ſecum ipſo ſæpius diſpenſavit in legibus poſitivis, integro quadriennio nullam frequentans eccleſiam, vide pag. 53., ſacellum privatum erigendo, ibidem quoties voluit celebrando; licet foret declaratus incidiſſe in majorem excommunicationem. Vide pag. 65.

II. Itaque juxta hanc Paſchaſianam, non eſt ultra ad ſuperiores recurrendum pro diſpenſatione, ſed quilibet ſe a lege quacumque poſitiva, divina ſit vel humana, nihil refert, diſpenſare poteſt. Deinde, cum nemo in ſe ipſum, aut ſuperiorem, aut æqualem, habeat juriſdictionem, diſpenſatio, qua quiſque ſe eximit a communi lege, non erit actus juriſdictionis: ſicque diſpenſatio non differet ab interpretatione & epi-ikia; quod eſt doctrinæ communiter receptæ a Theologis adverſum: quippe hi tria hæc ita inter ſe diſcernunt, ut tertium requirat juriſdictionem; cætera minime. Adde, quod juxta communem Theologorum doctrinam, leges ferantur ob bonum commune, non particulare hujus vel illius: unde fieri poteſt, quod aliquis teneatur etiam cum propriæ vitæ periculo, ſervare legem poſitivam humanam: at Queſnellus hîc docet, ad conſervationem ſui ipſius, quemlibet attendere debere: ſi obſervatio legis non conducat ad hunc finem, poterit ſe diſpen-

pen-

penſare, ſeu eximere a Legis impletione. Hoc eſt dicere, ſi candide loqui volumus, leges non obligant; ſed ſolum præceptum, quo tenetur quiſque ſtudere ſui ipſius conſervationi: id eſt, charitas unumquemque obligat, ad ſe conſervandum: unde ſi leges quidpiam præſcribant, huic fini conveniens, obſervetur: ſi ſecus, prætermittatur. Nonne hoc eſt non ſolum omnem Theologiam, ſed hierarchiam eccleſiaſticam, ſed ſubordinationem omnem ſus deque vertere: Lutheri errores reſuſcitare: Eraſmi cantilenas repetere?

III. Docuit Lutherus in cap. 2. ad Gal. *Lex mortua eſt, non amplius cogit: licet tamen charitate legem operari*: idem in ſubſtantia docet Paſchaſius. Scripſerat Eraſmus in epiſtola præpoſita Paraphraſi primæ ad Cor.: *Mihi purioris chriſtianiſmi videtur, magiſque conſentaneum evangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ, ſi nullum certum cibi genus præſcribatur; ſed admoneantur omnes, ut quiſque pro corporis habitu veſcatur, quæ magis conducunt bonæ valetudini: non ad luxum, ſed ad ſobrietatem, cum gratiarum actione, ac ſtudio bonæ mentis*. Hæc doctrina immenſum diſtat, ut conſideranti patet, a Queſnelli temeritate: nihilo tamen minus Sac. Facultas Theologica Pariſien. hunc Eraſmi articulum ſequenti cenſura perſtrinxit. *Hæc propoſitio, ſignificans magis conforme eſſe evangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ, omne ciborum diſcrimen a chriſtianis auferri, ut quiſque pro ſuo arbitrio iis veſcatur, quæ exiſtimat conducere ſuæ valetudini; modo ſobrie id faciat, & cum gratiarum actione, ex erroneo Scripturæ intellectu aſſerta, eccleſiaſticæ eſt diſciplinæ enervativa, & evangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ, quæ jubet ſuperioribus obedientiam præſtari,* Tom. 5. fol. 223.

 ad-

adverſatur : Eccleſiæ catholicæ, quæ hujuſmodi eſcarum delectum fidelibus obſervandum religioſe & prudenter conſtituit, contumeliam irrogat : non tolerandam denique arrogantiam eam aſſerentis indicat ; qui ſuam unius ſententiam totius Eccleſiæ judicio præferre non erubeſcit. Quantum hæc omnia potiori jure de Queſnelliana illa propoſitione dici poſſint, non eſt neceſſe me dicere ; quando id palam eſt omnibus.

IV. Interea *Theol. Suppl. Difficile captu eſt*, inquit pag. 99., *quid in ea propoſitione cenſura notatum ſit*. Credideram ab initio virum illum, qui ſe pro publico Theologiæ profeſſore, gradibus Academicis exornato venditat, atque hinc inde quædam ingenii & eruditionis ſpecimina dat, Theologum omnibus numeris abſolutum eſſe : unde eum aliquoties, ab eloquentia, eruditione : imitatus Hieronymum & Auguſtinum, qui idem aliquando erga Origenem & Pelagium practicarunt, laudavi : aſt hic ejus diſcurſus cogit me opinionem mutare. An nihil tibi eſt Eccleſiaſticam diſciplinam, civilem enervare ſubordinationem ? Nihil evangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ, quæ jubet ſuperioribus obedientiam præſtare, adverſari ? Nihil, Eccleſiæ catholicæ, quæ ſubditos pro diſpenſatione ad ſuperiores accedere jubet, contumeliam irrogare ? Nihilne tibi eſt, arroganter propriam ſententiam, totius Eccleſiæ judicio præferre ? Nihil, omnem Theologiam, in legum materia ſus deque vertere ? At hæc omnia facit Queſnelliana theſis 71. dum cuilibet homini, ſe diſpenſandi a Lege, etiam divina, facultatem prodigaliter impertit. Neque exiſtimandum eſt, verbum *diſpenſare* inadvertenter imprudenterve Queſnello in hac

Pag. 5. & 6.

hac propoſitione *exaranda* excidiſſe ; aut materialiter & improprie ſumendum eſſe : cùm, quod in prop. 81. eodem verbo utatur, *ſcribens* : *Obſcuritas Sancta Verbi Dei, non eſt Laicis ratio DISPENSANDI SE IPSOS ab ejus lectione* : tum, quod ejus geſta, quæ eloquentiſſimi & efficaciſſimi (nam *linguâ validior eſt manus*) locum tenent interpretis, de proprie dicta diſpenſatione, in caſibus n. 1. poſitis, illum hanc vocem intellexiſſe, non ſinunt dubitare.

V. Sed age, videamus, quæ motiva habuerit *Theol. Supplicis* Auctor dicendi, difficile captu eſſe, quid in ea propoſitione cenſura notatum ſit: inde manifeſtius evadet *quid geſtet in cornu*. Ait ergo: *Ab iſta vero*, poſitiva lege, *etiamſi divina ſit, poſſe ſe aliquando hominem DISPENSARE, ſanctiſſimorum virorum patet exemplis, ab ipſo Chriſto Domino comprobatis, ejuſque diſerta ſententia confirmatis*. Magnus plane hiatus! videamus quid proferat. *David enim*, proſequitur, *Rex Sanctiſſimus, dum fame premeretur, panes propoſitionis manducavit, ſuiſque dedit manducandos, quos per legem divinam non licebat niſi Sacerdotibus manducare* : *Lib.* 1. *Reg. cap.* 21. An hîc David ipſe ſecum, & cum ſuis, an potius Achimelech, prudenter præmittens, *Si mundi ſunt pueri, maxime a mulieribus?* cum ipſis diſpenſavit, aut legem divinam interpretatus eſt? Pergit *Theol. Suppl. Et Apoſtoli fame preſſi ſpicas ſabbatho evulſerunt, & confricarunt, quod divina Sabbathi lege vetabatur*. Numquid Apoſtoli ſecum ipſi diſpenſabant, & non potius ille ipſos diſpenſabat, qui phariſæis calumniantibus dicebat: *Itaque dominus eſt filius hominis, etiam Sabbathi*?

Pag. 97. in fine.

 VI.

VI. Quæ cum ita ſint, difficile captu eſt, quomodo non ſolum Queſnellus, ſed etiam hic Theologus, ea exempla inducere potuerit, ad probandum, quemlibet hominem poſſe ſe diſpenſare a legibus omnibus poſitivis, etiam divinis, cum illis in exemplis manifeſtum ſit, ipſum legislatorem diſpenſaſſe, vel ejus vices gerentem legem ſuperioris interpretatum fuiſſe. Unde ineptiſſime Queſnellus propoſitionem illam appoſuit illo loco, ubi manifeſtum erat, præter legem divinam actum non fuiſſe, niſi accedente legitimi ſuperioris diſpenſatione, ſaltem interpretativa. Reliqua quæ habet idem Auctor pag.99. æque lacrymabilia ſunt. Auctor, ait, eam propoſitionem *debitis circumſcriptionibus temperavit; ut non de naturali lege, ſed poſitiva; deque ſolo conſervandæ vitæ caſu ſe loqui ſignificaret*. Quod legem naturalem adtinet, id prævenimus num. 1. Secundum vero, quod ſufficienter explicaverit Queſnellus, ſe *de ſolo conſervandæ vitæ caſu* loquutum fuiſſe (licet dicere poſſem, propoſitionem Queſnelli nihil habere quod impediat ne addatur, *ſui* honoris, *ſui* gradus, *ſui* loci, *ſui* foci, *ſui* domicilii &c.) tranſeat hoc, volo enim liberaliter agere in finem uſque. Hocne ſufficit, ut difficile ſit videre, quid in ea propoſitione damnatum ſit? An pro conſervatione vitæ licitum eſt ſe diſpenſare in communi gravi &c. neceſſitate?

VII. Forte Queſnellus propoſitionem ita attemperavit, ut de extrema neceſſitate tantum ſe loqui, ſignificet? Id dicere aperte non fuit auſus Theologus ille: haud dubie, quia vidit contrarium eſſe verum. Nimirum agitur in prop. damnata de diſpenſatione, quæ locum non habet, quan-

quando clarum eſt legem non obligare ; uti eſt in extrema neceſſitate ; pro qua ſufficit interpretatio vel Epi-ikia . Deinde Queſnellus ipſe , praxi ſua, quæ efficaciſſima doctrinæ interpres eſt , & eloquentiſſima , ſatis ſuperque declaravit, non requiri neceſſitatem extremam vitæ conſervandæ , ut particularis quilibet ſe valeat diſpenſare a legibus poſitivis . Enimvero, dum ipſe quadriennio integro pedem ædicula non extulit Bruxellis latitans , ſicque nec Sabbathum Chriſtianorum, juxta determinationem Eccleſiæ ſanctificavit , nec Paſcha celebravit : dum ſub veſte Laica Sacerdotem occultabat : dum ſacellum privatum erigebat ſua auctoritate : dum excommunicatus celebrabat quoties lubebat : dum Abbati ſuo Arnaldo Sacramenta miniſtrabat, non erat in extremo vitæ periculo , imo ne in communi quidem periculo *vitæ* . Nec hoc ipſum latebat : ſic quippe ſcribit comes individuus Queſnelli Arnaldus : *In deliberatione capienda de noſtro reditu* , Bruxellas , *expediens erit conſiderare , quid exinde rationabiliter timendum ſit , ſi forte adverſa detegamur , CARCERNE nobis impendat , an TANTUMMODO iteratum præceptum abeundi ? Si hoc ultimum nullatenus dubitarem , quin redeundum foret . Parum autem veriſimilitudinis apparet futurum carcerem : quo enim hoc tenderet ?* Eodem tamen tempore , quo de periculo vitæ ne ipſi quidem Arnaldus & Queſnellus ſomniabant , in omnibus illis legibus, ſe ipſi diſpenſarunt : fatente poſteriore in quadam epiſtola : *Cum poſt ſex menſes* , ab accepto mandato cedendi Belgio Hiſpanico , *redierimus , verum eſt ſpatio quatuor annorum , quo D. Arnaldus inter vivos remanſit ; neque ipſum ,*

Vid.pag. 44.n.12.

Die 20. Aprilis 1690.

neque me fuiſſe unquam egreſſos ex noſtro anguſtiſſimo hoſpitio : me quoque ſucceſſive perſtitiſſe , in hujuſmodi fere latebra ſervanda . Hæc quocumque commentario efficacius perſuadent , agnoviſſe Queſnellum in ſe , ac in aliis poteſtatem diſpenſandi ſe ipſum a legibus poſitivis , dum agitur de exilio , aut carcere ; nedum vita ; multo minus de extremo vitæ periculo : & quidem ut impune peccari poſſit , & minus probabiliter illa imminent.

§. II.

Propoſitio Queſnelliana , cenſurâ notata .

Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet , ut eam exerceat per primos paſtores , de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis. Eſt 90. Queſnel. Matt. 18. v. 17.

VIII. Hæreſis comes eſt negatio , aut certe contemptus poteſtatis Eccleſiaſticæ . Cum omnibus ſit notum Romanos Pontifices ex Apoſtolatûs ſpecula circumquaque proſpicere , ut inſurgentes ubicumque errores ſtatim proterant : quicumque novum aliquid contra fidem molitur , ſciens & advertens , ſupremam hanc auctoritatem in Eccleſia Dei ; aut minuat aut contemnat , proclive eſt . Hoc pacto putant ſe parare aggerem contra ictum fulminis . Sciens itaque Queſnellus doctrinam ſuam Romanorum Pontificum Decretis e diametro adverſari , omittere non potuit , ut

ut eorumdem auctoritatem ſimul & Epiſcoporum aut negaret, aut inutilem redderet. Idipſum aggreditur hac propoſitione de Cenſuris. Verbis concedit, reipsâ negat Pontificum & Epiſcoporum coactivam poteſtatem; vel certe inutilem reddit: ac ſimul in varios alios errores, hac unâ propoſitione labitur.

IX. *Eccleſia*, inquit, *habet auctoritatem excommunicandi, ut eam exerceat per primos paſtores.* Quo hæc prima propoſitionis pars collineet, colligi poterit, ſi attendatur novorum quorumdam Scriptorum ſyſtema, olim propoſitum ſub hac forma a damnato Dupinio: *Quodnam ſit ſubjectum immediatum Poteſtatis Eccleſiaſticæ? Senſus eſt, an poteſtas clavium ſit immediate conceſſa poteſtati Eccleſiæ, ut per ejus miniſtros, ac per Summum Pontificem exerceatur: an vero Summo Pontifici, aut etiam Epiſcopis ſit immediate collata. Nam ſi clavium poteſtas eſt penes ſolum Pontificem Romanum, haud dubium eſt, quin ſuper univerſam Eccleſiam poteſtatem habeat: cum aliam poteſtatem, hac in hypotheſi, non habeat Eccleſia, & prælati, quam quæ illis ab ipſo communicatur. Secus vero, ſi univerſa Eccleſia ſupremam habet poteſtatem; quæ ab ea in miniſtros ejus, ſummumque Pontificem derivatur.* Præceſſerat Dupinium Launojus. *In quibuſdam locis*, ait, *Eccleſiaſticæ poteſtatis ſubjectum proximum deſignat, cum claves Eccleſiæ datas fuiſſe dicit: & in aliis poteſtatis ejuſdem ſubjectum remotum ſignificat; cum claves & Petro & cæteris Apoſtolis datas fuiſſe ſcribit.* Similia Edmundus Richerius, & Marcus Antonius de Dominis habent. Quibus cognitis non omnino imprudenter de Queſnelli, horum damnatorum Auctorum pla-

De antiqua Eccleſ. Diſcipl. Diſſert. 6. §. 1.

Epiſt. ad Hadrian. Vallant. par. 2.

giarii perpetui, aſſertis judicium proferre poſſumus: eo fere modo, quo S. Auguſtinus ex doctrina Cæleſtii, ſenſum perverſum colligebat Pelagii. Vide pag.44 Reg.7.

De Grat. Chr.c.33

X. Juxta hanc novam novorum hominum doctrinam, dum dicitur, *Eccleſia auctoritatem excommunicandi habere, ut eam exerceat per primos paſtores*, ſenſus eſt, ſubjectum immediatum poteſtatis illius eſſe Eccleſiam: mediatum, primos paſtores, id eſt, Papam & Epiſcopos: id eſt, hos ab Eccleſia ſuam habere poteſtatem, non immediate a Chriſto. Igitur primus Paſtor, id eſt, Papa, eſt immediatus miniſter & Vicarius Eccleſiæ, non Chriſti. Hoc autem a Conſtantienſi Synodo in Wicleffo damnatum reperimus; cujus trigeſimus ſeptimus articulus erat: *Nec Papa eſt proximus & immediatus Vicarius Chriſti*: & in Florentino definitum eſt, Romanum Pontificem *paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto*, non ab Eccleſia, accepiſſe *plenam poteſtatem*, uti mox dicemus.

XI. Secundo aſſerit prop. Eccleſiam accepiſſe hanc poteſtatem, *ut eam exerceat* per primos Paſtores, ac ſi Hierarchia Eccleſiaſtica, Paſtorum diverſitas & ſubordinatio, eorumque poteſtas ab Eccleſia foret introducta. Atqui fides catholica docet. Primum Paſtorem, Romanum Pontificem a Domino Jeſu Chriſto ſuam accepiſſe poteſtatem, eſſeque, jure Divino, Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ Caput &c. „ Definimus Sanctam „ Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem „ in Univerſum Orbem tenere Primatum, & ipſum Pontif. Roman. Succeſſorem eſſe B. Petri, „ Principis Apoſtolor. & VERUM CHRISTI

V-

„ VICARIUM, totiuſque Eccleſiæ caput, & „ omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem „ exiſtere, & ipſi in B.Petro, paſcendi, regendi, „ & gubernandi Univerſalem Eccleſiã A DOMI- „ NO NOSTRO JESU CHRISTO plenariã „ poteſtatem traditam eſſe: quemadmodum etiam „ in geſtis OEcumenicorũ Conciliorum, & in Sa- „ cris Canonibus continetur: „ Verba ſunt Univerſalis Synodi Florentinæ, doctrinæ illi Queſnellianæ e diametro oppoſita. Eadem doctrina damnata fuit a celeberrima Academia Pariſienſi, in Marco Antonio de Dominis. Docuerat hic, quod *doctrina in articulis Joannis Huzs contenta, nimirum, in Eccleſia non dari UNUM caput Supremum, & Monarcham præter Chriſtum, ſed ſuam Eccleſiam per MULTOS MINISTROS, ſine ullo Monarcha mortali regere perfectè, & gubernare, eſt doctrina chriſtiana a Sanctis Patribus egregie explicata & confirmata*: cui articulo Academia Pariſienſis hanc appoſuit cenſuram: *Hæc propoſitio eſt hæretica quoad ſingulas partes*. De hac vero doctrina jam ſuſpectus, ne dicam convictus erat Queſnellus, priuſquam *Reflexiones Morales* ederet, ut videri poteſt in Chriſtiani Lupi verbis *cap. 2. §. 2. num. 17.* relatis.

In Decreto unionis Latinorum & Græcorum.

Pag. 50.

XII Deinde, requirit hæc Queſnelliana, ad exercitium poteſtatis excommunicandi conſenſum totius Eccleſiæ: *De conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis*. Exigens conſenſum *ſaltem præſumptum*, ordinarie conſenſum expreſſum requirit; ubi vero talis conſenſus præſumi non poſſit, puta, dum expreſsè reclamatur, invalidum eſſe poteſtatis uſum ſignificat. Notandum quoque requiri hic conſenſum, non ſolius Epiſcopatûs

aut Cleri, ſed totius *corporis Eccleſiæ*: ad quod pertinent etiam laici, feminæ, imo ipſi per excommunicationem præcidendi. Illi omnes igitur conſenſum præſtare debebunt, alias Eccleſiæ poteſtate Paſtores abutentur: nulliuſque, quidquid egerint, erit valoris. Hoc, præterquam ſit inutilem reddere poteſtatem excommunicandi (facile enim aliquos clericos aut laicos, facilius aliquas mulieres, & longe facillimum erit invenire ipſos excommunicandos, cenſuræ ferendæ ſeſe opponere) præter hoc, inquam, repugnat hæc doctrina praxi univerſalis Eccleſiæ, quæ ab ipſis Eccleſiæ exordiis in uſu fuit.

XIII. Paulus excommunicavit inceſtuoſum Corinthium, non requiſito nec præſumpto eorum conſenſu; *præcepit* enim, ut a ſe prius excommunicatum, publice in Eccleſia uti talem denunciarent, ita Auguſt. *Non tamen ab eo fraternam ſeparat charitatem, quem de fraterna congregatione PRÆCIPIT ſeparari*. Atque hoc inſinuat Apoſtolus ipſe: *Ideo enim & ſcripſi*, inquit, *ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus OBEDIENTES ſitis*. Rurſus Auguſt. *loc. cit. Sed quam facile de gradu Clericorum quiſque ab Epiſcopo, vel de numero pauperum, quos paſcit Eccleſia, vel de ipſa congregatione Laicorum, vel ab Epiſcopo, ſive a Clero, vel quocumque præpoſito, cui eſt poteſtas, eximitur; ita ut cum ejuſmodi a cæteris, quibus PRÆCIPI poteſt, nec cibus ſumatur, tam facile &c.* An S. Victor Papa conſenſum totius Eccleſiæ habuit, ut Polycratem Epheſiorum Exarcham & omnem Aſiaticam Diœceſim ob contumaciam circa Paſchalem feſtivitatem excommunicaret? An forte S. Ambroſius dum

Contra Epiſt. Parmeniani lib. 3.

2. Cor. 2. v. 9.

Cap. 2. num. 16.

Theo-

Theodoſium imperatorem ingreſſu Eccleſiæ prohibuit, conſenſum vel tacitum totius Eccleſiaſtici corporis habuit; etiam imperatoris, eiuſque curialium & amicorum?

XIV. Concludamus ergo §. Verbis Auguſtini contra Creſconium Donatiſtam: *Proinde quamvis hujus rei certè* (alias *certum*) *de Scripturis non proferatur* (proferretur) *exemplum; earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus* (dicimus) *quod Univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam Sancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit, hujus obſcuritate quæſtionis, eamdem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonſtrat*. Hæc, uti arbitror, ſufficienter oſtendunt ex triplici capite propoſitionem hanc merito fuiſſe proſcriptam. Supereſt ut breviter ea refellantur, quæ *Theologia Suppl.* in ejuſdem defenſionem aſſertionis adduxit. Lib. 1. cap. 33. num. 39.

XV. Pag. 100. varios diſtinguit ſenſus, quos intendere potuit Queſnellus. 1. *Quod Eccleſia a Chriſto Domino excommunicandi auctoritatem acceperit ſola, in unius Petri perſona; quaſi eam a Chriſto, in cęterorum Apoſtolorum perſona, primi Paſtores, hoc eſt Epiſcopi non acceperint*. 2. *Quod Eccleſia hujuſmodi auctoritatem acceperit a Chriſto, quatenus eam in primis paſtoribus ſuis accipit: cum primi paſtores, hoc eſt Epiſcopi, Eccleſiam univerſalem repræſentent*. Ego vero obteſtor prudentem Lectorem, ut judicet, an vel per umbram propoſitio Queſnelli alterutrum horum, in naturali & obvio ſenſu habere valeat: an non potius ſignificet Eccleſiam immediate auctoritatem excommuni-

municandi habere, & eâ mediante ſupremos Ecclesiæ paſtores; per quos eam exequendam accepiſſe Queſnelliana affirmat? Sed ſic torquenda erat propoſitio, ut, ſi fieri poſſet, eſſet laqueus capiendis incautis. Si enim diceretur Queſnellianam in primo ſenſu damnatam; inferret damnatam communiorem illam Theologorum Sententiam, aſſerentium Romanos Pontifices in Petro accepiſſe plenitudinem poteſtatis, transfundendam in omnes Eccleſiæ Epiſcopos. Si vero in ſecundo ſenſu damnata reſponderetur, inde invidia conflari potuiſſet Conſtitutioni *Unigenitus*, dicendo, damnari eam quorumdam Sententiam aſſerentem, Epiſcopos immediate a Chriſto habere auctoritatem ſuam. Sed, ut dixi, neuter illorum eſt obvius & naturalis hujus propoſitionis ſeuſus. *Eccleſia*, inquit, *auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores*. Ubi manifeſte diſtinguit inter habentem illam auctoritatem, & eam exercentem: veluti ſi quis diceret, Reſpublica jus gladii habet exercendum per magiſtratum, aut per tortorem. Quo modo loquendi ſignificatur, jus illud immediate competere Reipublicæ, & ea mediante Magiſtratui, aut tortori. Idem ergo erit in caſu Theſis Queſnellianæ. Quod quam injurioſum ſit Epiſcopis; præſertim vero Summo Pontifici; cui a Deo in Beato Petro collatam eſſe poteſtatem paſcendi, regendi, gubernandi univerſalem Eccleſiam, de fide eſt; nemo non videt.

XVI. Hinc facultas Pariſienſis in cenſura an. 1683. de Romano Pontifice ſtatuit, quod *IMMEDIATE a Chriſto non honoris ſolum, aut dignitatis, ſed & poteſtatis ac juriſdictionis primatum*

tum habeat in tota Eccleſia. Idem, nimirum, poteſtatem & juriſdictionem ſuam Romanos Pontifices habere immediatè a Chriſto, ſubtiliter docuit Auguſtinus, *Sermone olim* 108. *de diverſis* (non 188. ut citat *Theol. Suppl.*) his verbis: *Has enim claves non homo unus, ſed UNITAS accepit Eccleſiæ*. Enim vero, quid eſt UNITAS Eccleſiæ? Haud dubie id, quo Eccleſia una conſtituitur; cum unumquodque ſit unum ab ſua unitate. Si ulterius perquiſitio fiat, a quo Eccleſia habeat quod ſit una? Reſpondent omnes Catholici, ab uno capite inviſibili & viſibili. Ergo Chriſtum contuliſſe *claves* unitati Eccleſiæ, eſt contuliſſe capiti ejus viſibili, id eſt Petro: non quidem ut erat *homo unus*; ſed ut capiti Eccleſiæ, ſive principio & *centro* Eccleſiaſticæ unitatis; imo ut UNITATI viſibili Eccleſiæ, ex qua derivatur & cognoſcitur Eccleſiæ unitas Petro, non in ſui ipſius, ſed Eccleſiæ utilitatem: non pro tempore vitæ Petri, ſed perennantis in finem ſæculorum Eccleſiæ: non pro ſe, ſed pro omnibus ei, in munere capitis Eccleſiæ ſucceſſuris. Doctrinam hanc ex Cypriano (quem magni ſemper fecit Auguſtinus, ut conſtat ex *lib. de Dono perſever. a cap.* 2.) deſumptam, his verbis Cyprianus expreſſit: *Nam Petro primùm Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam, & unde UNITATIS ORIGINEM INSTITUIT ET OSTENDIT, poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in Cælis, quod ille ſolviſſet in terris*. Ecce Petrus unitatis *origo* & *indicium*. Itaque unitati Eccleſiæ datas eſſe claves, eſt datas fuiſſe immediate Petro, non ut erat *unus homo* ſingularis, ſed ut erat caput & centrum unitatis Eccleſiæ, eiuſque fons & origo, juxta Cy-

Modo 195. nu. 2.

De Bapt. tiſ. ad Jubajanum.

Cyprianum & Auguſtinum.

XVII. Sed, inquiunt, ait Auguſtinus ſæpiſſime, Petrum dum claves accepit, geſſiſſe perſonam Eccleſiæ: ergo ipſe non accepit claves, ſed Eccleſia. Sicut, v.g. D. Du-Theil agens Galliæ, pacem conciliavit cum Sereniſſimo Imperatore, retulitque ceſſionem Ducatuum Lotharingiæ & Baar; non tamen dicimus ipſum Du-Theil acquiſiviſſe duplicem illum Ducatum, ſed Galliæ Regnum: ergo a paritate rationis &c. Ante Reſponſionem peto, an non recte dicatur: imperium injit pacem cum Gallia anno 1736.? & rurſum: Imperator Carolus VI. injit pacem cum Ludovico XV., eique ceſſit Ducatus Lotharingiæ & Barii? & rurſus: Rex Galliæ Ludovicus XV., acquiſivit duplicem ducatum? denique: Gallia per ultimam pacem, duplicem acquiſivit ducatum? Concedent, puto. Dico ergo ſimiliter, quod licet Petrus dum claves accepit, repræſentaverit perſonam Eccleſiæ, hoc non obſtante & Petrum & Eccleſiam accepiſſe claves; illum immediatè, hanc mediatè: ſicut Ludovicus XV. immediate acquiſivit illos Ducatus, & ipſo mediante Gallia. Vnde inquirenda ratio eſt, cum vere Ludovicus XV. dicatur acquiſiviſſe & non D. DuTheil, licet uterque regnum Galliæ repræſentaret? Alia ratio aſſignari non poteſt, niſi, quod primus ut Princeps & Rex, alter vero ut miniſter, Galliam repræſentaverit. Sic autem ſe res habet in noſtro caſu. Petrus repræſentabat perſonam Eccleſiæ dum claves accepit: at non ut miniſter, ſed ut Princeps & Caput, idque iuxta eundem Auguſtinum in pſal. 108. „ Sicut quædam dicuntur quæ „ ad Apoſtolum Petrum pertinere videntur, neque

„ que tamen habent illuſtrem intellectum ; niſi „ cum referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſſiſſe perſonam, PROPTER „ PRIMATUM QUEM IN DISCIPULIS „ HABUIT, ſicut eſt : *Tibi dabo claves regni* „ *cælorum* : ita judas perſonam ſuſtinet inimico- „ rum Chriſti &c. „ Confirmatur : Quæ de Juda dicuntur ut ſuſtinente perſonam inimicorum Chriſti, ita de his intelliguntur, ut tamen verè etiam ipſi Judæ immediate conveniant : Ergo quæ Petro ut gerente perſonam Eccleſiæ data ſunt, ita data Eccleſiæ intelligi debent, ut etiam Petro immediate & vere data ſint. Nam juxta Auguſtinum, uti Petrus Eccleſiæ, ita Judas inimicorum Chriſti perſonam geſſit. Ratio utrobique eadem eſt: quia ſcilicet ſenſus myſticus Scripturæ, qualis allegoricus, non excludit ſenſum litteralem, ſed ſupponit. Videatur noſter Eminentiſs. Cajetanus *de Prmatu Rom. Eccle. cap.*3. & Natal. Alexander. *Diſſ.*4. *ſec.*1.

XVIII. De ſecunda propoſitionis parte, ait *Theol. Suppl.* eam duplicem etiam poſſe ſenſum habere. 1. *Quod arbitrarius fidelium conſenſus, ad excommunicationis validitatem ſit neceſſarius.* 2. *juxta mentem & intentionem Eccleſia, qua una cum Epiſcopis Spiritu juncta judicare præſumitur, dum ferendarum cenſurarum Canones ab Eccleſia conditi, ab Epiſcopis obſervantur* : id eſt, quod debeat ferri excommunicatio, juxta canones. Sed hic ſecundus ſenſus, cum non ſit naturalis & obvius, fruſtra inducitur. Cumque primus, qui omnium oculis & menti ſtatim occurrit, talis ſit, fatente auctore illo, *quo nihil abſurdius fingi poteſt*, non neceſſe eſt quidpiam addere. Pag.102.

§. III.

§. III.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Excommunicationis injuſtæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea excludi; quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus. Eſt 91. Queſnell. Joan. 9. v. 22. & 23.

XIX. Aliud eſſe, ſententiam excommunicationis fore injuſtam, aliud invalidam: item omnem Sententiam invalidam eſſe injuſtam, ſed non e converſo, omnibus Theologis notum eſt. Et quidem S. Antoninus noſter, tribus modis, ait, injuſtam eſſe poſſe & dici, ex cauſa, ex animo, ex ordine: Et §. *Sequente* Sententiam excommunicationis ipſo jure nullam eſse novem in caſibus, qui ibidem videri poſſunt. Quod Sententiæ injuſtæ & ſimul invalidæ, puta, quia continet intolerabilem & manifeſtum errorem, non teneamur ſtare: quin etiam peccari poſse, ei ſtando, communis eſt Theologorum ſententia. Fieri quoque poſse, ut injuſta ſit & nihilominus obligatoria; puta, ſi ex pravo Judicis animo injuſta ſit, nullus dubitat. Quo fit, ut quemadmodum temerarium eſſet generatim & abſolute dicere,

Part. 3. tit. 24. cap. 73.

ex-

excommunicationem injuſtam ſemper nos debere impedire ab implendo debito noſtro: ita conqueri non poſſet ſe cenſurâ eâdem vel alia notatum, qui abſolutè & generatim docuiſſet, Excommunicationis injuſtæ metum, nunquam debere nos impedire ab implendo debito noſtro. At hic eſt Queſnelli caſus in præſenti Theſi; unde aliquam ex recenſitis in Bulla *Unigenitus* cenſuram meretur.

XX. Hinc fatetur *Theologia Supplex*: Quod ſi *Prima prop. pars de excommunicatione injuſta, cujus tamen aut occulta, aut dubia tantum nullitas ſit, intelligatur; uti etiam ſi de debito tantum juris poſitivi accipiatur: citra dubium falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, Eccleſiaſticam diſciplinam evertens: Qui enim excommunicatur injuſte, ita tamen ut occulta omnino ſit excommunicationis nullitas, pro excommunicato ſe gerere debet; teneturque a muneribus & officiis juris dumtaxat eccleſiaſtici abſtinere: E. G. Sacerdos a celebratione Miſſarum. Verum ſi de excommunicatione evidenter & notorie nulla &c.* Pag. 105. Hæc Auctor ille. Quibus verbis Queſnellum ipſe damnat: quippe qui nihil diſtinxerit, ſed generaliter affirmaverit, excommunicationis injuſtæ metum, nihili eſſe faciendûm. Imo ſi penitius inſpicimus Queſnellianam doctrinam ſimul & praxim, apparebit evidenter eum id ipſum voluiſſe hac propoſitione docere, quod *Theol. ſuppl.* falſum, temerarium, ſcandaloſum & Eccleſiaſticæ diſciplinæ everſivum fatetur. Conſtat ſiquidem Queſnellum ſub veſte laica dudum Bruxellis latuiſſe; ibidem Oratorium domeſticum erexiſſe Vid. c. 2. *propria auctoritate*, *pro libitu in eo ſacrum dixiſſe*; §. 2. Antonio Arnaldo in extremis exeuntium Sacramen-

menta miniſtraſſe, poſtquam per ſententiam Archiepiſcopi Mechlinienſis denunciatus fuerat excommunicatus. Hæc autem omnia facere nequivit Queſnellus, niſi ſub prætextu injuſtitiæ omnium cenſurarum, quæ contra Janſeniſtas, & in ipſum ſpecialiter latæ & denunciatæ fuerant. At hæ cenſuræ, dato & minime conceſſo quod forent injuſtæ, non tamen ita injuſtæ ſunt, ut manifeſtè ſint invalidæ. Nam Eccleſia univerſa eas uti juſtiſſimas & validiſſimas recipit & veneratur. Jungendo ergo praxim Queſnelli doctrinæ ejus, juxta regulam 8. *pag*.44. aſſignatam, habebimus ſenſum damnatæ Theſis eſſe, Excommunicationis metum, dummodo aliquis ſibi perſuadere poſſit eam eſſe injuſtam qualitercumque, non debere nos impedire a debito noſtro implendo. Debito, inquam, ſolius etiam juris poſitivi, cujuſmodi eſt *Sacerdotum celebrare Miſſam*, ut ſatisfiat præcepto audiendi Miſſam Dominicis.

XXI. Adde ex præcedenti §. juxta Queſnellum, eam excommunicationem injuſtam eſſe, quæ fulminatur ſine conſenſu ſaltem tacito & præſumpto totius corporis Eccleſiæ: hic vero aſſerit univerſaliſſime, quamcumque excommunicationem injuſtam, non debere nos impedire ab implendo debito noſtro, nulla debiti diſtinctione facta. Quibus poſitis, nemo non videt apertam portam patentiſſimam, quaſcumque eccleſiaſticas cenſuras contemnendi. Vix enim unquam fieri poterit, ut totum Eccleſiæ corpus, id eſt clerici & laici, viri ac feminæ, ac ipſi inſuper excommunicandi, præſumi poſſit in cenſuram conſentire. Atque eum in finem fortè Queſnellus tam ſollicitè cauſam feminei ſexus egit *prop*. 83. dicens: *Non ex*

ſe-

feminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt ſcripturarum abuſus, & ortæ hæreſes. An ex ſimplicitate, ſuperbia, vanitate, ira, vindictæ cupiditate &c. nihil id mihi curæ eſt. Tam unum quam aliud Queſnelli aut ignorantiam, aut malam fidem oſtendit. Omittere hic non poſſum fragmentum *Epiſt.*S.Hieron. *ad Cteſiphontem : Simon Magus*, inquit num. 4. *hæreſim condidit, Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit femineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet. Apelles Philumenem* (alias *Philomenem*) *ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam, nobiles & opulentas feminas, primum auro corrupit; deinde hæreſi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora tranſcendam. Arius, ut orbem deciperet, ſororem principis ante decepit. Donatus per Africam, ut infelices quoſque* (alias *quoſque*) *fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium, mulier virum, cæca cæcum duxit in foveam, ſucceſſoremque ſui Priſcillianum habuit, Zoroaſtris Magi ſtudioſiſſimum, & ex Mago Epiſcopum; cui juncta Galla, non gente, ſed nomine, germanam huc illucque currentem alterius & vicinæ hæreſeos reliquit hæredem. Nunc quoque myſterium iniquitatis operatur. Duplex ſexus utrumque ſupplantat; ut illud Propheticum cogamur aſſumere.* Clamavit perdix.„ Jer.17. v.11.
Similia in poſterioribus hæreſibus oſtendi poſſent: ſed tempus eſt ut ad Queſnellum revertamur.

XXII. Quod ſi attendere etiam voluerimus

Queſnellum toto quo vixit tempore nuſquam deſtitiſſe ſcribere, contra Decreta Apoſtolica, pro Janſenio, Bajo, ac triginta octo articulis ab Alexandro VIII. damnatis, necquidquam impedientibus cenſuris, ſub quibus id ſæpiſſime vetitum fuerat; luce clarius evadet voluiſſe hac propoſitione docere, a propugnandis damnatis, etſi a Sede Apoſtolica, & univerſa Eccleſia per orbem diſperſa, propoſitionibus, non eſſe abſtinendum, cujuſcumque cenſuræ metu; dummodo aliquis ſibi perſuadeat, cenſuras eſſe injuſtas. Quapropter, etſi non materialibus verbis, ſenſu tamen coincidit hæc propoſitio cum articulo decimo octavo Joannis Huzs, in Conſtant. Synodo damnato: *Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit; & illud mandatum debet exequi, prætenſa excommunicatione non obſtante*.

XXIII. Unde mirum videri debet, quod *Theol.ſuppl.* ad excuſandam hanc propoſitionem, nullum non lapidem moverit, citando pro eadem & Hieronymum, & Gregorium Mag. ſed nullis adductis eorum verbis: Auguſtinum, Gerſonem, & ipſum etiam Jus Canonicum: de quibus aliquid breviter dicendum eſt. Citat ergo primo loco cap. 46. *Cui eſt illata*, ubi dicitur: *Si injuſta ſententia eſt, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & Eccleſiam ejus, neminem poteſt injuſta gravare ſententia. Ita ergo ea ſe non abſolvi deſideret, quâ ſe nullatenus reſpicit obligatum*. Agit autem, ut Gloſſa ibidem notat, de ſententia maniſeſtiſſime injuſta ſimul ac invalida Dioſcori nominatim excommunicati, quia S. Leonem eique in fide adhærentes auſus fuerat excommunicare. En

Pag.106.

Cauſ. 11. quæſt. 3.

ver-

verba Gloſſa : *Dioſcorus hæreticus , Alexandrinus Patriarcha quoſdam excommunicavit, qui ejus ſententia credebant ſe eſſe ligatos. Quæritur a Gelaſio, utrum a tali ſententia ſint ligati? Et reſpondet quod non, nec indigent abſolutione; ſed deponant illam opinionem, & erit ſententia nulla.* Vide Gratianum *Diſt.21. cap.ultimo, In tantum*:item Dictionarium Moreri. v. *Dioſcorus*. Sed quid hoc ad Theſim Univerſaliſſimam Queſnellianam?

XXIV. Sequitur in *Theol. Supplici*, Cap. *Illud plane non temere dixerim, quod ſi quiſquam fidelium fuerit anathematizatus injuſte, ei potius oberit, qui faciet, quam qui eam patietur INJURIAM.* Sed aliud eſt ſententiam injuſtam & INJURIOSAM nihil obeſſe; aliud, nullam injuſtam ſententiam eſſe curandam. HincCap. *Non ſolum* ex S. Gregorio dicitur, *Paſtor ergo vel abſolvere indiſcrete timeat, vel ligare. Is autem qui ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat vel injuſtè; nec paſtoris ſui judicium temere reprehendat; ne, etſi injuſte ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa quæ non erat fiat.* Cur hoc cap. prætermittit *Theol. Supp.*? Eadem cauſa & quæſt. Eadem cauſa & quæſtio.

XXV. Nihilo plus pro Queſnello faciunt verba Auguſtini *Theol. Suppl.* adducta, *pag.* 107. *Spirituales homines . . . non eunt foras: quia & cum aliqua vel perverſitate* (non *perturbatione*) *vel neceſſitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quam ſi intus permaneant, CUM ADVERSUS ECCLESIAM nullatenus eriguntur; ſed in ſolida UNITATIS PETRA* (Vaticani codices, *Unitate Petræ*) *fortiſſimo caritatis robore radicantur.* Hæc verba Queſnellum potius cum ſuis damnant. Agitur enim de *ſpiritualibus homini-* Lib. 1. contra Donatiſtas cap. 17.

 bus,

bus, qui *perverſitate* expulſi,non ſe tamen erigunt contra *unitatis Petram*. Illi vero, & antequam declararentur, per Breve *Paſtoralis Officii*,ab Eccleſia ſeparati; & poſtquam id jam eſſe declarati ſunt, ſeſe & contra unitatis Petram, id eſt, Romanum Pontificem, aut, ſi vis, Eccleſiam (nihil enim refert quoad præſens quid per Unitatis Petram hîc intelligas) qua diſperſam, qua in Tridentino adunatam, defendendo mordicus plures damnatos in Luthero, Calvino, Bajo, Janſeniove errores, erexerunt; & porro pergunt. An tales ſunt *ſpirituales* viri, de quibus Auguſtinus? imo animales ſunt, ſecundum eundem Auguſtinum dicentem: *Ex.. animali ſenſu, quia homo animalis non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, omnes diſſenſiones & ſchiſmata generantur*. Et paulo ante: *Eccleſia quippe omnes per baptiſmum parit, ſive apud ſe, id eſt ex utero ſuo, ſive extra ſe* (i. e.apud hæreticos) *de ſemine viri ſui.... Sed & Eſau de uxore natus, propter fraternam DISCORDIAM ſeparatus eſt a populo Dei. Et Aſer per uxoris quidem poteſtatem, ſed ex ancilla natus, propter fraternam CONCORDIAM, terram promiſſionis accepit. Unde & Iſmaëli, ut ſepararetur a populo Dei, non obfuit mater ancilla; ſed obfuit fraterna DISCORDIA: & non profuit poteſtas uxoris, cujus magis filius erat; quia per ipſius jura conjugalia, & in ancilla ſeminatus erat, & ex ancilla ſuſceptus. Sicut apud iſtos* (hæreticos) *Eccleſiæ jure, quod eſt in baptiſmo, naſcuntur quicumque naſcuntur: ſed ſi CONCORDENT cum fratribus, per unitatem pacis, ad terram veniunt promiſſionis.... Si autem in DISCORDIA PERSEVERENT, ad Iſmaëlis funiculum pertinebunt*. Ad hunc funiculum melius, quam

Loco cit. cap. 15.

quam ad ſpiritualium virorum claſſem reducuntur illi, de quibus præcipuè ſuam intellexit propoſit. 91. Queſnellus; quoſque eâdem in rebellione ſua atque diviſione conatus eſt obfirmare. Sed ſalubrius eis erit, ſi ad hanc Auguſtini ſententiam reſpiciant *Epiſt.* 208. *alias* 209. *ad Feliciam Virg.* Num. 6. *In catholica ... Eccleſia... & boni ſunt & mali. Ab ea vero ſeparati quamdiu contra illam ſentiunt, boni eſſe non poſſunt: quia etſi aliquos eorum bonos videtur oſtendere quaſi laudabilis converſatio; malos eos facit ipſa DIVISIO, dicente Domino.*,, Qui mecum non eſt, adverſum me ,, eſt: & qui mecum non colligit, ſpargit. ,, Matt. 12. v. 30.

ſ. IV.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Pati potius excommunicationem & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari S. Paulum: tantum abeſt ut ſit erigere ſe contra auctoritatem, aut ſcindere unitatem. Eſt. 92. Queſnell. Rom. 9. v. 3.

XXVI. Pro intelligentia hujus propoſitionis, juverit rurſus oculos conjicere in ea quæ de Queſnello habet ſententia contra eundem prolata, ab Archiepiſcopo Mechlinienſi hîc cap. 2. §. 2.: notanter, quod recuſaverit ſubſcribere for-

mulæ doctrinæ præſcriptæ in comitiis generalibus Oratorii Gallici; idque ea præcipuè de cauſa, quod contineret damnationem doctrinæ Janſenii & Baji: quam contumaciam adverſus ſuperiores ſuos ne deponeret, ex Gallia profugus ab anno 1585. in Belgio diu latitavit. Quod varia ediderit opuſcula, quibus hæreſim Janſenianam non obſcurè ſuſtinuit: idque ea continuatione audaciæ, ut aſſereret quod ſummis Pontificibus, in cauſa Janſenii fuiſſet obreptum. Aſſeruerit inter alia Ianſeniſmũ non eſſe niſi phantaſma, impugnaverit quoque ſcriptis ſuis Decretum Alexandri VIII. *in 31. propoſitiones* latum, & plura alia.

XXVII. His, quæ ſunt notiſſima, ſuppoſitis, dici Queſnello poterat: Fruſtra jactas te Auguſtinum magiſtrum ſectari, cum nolis eſſe ejus diſcipulus. Docet Auguſt. ut *num.* 25. dictum eſt, nunquam licère contra Eccleſiam ſe erigere, aut contra illam ſentire; niſi e bonis mali, contra ſentiendo, fieri velimus. At tu tot errores ab Eccleſia proſcriptos pugnaciſſime & audaciſſime defendis! Ut hanc præveniret objectionem, oſtendere voluit hac propoſitione, quod ſe ipſe contra Eccleſiam non erigat, nec ſcindat unitatem: quin potius imitetur S. Paulum, non prodendo veritatem: ferendo interim anathema injuſtum. Ac ne quis gratis hoc a me aſſertum exiſtimet, obſervet, rogo, hic non de quacumque cenſura, ſed de ea, quæ ob doctrinam in aliquem fertur, agi: cui ſcilicet deferendo, *proderetur veritas*: atque in hoc potiſſimum conſiſtit hujus propoſitionis virus.

XXVIII. Pro quo obſervandum, aliquem poſſe excommunicari variis de cauſis: puta, ob

facta

facta quædam perſonalia; aut ob doctrinam non bonam. Inter quæ hæc adeſt differentia, quod circa facta perſonalia, cum de eis certificari Eccleſia non valeat, niſi ex teſtimonio hominum, qui & decipiuntur ſæpe, & decipere poſſunt, judicium Eccleſiæ in his deficere poteſt: at circa doctrinam fidei aut morum, cum Eccleſia dirigatur ſpecialiter a Spiritu Sancto, errare Eccleſiæ judicium non poteſt. Quo fit, ut Eccleſia vetante aliquam doctrinam ſub anathematis pœna, quilibet Catholicus teneatur ei ſe ſubmittere, atque a tali doctrina recedere. Si vero Eccleſia aliquem excommunicet ob factum aliquod perſonale; cum non repugnet hîc latere errorem, fierique poſſit, ut aliquis innocens, pro falſo crimine in judicio legitime probato, excommunicetur, aliter hîc eſt procedendum. S. Thomas de hoc caſu agens dicit, injuſte excommunicatum debere abſolutionem petere, vel ad ſuperiorem recurrere. Quod ſi hoc non juvet, aut fieri nequeat, *ſi humiliter*, ait, *ſuſtinet, humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum.* Concilium Tridentinum autem, *Excommunicatus vero*, ait, *quicumque, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolum ad Sacramenta, & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; ſed, ſi obdurato animo cenſuris innexus in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæreſi ſuſpectum, procedi poſſit.*

Suppl. q. 21. art. 4.

Seſſ. 25. de refor. cap. 3. in fine.

XXIX. At vero Queſnellus pulvillos conſuit ſub omni cubito manus. Pati potius excommunicationem & anathema injuſtum, eſt imitari S. Paulum: & quis non optet S. Paulum imitari? Aſſerit quidem Queſnellus Matt. 18. v. 17.

Non

Non capit, quid ſit eſſe Deo ſicut Ethnicum, non habere Deum Patrem, nec Jeſum Chriſtum Salvatorem, nec Eccleſiam Matrem, nec Chriſtianos fratres, qui excommunicationem MERITUS, eam parvipendit. Diceret hic Auguſtinus fere ut olim contra Pelagium: *Ut quid enim hoc verbum interpoſuit, id eſt,* MERITUS? *An vero non erat integer ſenſus*; „ Qui excommunicationem parvi „ pendit? „ *Sed quantum detrimentum hoc additamento*, MERITUS, *fecerit, quis non intelligat?* Volens utique docere parvipendendas cenſuras, quas quilibet injuſtas eſſe & immeritas cenſuerit, addidit *Meritus*. Non ſic de excommunicatione SS.PP. cenſuerunt, ut videre eſt *cauſa* 11. *quæſt*. 3. ubi ſtatim occurrit memorabile illud S. Gregorii: *Sententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda eſt*.

De Grat. Chriſti c. 27.

XXX. Nec moror interpretationem Gerſonis adductam a *Theol. Suppl. Timenda quidem eſt injuſta ſententia, non tamen tenenda*. Perplacet mihi ipſiuſmet Gregorii explicatio, in fine §. præced. adducta: *Qui ſub manu paſtoris eſt, ligari timeat vel injuſte* (ergo & parvipendere ſententiam quam putat injuſtam) *ne, etſi injuſtè ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa quæ non erat fiat*. Nec poteſt illa gloſſa Gerſonis ſine grano ſalis admitti; cum ſæpe ſententia injuſta, non timenda ſolum, verum etiam tenenda ſit: puta, ſi ex pravo excommunicantis animo, non ex alio capite, injuſta ſit.

Pag. 106.

XXXI. Neque ullatenus obeſt nobis cap. *Inquiſitioni tuæ*: uti & S. Thomas in 4. ſentent. *Diſt*. 27. *quæſt*. 1. *art*. 2. quæſtiuncula 3. (non 4.) ad 3.: proceditur enim utrobique in caſu, quo *alter*

Extra de Sent. Ex. comm.

con-

conjugum pro certo ſciat impedimentum (dirimens) *conjugii, propter quod ſine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere; quamvis apud Eccleſiam probare non poſſit*... in quo *caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale*. Verba ſunt Cap. *Inquiſitioni tuæ*. Addit S. Thomas: *vel debet in alias regiones remotas fugere*. Scilicet, hic tangitur unus & idem ſingulariſſimus caſus, circa factum omnino perſonale, in quo veritas, teſtium defectu, probari nequit: Judex juxta allegata & probata procedens, falli poteſt, & obedientia excommunicanti præſtita, certiſſimum foret peccatum mortale. An propterea aliis in caſibus, dum veritas manifeſtari in facto perſonali, & error oſtendi poteſt; aut dum erratum eſſe prudenter dubitari non poteſt; aut agitur de quæſtione fidem & mores ſpectante, ubi etiam certiſſimum eſt errari non potuiſſe, licitum erit, & imitari S. Paulum excommunicationem ferre? Imo vero, ſi Tridentino ſupra adducto ſtamus, foret hoc de hæreſi ſuſpectum ſe reddere: licet aliunde non ob hæreſim excommunicatio inflicta fuiſſet.

XXXII. Prop. Queſnelli doctrinalis indefinita eſt, adeoque univerſalis: & aperte ſatis agit de excommunicationibus occaſione doctrinæ, ad fidem pertinentis aut mores, latis; aut ſaltem illas includit non excludendo: *Pati potius excommunicationem*, inquit, *quam prodere veritatem &c.* agit ergo de doctrina. Itaque dum quiſpiam ſibi perſuaſit doctrinam aliquam ſanam fore, quidquid Eccleſia ſub cenſuris ſolitis prohibeat, poterit, imo debebit cenſuras illas ferre, ne prodat

veri-

tatem. Sic tollitur Eccleſiæ Magiſterium; ſic aperitur via ut fideles omni doctrinæ vento circumferantur: ſic in Eccleſia ſus deque vertuntur omnia.

XXXIII. Sed quid, amabo, ſibi vult: *Pati potius excommunicationem & anathema injuſtum.... eſt imitari S. Paulum?* An Paulus forte excommunicationem aliquando paſſus eſt? Nihil tale in tota vita Pauli legitur. Solum conſtat Paulum aliquando reſtitiſſe Petro: atque ad hoc alludit, haud dubie, Queſnellus. Verum ad rem ejus, reſiſtentia illa facit omnino nihil. Reſtitit Petro, non ſecundum veritatem evangelii *converſanti*, ſeu *viventi*, Paulus: reſtitit Petro definienti & decidenti Queſnellus. Quæ quam ſint diverſa, patet inde, quod in Concilio Jeroſolymitano, cum magna perquiſitio fieret circa legalium obſerva-
Act. 15. tionem, definienti Petro, non eſſe imponendum jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod nec ipſi, nec patres eorum portare potuerant, acquieverit illico tacendo, omnis multitudo; etiam Paulus & Barnabas. Poſt hanc tamen Apoſtolicam definitionem, poterat obſervatio legalium in aliquo caſu eſſe laudabilis: unde Paulus & Timotheum circumcidit, & in Cenchris votum perſolvit, & rurſus Jeroſolymis monente Jacobo legalia ſervavit. Poterat tamen etiam nimis ſcrupuloſa legalium obſervantia offenſioni eſſe gentilibus. De hac nimis ſcrupuloſa judaizatione, repræhendit Petrum Paulus. Denique Paulus, etſi evangelium ſuum non ab homine, ſed per revelationem habe-
Galatas. ret, juſſus tamen eſt, *ſecundum revelationem*, aſcen-
2. dere Jeroſolymam, & conferre Evangelium quod prædicabat, *SEORSUM iis qui videbantur aliquid eſſe: ne forte in vacuum* curreret aut cucurriſſet:

quæ

quæ omnia ad noſtram inſtructionem facta eſſe, nemo dubitat; docentque Petro, etſi non omnino impeccabili in converſatione, definienti eſſe acquieſcendum: atque cum ejus Evangelio noſtram eſſe doctrinam conferendam, ne in vacuum curramus. Quomodo ergo eſt imitari S. Paulum, definienti Petro non obedire, ei repugnare, cenſuras ejus nihili facere?

XXXIV. Queſnellus, inquies, non repugnavit, nec docet repugnandum Petro conciliariter definienti, ſed particulariter. Reſp. jam ſæpius oſtenſum eſſe, Queſnellum contra conciliares Tridentini definitiores dogmatizaſſe. Sed non ſit ita: repugnavit ſaltem, & docet hac propoſitione, repugnari poſſe Pontifici definienti. Ergo ejus propoſitio anticipative damnata fuit ab Alexandro VIII. & univerſa Eccleſia, in hac altera ſimili, imo minus univerſali: *Ubi quis invenerit Doctrinam in Auguſtino clare fundatam* (non ita reſtricte concepta eſt Queſnelliana) *illam abſolute poteſt tenere & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Ex cujus damnatione, quæ orbi univerſo, nullo reclamante Epiſcopo innotuit, certum omnino eſt, nemini licere Pontifici Romano definienti contraire: multo minus cenſuras ejus nihili faciendo contemnere.

XXXV. Hanc doctrinam nitide expreſsēre, non ita pridem, octoginta quinque Galliæ Epiſcopi in comitiis congregati, litteris ad Innocentium X. datis, quibus gratias eidem Pontifici pro lata in Janſenium damnatione referunt: *Perſpectum habemus*, inquiebant, *non ſolum ex Chriſti pollicitatione Petro facta, ſed ex actis priorum Pontificum, judicia pro ſancienda regula fidei, a ſummis* Anno 1655.

mis Pontificibus lata, ſuper Epiſcoporum conſultatione, divina æque ac ſumma per univerſam Eccleſiam auctoritate niti, cui Chriſtiani omnes, ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare tenentur. A qua doctrina Gallos paulo poſt, id eſt, circa annum 1663. deflexiſſe, negat noſter M. Hiacynthus Serry. Inter aſſertores infallibilitatis Pontificiæ recenſuerat *Quotquot Pariſienſis Academiæ Magiſtri atque Doctores, majori doctrinæ pietatiſque laude floruêre, primis Academiæ temporibus*, ut B. Albertum M. Alexan. Alenſem, D. Thomam, D. Bonaventuram, Nicol. de Lira .... item *Quotquot etiam initio Sæculi Superioris, adverſus Lutheranos & Calvinianos in Galliis ſcripſêre, de Eccleſia Romanoque Pontifice, qui non modo doctrinæ caput* de infallibilitate Romanorum Pontificum *tuentur ac docent*; verum etiam *communem catholicorum ſententiam eſſe* ajunt. Hos inter eſſe afferit D. Stephanum Baraut Archiep. Arelatenſem *in Clypeo fidei catholicæ cap. 3. contra Molinæum*. D. Joannem Coëffetæum Ord. Præd. Epiſc. Maſſilienſem in *Reſponſione ad Myſterium iniquitatis Pleſſei Mornæi*; D. Habertium Epiſc. Vabrienſem, in *Defenſioni fidei catholicæ*; D. Hallerium Epiſc. Cabilonenſem, in dictatis de *Summo Pontifice*, dum in Sorbona publicum Theologiæ Profeſſorem ageret; D. Le Maire Epiſc. Lombarienſem, in tractatu *de Pontifice*, dum in Sorbona perinde legeret; D. Michaelem Mauclercium libro de *Monarchia*; D. Andræam Du vallium, Regium in Sorbona profeſſorem, in libris contra *Edmundum Richerium* publicatis, probante ac etiam plaudente Academia Pariſienſi, totoque Clero Gallicano. Huc uſque M. Serrius.

In Appendice Hiſtorica ad tract. de Rom. Pon. f. falli & fallere neſcio. nū. 14. & nū. 13.

XXXVI.

XXXVI. Abſtrahendo tamen ab illa quæſtione ſitne, Pontifex in fidei definitionibus infallibilis, etiam antequam accedat conſenſus Eccleſiæ (quod etſi affirmandum omnino exiſtimem, nolo tamen huic principio, agendo contra Queſnelliſtas inniti) abſtrahendo, inquam, ab eo: certum eſt, toto orbe, nec excluſis quidem Galliæ Epiſcopis, conſentiente, Queſnellium erigendo ſe contra Bullas Pontificum, Bajum & Janſenium damnantes; defendendo contumaciter doctrinam olim, univerſa Eccleſia applaudente proſcriptam; inſordeſcendo excommunicationibus; docendo hac propoſitione, eſſe id imitari S. Paulum, ſe de hæreſi, hoc ſolo titulo, ſuſpectum violenter reddidiſſe, juxta determinationem Trid. *num.* 28. relatam: ejuſque propoſitionem merito, uti talem fuiſſe damnatam: tantumque abeſſe, ut ipſe imitatus Paulum fuerit, ut potius diametraliter contra Pauli doctrinam & egerit & dogmatizaverit. Paulus definienti Petro,& cæteri omnes qui Concilio Hieroſolymitano aderant, acquievit: cum Petro non *in Concilio*, ſed *ſeorſum* evangelium ſuum, licet ſibi de cœlo revelatum, contulit: objectionem Galatarum, quod Petrus & cæteri Apoſtoli, qui legalium obſervationem non neceſſariam judicaverant, eſſent homines illitterati, indocti, olim ſcilicet piſcatores, ſprevit dicens: *Quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt: Deus perſonam hominum non accipit*; ſic oſtendens non eruditioni, ſed auctoritati fidendum: demum Paulus male converſanti Petro in faciem reſtitit: verbo: perfectè adimplevit Paulus illud Chriſti: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite:*

Galat. 2. v. 6.

Matt. 23.

cite ; ſecundum opera vero eorum , nolite facere. Dicunt enim & non faciunt . Quod non ita dictum haberi velim , ac ſi ſummus Pontifex cum univerſis per orbem Epiſcopis , ei adhærentibus, Scribæ forent ac Phariſæi : uti de ipſis impudenter Queſnelliſtæ effutiunt : ſed ita , quod , etſi tales eſſent, quod abſit , equidem eis docentibus , & cum Romano Pontifice univerſam Eccleſiam docente, nihilominus , ſecundum hanc Chriſti ſententiam , foret obediendum . Atque ita Paulus fecit. Econtra Queſnellus , docenti Petro , docentibus Epiſcopis reſtitit : quoſdam ex his , non facientes quæ docuerunt,imitatus eſt. Nam & Iprenſis Janſenius , & omnes per orbem Epiſcopi, etiam Galliæ, Romano Pontifici Eccleſiam docenti , obediendum eſſe conſentiunt: quidam tamen illorum, contrarium practicarunt : quos in eo quod factitarunt male , imitatus Queſnellus eſt peſſime : in eo vero quod docuerunt optime , turpiſſime deſeruit .

XXXVII. Cum igitur nemo dubitet, quin Queſnellus hanc propoſitionem exarando , ſe ſuoſque præ oculis habuerit : melius dicam : cum circumſtantiæ ſcriptoris , temporis , loci &c. cogant ad intelligendam hanc Theſim de Queſnello ejuſque Symmiſtis; ſenſus ejus naturalis & obvius erit : Etſi ego vel alius inveniar docendo doctrinam Baii , Janſenii &c. reſiſtere Romano Pontifici , eam doctrinam proſcribenti: etſi nihili faciens ejus excommunicationes , eas patior , non curando ab eis abſolvi , ne prodam doctrinam , quam credo veritatem : nemo tamen exiſtimet id eſſe erigere ſe contra Auctoritatem , aut ſcindere unitatem . Tantum id abeſt , ut ſit potius imitari

S. Pau-

S. Paulum, qui Petro in faciem reſtitit, abſque quod cenſeatur ſe erexiſſe contra auctoritatem, aut ſcidiſſe unitatem. Sed falſus eſt, uti ſæpius dictum, in eo Queſnellus, quod non diſtinxerit inter reſiſtere Petro docenti, & Petro ex infirmitate in converſatione ceſpitanti. Utrumque accurate diſtinxit Paulus. Nimirum, voce Petri docentis, ipſe cum cæteris Apoſtolis & ſenioribus, non ſecus habuit ac vocem Spiritus Sancti. Hinc Eccleſiæ Antiochenæ ſcribunt: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis &c.* Et Paulus ipſe: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Ita Paulus loquitur, poſtquam Evangelium ſuum contulerat cum Petro *ſeorsũ*: quod prius quam feciſſet, etſi Evangelium ſuum Chriſto revelante accepiſſet, nuſquam ita locutus deprehenditur. Signum evidentiſſimum, ipſum Doctrinam Petri *ſeorsũ*, habuiſſe lydii lapidis inſtar; cui, ſi non probaretur doctrina quævis, quantumcumque putaretur divinitus accepta, ſecuros nos reddere haud poſſit. Præclare in rem noſtram S. Ambroſius, commentans locum illum Pauli: *Si ergo Apoſtolos Chriſti*, inquit Ambroſius, *quorum tam præclara opinio in ſignis & prodigiis erat faciendis, & Angelum de cælo, quem poſſit ſpiritalis ratio commendare, aliter docentes, quam ab Apoſtolo Paulo* (probante Petro) *edocti erant, anathematizari præcipit: quanto magis, quos nullum teſtimonium* (puta Queſnellum) *ad ſeducendum poteſt commendare?*

Act. 15.
Gal. 1. v. 8.

Digitized by Google

§. V.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Jeſus quandoque ſanat vulnera, quę pręceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato. Jeſus reſtituit quod illi inconſiderato zelo reſcindunt. Eſt. 93. Queſnel. Joan. 18. v. 11.

XXXVIII. ***Eadem hæc propoſitio aberrat chorda, eodemque laborat æquivoco, ac ſuperior***, id eſt
Pag.108. in fine. 91. ait, *Theol. Suppl.* Ego vero exiſtimarem hanc præcedentibus longe apertiorem fore, eiſque non nihil lucis affundere. In præcedentibus loquitur Queſnellus vage de excommunicatione injuſta. Sed cum ex diverſis capitibus injuſta eſſe poſſit, hærebat non nihil animus de qua ſpecie injuſtæ cenſuræ loqueretur. Verum hîc aperit de illa ſe loqui etiam, quæ ex malo excommunicantis animo; puta ex præcipiti & inconſiderato zelo; quia odio, aut vindicta, aut quovis alio pravo affectu præceps
Suppl. q. 21. a. 4. agitur, injuſta eſt. De hac S. Thomas: Excommunicatio injuſta: ***ex parte excommunicantis, ſicut cum ex odio vel ex ira aliquis excommunicat... nihilominus habet effectum ſuum, quamvis ille qui excommunicat peccet: quia iſte juſtè patitur, quamvis ille injuſte faciat.*** At Queſnello, Jeſus reſtituit, quod inconſiderato zelo, aut præcipiti feſtinatione reſcinditur: ubi aperte de excommunicatione

ex

ex parte excommunicantis injuſta agitur. At quam proclive eſt, ut quiſque ſibi perſuadeat, ex pravo ſuperiorum animo ſe fore damnatum? Nihili ergo fiet ſuperiorum animadverſio, ubi ſemel in animum induxerint homines, Jeſum id reſtituere. Quis ergo dubitet propoſitionem hanc eſſe ſcandaloſam, id eſt, viam latiſſimam aperire ad vilipendendas Eccleſiaſticas cenſuras?

XXXIX. Illud vero obſervandum diligenter, Queſnellum, quoties de injuſta excommunicatione agit, nunquam, ne per umbram quidem inſinuare, quod is, qui putat ſe excommunicatum injuſte, debeat aut petere abſolutionem, aut conari ſe purgare, ſupremiſque Paſtoribus ſatisfacere, aut ſe eorum judicio ſubjicere: quin potius inſtiget ad eorum cenſuras flocci faciendas, id eſt, ſine perturbatione ferendas. Unde inutilis eſt *Thel. Suppl.* diſtinctio, de externo curando vulnere, aut interno, ſive *de ſanitate interius a Chriſto Domino animæ data*; verba illius ſunt: quaſi de primo curando debeat excommunicatus, licet injuſte, dummodo non ſit manifeſta cenſuræ nullitas, eſſe ſollicitus: ſecundum a Chriſto reſtituatur. Nam præterquam illa diſtinctio nova videatur; dicente S. Thoma: *Injuſta excommunicatio charitatem alicui auferre non poteſt*; & nullum habeat ad ſic interpretandum Queſnellum fundamentum; auctoritas Auguſtini, quam ad probandum illud ſecundum adducit, inepta prorſus & impertinens omnino eſt, ad Queſnellianam doctrinam; quam factis Urbi & orbi clariſſime explicavit; excuſandam: Imo vero Auguſtini illa auctoritas ex *lib. de vera Religione cap. 6.* a *Theol. Supplici* adducta, Queſnellum ſine commiſeratione damnat. *Sæpe* Pag. 109.

Pag. 109.

Suppl. q. 21. a. 1. ad 2.

etiam ſinit divina providentia, inquit Auguſtinus; *per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones, expelli de congregatione chriſtiana, etiam BONOS VIROS ... Hos coronat in occulto pater, in occulto videns.*

XL. Miraberis, Lector, me dixiſſe Queſnellum verbis Auguſtini ſine commiſeratione damnatum, cum nihil tale in hiſce verbis appareat. Sed paululum quieſce, myſterium aperiam. Exhibere tibi volui verba Auguſtini, uti extant in *Theologia Supplici*, quibuſdam punctis ...... interpolata, ut ſcias quantum ei fidendum ſit. Fateor, in verbis ſic relatis nihil apparere, quod ſpecialiter Queſnellum attingat, niſi fortè To BONOS VIROS, quos inter qui collocare eos voluerit, de quibus Queſnelliana propoſitio, ſudabit utique. At ſi integra Aquilini Doctoris verba tibi recitavero; fateberis, ni fallor, actum de Queſnello eſſe. En ergo Auguſtini verba integra. *Sed etiam ſinit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de congregatione chriſtiana, etiam BONOS VIROS, quam contumeliam vel injuriam ſuam, cum PATIENTISSIME PRO ECCLESIÆ PACE TULERINT, NEQUE ULLAS NOVITATES VEL SCHISMATIS VEL HÆRESIS MOLITI FUERINT, docebunt homines, quā vero affectu, & quanta ſinceritate caritatis, Deo ſerviendum ſit. Talium ergo virorum propoſitum eſt, aut ſedatis remeare turbinibus; aut ſi id non ſinantur, vel eadem tempeſtate perſeverante; vel ne ſuo reditu talis, aut ſævior oriatur, tenent voluntatem conſulendi, etiam eis ipſis, quorum motibus perturbationibuſque ceſſerunt: SINE ULLA CON-*

VEN-

VENTICULORUM SEGREGATIONE, USQUE AD MORTEM DEFENDENTES, ET TESTIMONIO JUVANTES EAM FIDEM, QUAM IN ECCLESIA CATHOLICA PRÆDICARI SCIUNT. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Tam pretioſa verba Auctor *Theol. Suppl.* ſub quatuor aut quinque punctis, tibi abſconderat; expono ego, ut attentâ Queſnellianâ doctrinâ, ſententiam, Lector, feras: Auguſtinusne Queſnellum abſolverit, an vero, quod ego aſſerui, damnaverit?

XLI. Nemo prudens dubitabit, quin Queſnellus, ſe ſuoſque aſſociatos præ oculis habuerit, dum propoſitionem illam exarabat: ſe ipſe ſuoſque intenderit animare ad ferendas fortiter, verius contumaciter, Summorum Pontificum cenſuras: Jeſum ſcilicet ſanaturum in occulto vulnera, quæ præceps primorum paſtorum feſtinatio infligit; reſtituturum quod ipſi reſcindunt. Quid ipſe cum ſuis interea? An ita ſe geſsêre, ut inter BONOS VIROS illos *Auguſtini* numerari valeant? An ipſi pro *Eccleſiæ pace* cenſuras *patientiſſime* tulerunt, *neque ullas novitates vel ſchiſmatis vel hæreſis moliti ſunt*? An *ſine ulla conventiculorum ſegregatione*, *uſque ad mortem defenderunt*, *&* *teſtimonio juverunt eam fidem, quam in Eccleſia catholica prædicari ſciebant*? Ordinem ipſi novum inſtituerunt: conventicula ſeparata celebrarunt: Sedem Apoſtolicam indignis modis proſciderunt: hanc errare, ſe veritatem ſectari aſſeruerunt; fidem quam in Eccleſia prædicari ſciebant, totis viribus impugnarunt: ab Eccleſia appellando ad futurum concilium, ſchiſmatis fundamenta poſuerunt&c. Tametſi ergo Queſnellus diſtinx-

 iſ-

iſſet inter externum & internum vulnus, per cenſuras inflictum, curandum, quod nullatenus fecit: ſententia tamen Auguſtini, non eum abſolvit, ſed damnat: non ſalvat, ſed jugulat. Adde, quod etiamſi diſtinctio illa admittenda foret, non poſſit tamen curare propoſitionem 93.: tum quod illa

Joan. 18. v. 11. appoſita, ubi de exteriori vulnere inflicto; Malchi, inquam, auricula amputata & reſtituta; agitur, ſatis indicat, de exteriori vulnere excommunicationis, ſermonem fieri: tum quod Queſnellus denunciatus excommunicatus, vivens tamen, ac ſi minime excommunicatus foret, praxi ſua, quæ eſt optima doctrinæ interpres, ut pag. 44. dictum eſt, hoc malagma infirmum reddiderit.

REFLEXIO DECIMA TERTIA.

XLII. Joannes Brunderius a Gandavo Ordinis Prædicatorum, Hæreticæ pravitatis Inquiſitor, in ſuo *Concertationum Compendio*, quemdam

Tit. 31. art. 2. (forte Philippum Melancthonem) alloquens, ita fatur. „ Congruebat recoluiſſe illud Sapientis:
„ *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Quod verbum trac-
„ tans Hieronymus in parabolis *proverb.* 3. ait:
„ *Prudentiæ ſuæ innititur, qui ea quæ ſibi agenda*
„ *vel dicenda videntur, Patrum Decretis antepo-*
„ *nit.* Priſci Patres præfatis verbis (Tu es Pe-
„ trus &c.) Petro promiſſum aſſerunt principa-
„ tum. Tu vero præter rationem, præter aucto-
„ ritatem, contra Patrum ſententias, præfatam
„ ſponſionem detorques ad omnes Apoſtolos,
„ imo ad omnes Chriſtianos: ut *Eccleſiæ & non*
„ *Petro data ſit poteſtas clavium.* „ Vidit acutiſſimus vir quo tendat nova illa doctrina aſſerentium,

tium,

tium, Eccleſiam accepiſſe claves, non primos Paſtores. Id ingenuè faſſus eſt Dupinius §.primo citatus. Unde conſequens fit, Queſnellianas haſce propoſitiones, dum Eccleſiæ concedunt poteſtatem excommunicandi exercendam per primos Paſtores, de conſenſu Eccleſiæ ſive totius corporis: dum cenſuras a Summo Pontifice latas, quaſi ſine prefato conſenſu fulminatas, docent non curandas, ſub prætextu, quod Jeſus ſanet vulnera iſta &c. ad hoc collimare, ut Primatum Summo Pontifici abnegent, aut non eſſe juris divini obtineant. Atque ſi illuc pertingere poſſent, quæ non inde confuſio naſceretur? Nota eſt Cypriani celebris ſententia Epiſt. 3. ad Cornelium Papam, relata hic pag. 292. Rurſus, *Unde*, inquit, *ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, niſi cum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur: & homo DIGNATIONE DEI honoratus, ab indignis hominibus judicatur?* Epiſtola ad Florentium Pupianum.

XLIII. Summis ergo viribus adnitendum, ne doctrina, unde tanta mala oriri nata ſunt, progreſſus faciat ullos. Et quia plerumque pravæ doctrinæ inſidioſè & occultè ſeſe inſinuant, operæ pretium erit, aliquid inſidiarum retegere, & verbis viri minime in hac materia ſuſpecti, præoccupare. Is eſt noſter Contenſonius, qui in ſua *Theol. mentis & cordis lib. 5. Diſſert. præambula cap. 2. Speculatione 2.§* cui titulus: *Romanæ Sedis primatus Regum Monarchiæ, & ſupremo Dominio egregie favet*: de hac re ita diſcurrit: *Sciendum tertio, inimicos S. Sedis, ut Pontificii Primatus defenſoribus invidiam creent, opportune, importune Regiæ Majeſtatis jura objicere; quæ cito dicunt peritura,*

 ſi Ro-

ſi Romano Antiſtiti Supremus in totam Chriſti Eccleſiam principatus aſſeratur. Verum hæc invidi oſiſſima juxta & iniquiſsima calumnia (quæ etiam Conciliorum poteſtatem, & Supremam Eccleſiæ poteſtatem, ubicumque tandem reſideat, peræque petit) a clariſsimis Doctoribus varie repulſa, falſitatis convicta, & in auctores regeſta eſt.... Illud eſt & fuit ſemper hæreticorum genium, infrunitæ libertatis amore, dominationem omnem peſſumdare.... Quis neſcit Wicleffum, poſt indictum Eccleſiæ bellum, Reges etiam aggreſſum fuiſſe, dum peccati mortalis conſciis, dominii & regni jura denegavit? Hieronymum a Praga & Joannem Huſſum, geminæ diabolicæ informationis oſtenta, his peſtilentiſsimis dogmatis perſuaſos, Bohemiam inteſtinis rebellionibus incendiſſe nemo ignorat. Lutherus Henrico Angliæ Regi, peræque ac Romano Papæ fuiſſe injurium... compertum eſt. Galliam noſtram concitatis a Calvino flammis flagrantem, non ita pridem Patres noſtri viderunt: quas nec millionum hominum ſanguis, nec infinitæ profuſæ lacrymæ extinguere potuerunt. Batavia legitimi Regis imperium, poſt introductum Calviniſmum a ſuis cervicibus depulit. Parricidium poſt hominum memoriam flagitioſiſsimum, & ſoli Chriſti Deicidio inferius, poſt ejuratam Romanæ Sedis reverentiam, Angliæ primores in Regem ſuum Carolum Stuart, ſtupente orbe ſub ſole toto, perpetrarunt. Nec ex impetu ſubitæ iracundiæ, vel clandeſtini Sicarii pugione; ſed ſolemni Senatus-conſulto in eam impietatem perduelles proruperunt: quam credere poſteri detrectabunt; noſque ipſi vix crederemus, niſi tantum facinus ſæculum noſtrum æternis tenebris obſcuraſſet. Econtra pleni ſunt omnes libri, pleni nominatim

Gal.

Gallorum Annales, feliciſſimis eventibus, quibus Regna Sedi Apoſtolicæ devotiora, fortunavit Deus: ut in Conſtantino, Pipino, Carolo Magno, Ludovico Pio, Ludovico Juſto, aliiſque claret. Hæc vir ille eximius, de adulatione aulæ Romanæ minime ſuſpectus.

XLIV. Quod vero aliquoties dixerim Queſnellum videri Primatum Summi Pontificis impetere, confirmari poteſt, ne quis putet me hariolari, ex iis quæ habet Queſnellus *2. Theſſal. 1. v. 2. S. Paulus ſcit conſervare dignitatem ſuam, non amore dignitatis ipſius, nec PRIMATUS; ſed amore Ordinis a Deo conſtituti, & Eccleſiæ neceſſarii &c.* in quibus paucis verbis duo tanguntur capitales errores: primus de gemino vertice Eccleſiæ, in Arnaldo damnatus, qui primatum Petro & Paulo tribuit: Secundus, quod *Primatus* Petri ac Succeſſorum ejus non ſit juris divini: ut inſinuat particula illa adverſativa, *SED* amore Ordinis a Deo conſtituti: quaſi *Primatus* a Deo inſtitutus non ſit. Sapit admodum hæc propoſitio illam ab Academiæ Pariſien. Theol. Doctoribus cenſuratam propoſitionem in Mar. Ant. de Dominis: *Diſparitatem poteſtatis inter Apoſtolos, eſſe humanum inventum, in Sacris Evangeliis, & divinis novi Teſtamenti Scripturis minime ſubſiſtens. Hæc propoſitio* inquit S. Facultas Pariſien. *eſt hæretica & ſchiſmatica.* Quapropter Proteſtantes ab ea non abhorrent ſententia, quæ jure dumtaxat humano Primatum convenire Romanæ Eccleſiæ aſſerit. *Proteſtantes*, inquit Blondellus, *neque Apoſtolicæ Cathedræ dignitatem unquam veteri Romæ denegaſſe, neque Primatum quem habet in vicinas Eccleſias: immo etiam quem aliqua ratione obtinet in* De Primatu Eccl. p. 24.

uni-

univerſas : ita tamen ut eccleſiaſtico jure dumtaxat, non divino, Romanis Pontificibus iſta conveniant.

XLV. Propoſitio quoque 90. *Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos paſtores, de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis*, coincidere videtur cum 40. Marci Antonii de Dominis : *Sciant etiam de jure divino veram jurisdictionem in Eccleſia nullam eſſe; ſed totam caritate regi* : quam hac cenſura perſtrinxit Facultas Theol. Pariſien. *hæc propoſitio eſt hæretica, & ordinis hierarchici everſiva*. Enim vero, ſi excommunicationem ferre nequeunt primi paſtores, niſi de conſenſu totius corporis Eccleſiæ, cum ipſi etiam excommunicandi ſint de corpore, eorum quoque conſenſus neceſſarius erit:quo poſito, nequit concipi vera juriſdictione Eccleſiam regi.

XLVI. Ut tandem finiam hoc caput,adſcribo verba 40. Epiſcoporum Galliæ, qui anno 1714. Pariſiis congregati, Conſtitutionem Unigenitus pure ac ſimpliciter admisêre. Quid illi ſenſerint de libro *Reflexionum Moralium*, qua parte agit *de cenſuris & Eccleſiæ poteſtate*, colligi poterit ex ſequentibus : *Deprehendimus in illo etiam*, inquiunt, *non ſine animi dolore, inter tot pernicioſa dogmata, ſupremum inſolentiæ gradum, ad quem ſe tandem omnis effert hæreſis pertinaciter defenſa; ut nempe aperte contra Eccleſiam extollat caput. Non jam amplius illius deciſiones, ut tanto hactenus tempore factitatum eſt, effugiis, vaniſque ſubtilitatibus eluduntur; ſed palam denique ejus auctoritas petitur & aboletur : exagitatur ipſius agendi ratio, contemnuntur excommunicationes ... docentur*

Epiſt. ad reliquos Gall. Archiep. & Epiſcop.

hoc

hoc in libro rebelles filii eas non metuere, & in ſua inobedientia perſtare : nihil crepat niſi perſecutionem, injuſtitiam, pervicaciam, obſtinationem Paſtorum in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe eſſe deceptos. Veritas eſt quæ perſecutionem patitur, in ſuorum prædicatorum & diſcipulorum perſona: audacter nomen illud tribuitur iis, quos Eccleſia, quia Deciſionibus ſuis obedire detrectant, cenſuris dignos judicat &c. His, quæ dicta ſunt, non parum confirmantur.

CAP. XVI.

De Afflictionibus Fidelium.

§. Unicus.

Propoſitio Queſnelliana, cenſurâ notata.

Numquam Deus affligit innocentes; & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. Eſt.70. Queſnell. Joan.9. v.2.

Pag.149. I. PRopoſitionem hanc merito damnatam, fateri videtur Auctor *Theol. Supplicis* ita perorans: *En hîc rurſus cæcas ambages, quæ ductorem poſtulant experientiſſimum.* S. Auguſtinus, ut ſæpius dictum eſt, Pelagium velut hæreticum tractavit, eo quod ubique tenebras ſpargens, nuſquam aperte a damnatis recederet erroribus. Igitur nec Clem. XI, Auguſtini premens veſtigia, culpandus, quod in Queſnellum, per *cæcas ambages* incedentem, nec ſatis a Bajanis aliiſque proſcriptis erroribus manifeſte recedentem, animadverterit. Culpa omnis in ipſum rejicienda Paſchaſium: aperte, dum poterat & debebat, minime loquentem; ut ſeſe ab hæreſi, de qua notorie infamis erat, purgaret. Qui ſemel eſt malus, ſemper præſumitur malus. Sic jura loquuntur: voluntque, ut contra eum qui clare loqui potuit, inter-

(Lib. de gra. Chr.)

ter-

terpretatio fiat. Quod maxime in fidei negotio, ex quo communitati pernicies imminet, locum habere par eſt. Unde Salvator noſter hîc prudentiam commendavit ſerpentis; dum alias ſimplicitas ei placet columbæ.

II. Et quis non videat, quot in paucis illis lineis poſſint latere errores? Septuageſima ſecunda, 73. 77. Bajanæ. Prima, decima nona, 24. ex triginta & una ab Alexandro VIII. damnatæ: quin & articulus decimus ſeptimus, 18. 19. 20. Lutheri, a Leone X. damnati, hîc latere poſsunt; ſicque per hanc ſenſim ſine ſenſu, fideles in unum aut alterum ex præfatis erroribus induci poſſe, negari vix poteſt. Ea propter Clemens XI. prædeceſsorum ſuorum ſectatus veſtigia, & Eccleſiæ, quæ ab ipſis ſuis incunabulis, propoſitiones pravis ſenſibus obnoxias, quantumvis in rectum ſenſum torqueri aliquatenus poſsent, proſcribere ſolita eſt, obſervans praxim, juſtiſſime propoſitionem hanc, juxta regulam noſtram 2, 3, 5, 8 & 10 cenſurâ inuſſit. Vid. pag. 45. Reg. X.

III. Sane legenti propoſitionem hanc: *Nunquam Deus affligit innocentes &c.* ſtatim occurrit; Ergo *omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum* quæ eſt 72. Bajana. Ergo *afflictiones* Beatiſſimæ Virg. Mariæ, quam *Reginam Martyrum* ſalutamus, *ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis?* Hæc eſt 73. Cumque aliqui ſint Sancti qui vitam innocentiſſimam egerunt, inexplicabiles tamen afflictiones perpeſſi ſunt, inciperem quaſi dubitare, *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum*, valeantne, an non, *expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam*, dum lego, *afflictio-*

ctiones ſemper ſervire vel ad puniendum peccatum; vel ad purificandum peccatorem: inciperem, inquã, dubitare, niſi me ſolidaret damnatio 77mæ Bajanæ.

IV. Et quid non occurrit circa infantes baptizatos! An forte *baptiſmus omnia peccata remittit, nullum penitus tollit*, uti ajebat Lutherus in confirmatione articuli ſui ſecundi? An per baptiſmum non omnis reatus pœnæ tollitur, ſed debet homo agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali? Sed hæc eſt 19. ab Alexandro VIII. damnata. An motus inordinati infantium ſunt veri nominis peccata mortalia, eo quod *in ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis?* Et eſt 1. ut ſupra damnata. Unum aut alterum eligere debet, qui dicit, *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatũ, vel ad purificandum peccatorem;*

V. Semper mihi ſolatio fuerunt & ſunt indulgentiæ, ex Theſauro Eccleſiæ, ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum conflato, depromptæ; quibus credo partem ſaltem aliquam, ſi tamen adimpleo opera injuncta, vere mihi relaxari earum pœnarum, quas hîc vel in altera vita pro peccatis meis deberem perſolvere. Sed ſi ſubſiſtit Queſnelliana Theſis, perit pro parte Theſaurus ille. Sic enim Sancti, quidquid perpeſſi ſunt, pro ſuis utique peccatis id pertulerunt, nec quidquam inde ingreditur Eccleſiæ Theſaurum. Contrarium tamen ſtrenue, contra Lutherum, ſemper propugnarunt catholici ſcriptores: quos inter Roffenſis ita ſcribit: *Quamquam nemo ſit, cui non cumulatius*

Ad art. 17. Lutheri.

latius præmium in cælis Deus largiatur, quam hîc in terris ipſe meruit, innumeri tamen ſunt, qui longè graviores ærumnas pertulerunt, quam ad ſuorum ſuffeciſſent delictorum expiationem. Et primum id ambiguum eſſe nemini poteſt, quantum ad glorioſam Dei Genitricem, quæ nævo quovis & labe caruit, tam originalis quam actualis peccati. At ipſa tamen innumeras, & eaſdem acerbiſſimas perpeſſa fuit moleſtias. Fuerunt & alii (qui lethalibus noxis caruiſſe creduntur) ut Joannes Chriſti præcurſor, & Hieremias. Quid Paulum memorem, & alios plurimos qui numquam poſt baptiſmi gratiam lethalem culpam admiſerunt? Et ipſi tamen clades, ac calamitates immenſas, & abſque numero ſunt perpeſſi. Neque negaverim omnes eos, etiam longe ſupra quam meruerint, eſſe remuneratos. Veruntamen haud dubito, quin quod in ærumnarum, quas tolerarunt cruciatibus erat ſatisfactorium, non evanuerit penitus in aëra. Nam Deus ipſe benigniſſimus, qui mala noſtra ſemper vertit in bonum, non patietur hanc ſatiſfactionem omnino perire; ſed in aliquam haud dubie convertet utilitatem. At peribit certe, ſi nec eis, neque cæteris profuerit quicquam. Et quoniam illi ſuæ ſatisfactionis fructum, nullis deſtinarunt perſonis certis, ideo fit ut in commune ceſſerit Eccleſiæ totius emolumentum, & communis Eccleſiæ Theſaurus jam dicatur: nimirum, ut inde reprendatur, quidquid cæteris ex juſta ſatisfactione defuerit. Sic enim Paulus ipſe teſtari viſus eſt ad Coloſs. ſcribens, cap. 1. Nunc enim gaudeo in paſſionibus meis pro vobis: & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Ubi littera Ambroſii ſic habet: Et ſuppleo reliquias preſſurarum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.

cleſia. Hucuſque ſanguine ſuo purpuratus Card. Roffenſis. Hæc autem vera erunt minime, ſi vera eſt Queſnelli aſſertio, uti ſatis conſtat. Econtra non male dixiſſet Lutherus, *indulgentias non pendere ex meritis Chriſti & SANCTORUM*.

VI. Theologica facultas Lovanienſis (quæ in his quoque turbis a Queſnello excitatis, mare ſe eſſe oſtendit; non mortuum, quod vivos non tolerat, ſed oceanum, quod mortuos ejicit; refractarios Bullæ Unigenitus a corpore ſuo præſcindendo, & ejiciendo) in formula doctrinæ Bajanis articulis adverſæ, punctum hoc de indulgentiis non intactum reliquit: *Fatemur*, inquit cap. 14. *non per communionem modo charitatis eorum* (ſanctorum) *nobis paſſiones in indulgentiis impertiri, ut hoc pacto digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti a pœnis reſtantibus liberemur; verum etiam per eaſdem paſſiones nobis communicatas & applicatas, delicta noſtra proprie redimi: uſque adeo ſane ut ſive in noſtris, ſive in alienis pro nobis paſſionibus non generalem tantum medii rationem, per quod meritorum Chriſti reddamur participes, verum etiam nihil obſtante pleniſſima ſatisfactione Chriſti, ſatisfactionis, quã divinæ juſtitiæ ſatisfiat, agnoſcere proprietatem debeamus*. Hæc illa. Eſt autem de hac materia tanto frequentius loquendum, quanto plures ſunt, ſive aperti, ſive occulti indulgentiarum hoſtes; qui ſpiritu nimium critico eas impetere ſolent. Porro, *ſpiritui nimium critico circa indulgentias, ortum ſuum primum debent hæreſes hujus temporis. O mali ovi corvus parens non bonus!* Verba ſunt M. Steyartii D. Lovan. in Theſi defenſa 18. Martii anno 1690.

RE-

REFLEXIO DECIMA QUARTA.

VII. Quam fallax Queſnellus fuerit, dum toties aſſeruit ſe nonniſi Patrum ſententias, maxime Auguſtini, ſectatum, ex hac etiam propoſitione clareſcit. An S. Auguſtinus nullas admittit afflictiones, niſi quæ ſint ultiones peccatorum? Audi quid dicat. Relata ſententia patientiſſimi Job, *Ecce ipſe proximus ſum judicio meo, ſcio quia juſtus inveniar*, paucis interjectis adjungit aliam ejuſdem ſententiam ex cap. 9., *Multas enim contritiones meas fecit ſine cauſa*, ac tum ſubjungit: *Non ait*, nullas fecit cum cauſa; *ſed multas ſine cauſa. Non enim propter multa peccata ejus, factæ ſunt ei multæ contritiones, ſed propter probationem patientiæ*. Sic & S. Proſper, relata hac Auguſtini ſententia: *Juſtis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non eſt pœna criminis, ſed examen virtutis. Nam bonus etiamſi ſerviat, liber eſt. Malus autem, etiamſi regnet, ſervus eſt: nec unius Domini, ſed quod gravius eſt, tot Dominorum quot vitiorum*. Relata, dico, hac ſententia, ita canit Proſper.

De perfect. juſt. cap. 11.

In Epigrammatis.

Oppreſſis quoties juſtis dominantur iniqui:
Non eſt puniti ſupplicium meriti:
Sed virtus fidei ſub tali examine creſcit,
Nec ſervile gravat, libera corda jugum.
Solus peccator ſervit male, qui licet amplo
Utatur regno, ſat miſer eſt famulus,
Cum mens carnalis nimium dominante tyranno,
Tot ſervit ſceptris, dedita quot vitiis.

VIII. Hipponenſi & Aquitano concinit Aquinas noſter 2. 2. *q.* 108. *a.* 4. cujus articuli corpus, ut vocant, hic locum meretur., „ *Reſpondeo, dicendum quod*

„ *pœna dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo ſecundum rationem pœnæ. Et ſecundum hoc pœna non debetur niſi peccato: quia per pœnam reparatur æqualitas juſtitiæ, inquantum ille qui peccando nimis ſecutus eſt ſuam voluntatem, aliquid contra ſuam voluntatem patitur. Unde cum omne peccatum ſit voluntarium, etiam originale (ut ſupra habitum eſt) conſequens eſt, quod nullus punitur hoc modo, niſi pro eo quod voluntarie factum eſt. Alio modo poteſt conſiderari pœna inquantum eſt medicina, non ſolum ſanativa peccati præteriti, ſed etiam præſervativa a peccato futuro, & promotiva in aliquod bonum: & ſecundum hoc aliquis interdum punitur SINE CULPA; non tamen ſine cauſa. Sciendum tamen, quod nunquam medicina ſubtrahit majus bonum ut promoveat minus bonum; ſicut medicina carnalis nunquam cæcat oculum ut ſanet calcaneum. Quandoque tamen infert nocumentum minoribus, ut melioribus auxilium præſtet. Et quia bona ſpiritualia ſunt maxima bona, bona autem temporalia ſunt minima; ideo quandoque punitur aliquis in temporalibus bonis ABSQUE CULPA, cujuſmodi ſunt plures pœnæ præſentis vitæ divinitus inflictæ ad humiliationem vel probationem. Non autem punitur aliquis in ſpiritualibus bonis ſine propria culpa; neque in præſenti, neque in futuro: quia ibi pœnæ non ſunt medicinæ, ſed conſequuntur ſpiritualem damnationem,*„ Sic ſacer ille Triumviratus Doctorum Gratiæ communibus votis damnant Queſnellum; cui omnes vitæ hujus afflictiones ſunt pœnæ, aut medicinæ purgativæ. At vero Auguſtinus, poſt Sacram Scripturam, admittit multas afflictiones, etiam hominibus juſtis immitti, ſine

cau-

cauſa, id eſt, juxta Angelicum divinæ voluntatis & SS. Patrum interpretem, ſine culpa. Servitus, quæ homini libero graviſſima eſſe ſolet, non eſt *puniti ſupplicium meriti*, teſtante Proſpero: omneſque afflictiones vitæ præſentis, ut ut ſæpiſſimè ſint pœnæ proprie dictæ, aut medicinæ purgativæ, nonnunquam tamen medicinæ ſunt aut præſervativæ, aut promotivæ ad majus bonum, juxta Angelicum. *Quia acceptus eras Deo*, ajebat Raphael Angelus ad Tobiam cap. 12. v. 13., *neceſſe fuit ut tentatio probaret te*. Unde Queſnellus hic incidit in errorem quem olim tuebatur Eliphas contra patientiæ ſpeculum Job. cap. 4. pridem ita refutatum a S. Thoma cap. 6. Lect. 1. *Si autem hoc eſſet verum, quod Eliphas aſſerere nitebatur, quod propriæ pœnæ peccatorum eſſent adverſitates præſentis vitæ, homines paterentur & propter gravia peccata graves, & propter levia leves: & ſic juſti nunquam gravibus adverſitatibus ſubjacerent, quod patet eſſe falſum.... cum appareat multos ſceleratos quorum peccatis peccata Job comparata, quaſi nulla erant, quaſdam leves adverſitates ſuſtinere &c.* Quid, quod incidere videatur Queſnellus in illum Indorum errorem, de quo P. Joſephus Juvencius *Hiſt. Societatis parte 5. lib. 20. num. 42.* ait: *Id enim generis humani hoſtis, qui animarum exitio paſcitur, pleriſque Indiæ populis perſuaſit, hominibus egeſtate, morbis, aut alio aliquo naturæ vitio affectis, iratos eſſe Superos; atque adeo mortales infenſos jure iiſdem eſſe poſſe?*

Satis puto me oſtendiſſe, Queſnellum, non veterum Patrum, ſed hæreticorum errores reſuſcitaſſe. Vos ergo, qui etiamnum aliter exiſtimaſtis, rogo atque obteſtor, per ſalutem

marum veſtrarum, conſulite vobis, dum tempus ſupereſt. Nullus ſibi blandiatur, quod paratus ſit univerſali obedire Concilio, aut etiam forte ad illud appellaverit; nequit hæc ab hæreſis crimine, excuſare appellatio. Quid enim, rogo, ſentitis de Luthero? Hæreticuſne habendus, an non? Et tamen ille etiam ad Concilium appellaverat: & priuſquam ullum Decretum Concilii Tridentini, doctrinam ejus ſpectans, promulgatum fuiſſet aut formatum (nam decretum de Canonicis Scripturis, i. e. primum contra Lutherum, editum eſt 8. Aprilis 1546.) mortuus eſt 18. febr. 1546. in pertinacia ſua, quod a vobis avertat Deus.

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

A

Abbatis Sancti Cyrani blaſphemiam renovat Queſnell. 493.
Abſolvendi praxis Rom. Eccl. conformis Evangelio, non Queſnelli 486.
Abuſus qui committuntur male Eccl. tribuuntur 469.
Acceptantes Conſtit. Unigenitus centeſimum, tergiverſantes vix 16. num. excedebant. 68.
Adam ante peccatum gratiam habuit. 78. Egebat gratia ob unam, nos ob plures rationes. 109. Indiguit gratia efficaci ex Auguſtino 223. Ejus merita cur humana dicta 91.
Adrumetionorum errorem ſuſcitat Queſn. 234.
Albigenſes imitatur Queſnellus 462.
Alexandri VII. formularium invadit 430. Damnat Miſſale Gallice editum 476. Eandem damnat. meretur Queſnel. ibid.
Alexandri VIII. cenſuram incurrit Queſn. 487.
Alvarez (Didacus) O. P. calumniatus 229.
S. Ambroſius male allegatus a Theol. Supp. 452. Ejus ſententia applicatur Queſnello 529.
Anabaptiſtas fanaticos facit Queſn. 235.
Angelos ad viſibilem Eccleſiam pertinere, ridicule docet Queſnellus. 406.
S. Antoninus O. P. male citatur 453.
Apoſtolus docet fidem operari ſine charitate 286.
Appellantes ad futurum concilium, nulla præter hæreticorum exempla citabant. 72.
Appellatio illa non liberat ab hæreſi 548.
Armeni ex diſpenſatione utuntur in divinis lingua crapar dicta 478. 483.
Armeni Dominicani Romæ 1737. pag. 478.
Arnaldi doctrina Queſnel. damnatus 180. Ejus damnatam inſtaurat Queſnell. 189. Analytica ejus Synopſis deleta ex operibus S. Auguſtini edit. 1644. pag. 220.
Articuli Lovanien. DD. judicio legitime contra Queſnel-

nellum probati 54.
Aſceſim novam Queſnel habet 241.
Attritio Queſnello peccamiroſa 354.
Auctor hujus ſcripti non contra perſonam, ſed malam doctrinam Auctoris Theol. Suppl. agit. 366. commendat Auctorem Theol. Sup. ab eloquentia & eruditione, uti Hieron. & Aug. Origenem & Pelagium. 498.
Auctor quidam Uliſſipone impreſſus 1734. mire favens, præter intentionem, Thomiſ. 194.
S. Auguſtinus, cur Adami merita, humana vocaverit. 91. Retractavit ſententiam aſſerentem, Adamo gratiam collatam, dum poſitus eſt in Paradiſo. 93. Statuit in Deo voluntatem non ſterilem ſalvandi omnes homines. 251 117.
Admittit gratiam ante fidem 267. Docet hæreſes evadendi remedium facillimum eſſe, audire vocem Summi Pontificis. 292. Præter gratiam ſufficientem, requirit efficacem 187. 245. Locus ejus difficilis explanatur. 215. Docet gratiam eſſe debere omnino indebitam 76. 83. Duplicem gratiam Adamo neceſſariam fuiſſe ſtatuit 84. 87. 223. Locus difficilis explicatur 91. Admiſit, gratiæ poſſe reſiſti potentia antecedenti, nõ conſequenti 175. Ejus mentē non intellexerunt Janſenius, Arnaldus, Queſnellus. 187. 220. Ejus mens non recte eruitur ex locis ubi ſolvit argumenta 265. Verba ejus Pontificiæ auctoritati objici ſolita exponuntur 509. 510. Docet bonos & malos eſſe in Eccleſia 519. Difficilis locus explanatur 130. 146. Variæ phraſes paucis explicantur 226. Quatuor ſententiæ explicantur 316. Ejus dictum: Præceptum fruſtra fit &c. ut differat a damnata, In Vanum Domine præcipis 204. Alter locus ex Epiſt. 197. exponitur 337. Ejus principia Queſnellus tentavit ſubvertere. 306. Quo ſenſu dixerit, Fides prima datur. 270. Item. Spes ſine amore eſſe non poteſt 294. Notabilia verba contra Queſnellum 302. Ejus ſententia a Theol. Supp. mutilata 330. 532. Docet non ſolam caritatem, ſed alias etiam virtutes non peccare. 337. A Theol. Suppl. Auctore non intellectus 317. Mutilatus 318. 532. Auguſtini præclara ſententia omnibus commen-

mendatur 226. Cur Pelagium ubique gratiam buccinantem, catholicum non agnoverit 195. Ejus verba, Pontificiæ auctoritati objici ſolita, pro Pontifice ſunt 509. Qui ſint animales homines docet 518 Notabilis ſententia 519. Incidentes quæſtiones ſæpe prætermittit: & ſuppoſitis adverſariorũ principiis, aliquando procedit. 320. Quædam ejus ſententiæ de timore 377. Docet Lectionem Scripturæ non eſſe neceſſariam ad ſalutem. 450.

Auxilium fluidum Thomiſticum probatur ab Emin. Gotti ex SS. PP. 159.

Axioma: quod poſſumus per amicos, nos poſſumus, exponitur. 199. 221.

B

Babylonis Ecclesia, Queſnelliana 426.

Baji (Michaelis) ſyſtema ſequitur Queſnellus 100. Bajum & Queſnellum quid deceperit. 107. Ejus propoſitiones renovat Queſnellus 256. 49. 541.

S. Baſilius contrarius Queſnello 442.

Bene aliquid facere & bonum facere bene, ut differunt 227. 330. 336. 191.

Bene uti rebus mundi, quid Auguſtino 227.

Benedictum II. PP. damnaſſe librum Juliani Toletani objicientibus, quid Gravina & Piccinardi Dominicani reſpondeant 24. Non damnavit Juliani duas propoſitiones: nec librum ſuſpendiſſe videtur 27. Difficultas hæc ſublata eſt, non ſub Sergio Primo, ut vult Theol. Suppl. Sed ad ſummum ſub Joanne V immediato ejus ſucceſſore 28. Summus fuit Theologus, meritoque expoſitionem 2. propp. poſtulavit, juxta Doctrinam S. Thomæ 30. Ejus Epitaphium 31.

Benigne interpretari non poſſumus Queſnellum, uti nec Bajum 326,

Biblia; quando in Italicum, Gallicum, Germanicum verſa 437. A Seculo X. ejus Lectio Laicis vetita, 448. Lectio non eſt neceſſaria ad ſalutem 450. Fundatores Ordinum non eã inculcarunt ſuis, ibidem.

Benitez (Cajetani de Lugo) O.P.S.T. Magiſtri ſubtilis animadverſio 390.

Bilſen (Norberti van) O. P. S. T. Magiſtri gravis ſententia 82. 412. Explicat in quo differant Thomiſtæ a Calvino. 276.

Blaſphemia Queſnelli 383. 387.

387.
Blondellus (David) non minus liberalis erga Papam ac Queſnellus.537.
Bohemorum erroribus communicat Queſnellus 479. Eorum poſtulationė rejicit Conſtant. Concil. ibidem.
Bonorum operum ſollicitū Exercitiū ſuſtulit Queſnellus 235.
Bonum operari differt a bene operari.191. 227. 330. 338.
Brutalibus paſſionibus minimè, ſed cum brutalibus paſſionibus ad Deum iri poteſt.370.
Bunderius (Joann.) O.Præd. Queſnellū in Melanchtone damnat 534.

C

CAntus ultimus finis Queſnelli 482.
Cæleſtini PP. ſententia exponitur 227.
Calvinus replet ſuos præſumptione, Queſnellus deſperationė147. Horribilem ejus doctrinam renovat Queſnell. 211.
Cano (Melchioris) O. P. Epi. Canarien. inſignis locus. 42. 116.
Caput, *Cui illata*, & alia ex jure canonico citata a Theol. Suppl. non favent Queſnello. 516.
Carnalis cupiditas regnans, non neceſſario inficit omnes actiones. 330.
Cathechiſmum ignoravit Queſnel.410.
Cenſura Facult. Theol. Pariſien. contra Eraſmum. 340. Circa Lectionem Sacræ Scripturæ462. Cenſuræ anni 1663.pars. 508.
Charitas duplex, ſtrictè & late dicta ex Auguſtino 311. Minima plus diligit Deū quam cupiditas millia auri. 321.
Chriſtianiſmum ad ſalutem ſufficere, docet Queſnellus 236. Chriſtus non eſt apud hæreticos, & Queſnellum 119. Non pro omnibus mortuum eſſe, antiquus error. 121. 260. Pro ſalute omnium mortuum, fatendum eſt.135. & 136.
Circumſtantiæ diverſæ faciunt, ut unum Auctorem catholice, alterum hæretice exponamus.42.118. 280.
Clementis XI. vita, Urbini edita 1727. Auctore Clariſs. viro Petro Pollidoro Eminentiſſimi D. Card. S.Clementis, Albani, Auditore, & Beneficiario S. Petri Vaticani, opus eſt fide publica digniſſimum 1. Declarat ſententias Thomiſticas a ſe *minime*

nime eſſe proſcriptas. 17. Poſt editam conſtitutionem uti juratus Thomiſta locutus eſt, Præfat. N.3.

Clementinam conſtitutionem ſcriptis ſuis defenderunt e Dominicanis Belgis, Thomas Du Jardin, Norbertus van Bilſen olim Theol. Caſanat. uti & ſequens, Franc. van Ranſt, Guilielmus Poelman, Vincentius Nicolle omnes S. T. Magiſtri Præf., quibus addendus Ludovicus Robyn S. T. Licent.Præf.n.5.Clementinam Conſtit. oppugnantes, qui obtenderint ſuæ inobedientiæ 2. Prætextus illos Clemens & Succeſſores diſſiparunt ibidem. Approbat Decretum S. Congreg. S. Officii pro Dominicanis Armenis. 483. Non prohibuit cantum populi, ubi eſt in uſu. 482.

Comma famoſum in Bulla S. Pii V. omnino legi debet, ex Natali Alex.79.

Compendium viæ ſalutis Scriptura,SS.Aug.Thom. Ignat.de Loyo. Aſſignant, ſed abbreviatam viam Queſnelli ignorarunt.237

Concordia gratiæ & liberi arbitrii non requirit neceſſitatis immunitatem juxta Queſnellum. 165.

Conſtant. Synodus contra Queſnell. 432. 504.

Conſtitutio Unigenitus duplex genus adverſariorum habet. 1. 71.

Conſtitutione Dogmatica Papali, an catholica dogmata convellantur, dubitare, idem eſt ac dubitare an defecerit fides Petri. 4.

Contenſonii (Vincentii) O. P. præclara reflexio de Primatu Papæ. 535.

Contradictoria vera propp. ſexageſimæ ſextæ. 372.

Correptiones ad quid valeant, juxta SS. Aug. & Thom. 217.

Corrigitur locus ex indice ſummæ S.T. 212.

Criterion ad diſcernendum Queſnelliſtam a Thomiſta. 177.

S. Cypriani inſignis ſententia. 292. 535. Docet Papam eſſe unitatis Eccleſiæ originem & indicium. 509

D

Dialecticas regulas non ſervat Theologia ſupplex. 371.

Defendendæ alicui doctrinæ, quæ adferri debeant ex S. Proſpero. 440.

Dei voluntate ſalvandi omnes homines, negata neceſſario inciditur in hæreſim. 112. Hanc negat Queſ-

Queſnel. 391. Duplici motionū genere utitur Deus erga homines . 242. Audit preces , etſi non ex charitate ſtricte dicta profectas . 310. 315. 344. 349.
Differentia legis veteris & novæ ex S.T. 382.
Dilemma contra Queſnelliſtas . 336.
Dioſcorus S. Leonem PP. auſus excommunicare, excommunicatus fuit . 516.
Diſpenſatio non differt ab interpretatione & Epikia, juxta Queſnell. 496. Non diſpenſavit in Lege divina David , aut Apoſtoli vellentes ſpicas. 499. Diſpenſandi poteſtatem cuilibet prodigaliter concedit Queſnel. 499. 501.
Divina in vulgari peragi debere , vult Queſnellus. 475.
Dogma novum & ridiculum Queſnelli . 389.
Dominis (Mar. Anton. De) de Eccleſiaſtica hierarchia error . 505. De Primatu Papæ . 537.
Dominicani Armeni Romam veniunt . 478.
Dominici dies quomodo tranſigi ex S. Antonino . 453.
Dubia quædam propoſita Auctori Theologiæ ſupplicis . 489.
Dupinium , Launojum , Richerium, De Dominis ſequitur Queſnellus. 503.

E

Eccleſiam ſumit Queſnel. pro viſibili corpore, tamen facit eam inviſibilem , ponens in ea Angelos , & ſolos juſtos . 397. Duplicem forte admiſit Eccleſ. uti novatores ſæculi XVI. 401. In Eccle. eſſe peccatores, docet Auguſt. 403. Gregorius 404. Eſt pia mater . 436. 446. Eam accuſat Queſnell. 423. 427. 451. Eſt indefectibilis . 470. Non oraret pro reprobis , ſi noſceret . 131. In ea eſſe , & membrum ejus eſſe , ſunt diverſa . 407. Queſnelli chimærica . 415.
Editio latina Queſnelli operis 1695. 346. Poſteriores mutatæ , ſed fruſtra . 347.
Epiſcopi Galliæ Queſnell. Janſenizare agnoſcunt . 68. Etiam refractarii Conſtit. Unigen. 68. Paucorum tergiverſatio quid fecerit . 69. Galliæ 80. docent Pontifici obediendum 526. Eis injurioſus Queſnellus . 508.
Epiſtola doctoris cath. ad Licent. ſuſpectum. 139.
Epitaphium Benedicti II. 31.

. Queſnelli 74.
Eraſmi propp. Damnatæ. 340. Minus Queſnello peccavit. 497.
Error antiquus renovatus 133. 392.
To *Etiam*, vim habet addendi. 188.
Eudoxium Arianum Queſnel. imitatur. 424.
Excommunicandi poteſtatem inutilem reddit Queſnel. 506. Excommunicatio non dependet a conſenſu populi. 506. Inſordeſcens per annum, de hæreſi ſuſpectus. 521. Injuſta non ſemper eſt invalida. 512. Qualiter ſe geret injuſte excommunicatus. 523. Charitatem auferre non poteſt. 531. Non contemnenda. 517. Excomm. Dioſcori manifeſte nulla. 516. Differunt quæ ob doctrinam, aut factum perſonale infligitur. 521.
Exempla quibus quis utitur, aliquando ſuſpectum reddunt. 166. Creationis, incarnationis &c. male adhibita a Queſnell. 154.
Explicationes Theol. ſuppl. ſimiles aliis, cujuſdam Prælati Galli. 2. Olim magis utiles. 17. vide etiã pag. 19. 20. 21. 30. & 32.
Exponendi aliter SS. Patres, aliter auctores ſuſpecti, ex S. Auguſtino. 137. 138.

F

Facere & poſſe Queſnello convertibilia, non Auguſtino. 186.
Feltrenſis Epiſcopi in Trid. obſervatio. 457.
Feminas Paulus arcet a Scripturis. 437. Manicheæ vafrities. 448. cum faverit Queſnellus. 514. Earum opera omnes hæretici uſi. 515.
Fideles ſimplices, quid ſecuros præſtet. 6.
Fides eſt fundamentum omnis bonæ diſpoſitionis per Queſnell 265. ſecus Auguſtino. 267. 300. Ubi eſt, religio eſſe poteſt. 335. Quidquid præcedit charitate formatam, naturale eſt Queſnello. 371. Requirit prudentiam ſerpentis. 424. 541.
Filius prodigus damnat Queſnellum. 372.
Finis Queſnelli, negantis malos in Eccleſia. 412.
Fœdus Judaicum latius patet quam Lex. 382. Novum quos complectitur. 391.
Formulas SS. Patrum quomodo uſurpare. 192.
Fratricellorum inſaniam ſuſcitat Queſnell. 411.
Frivolæ interrogationi reſpondetur. 81.

Digitized by Google

Fucũ Lectoribus facit Queſnell. 406.

S. Fulgentii Locus difficilis explicatur. 213. Docet Angelos & Adam gratia efficaci indiguiſſe. 223.

G

GAlli poëtæ verſus Queſnello aptati. 376.

Galliam accuſat Queſnell. 437.

Gerſonis gloſſa cum grano ſalis. 522.

Giennenſis Cardinalis oratio 456.

Gotteſchalci hiſtoria Janſenio adverſa. 122.

Gotti (S. R. E. Cardin.) Ordin. Præd. auxilium fluidum Thomiſtarum ex SS. Patribus probat. 159. Calvinum duplicem admiſiſſe Eccleſiam. 402. Rejicit lib. Quæſt. vet. & novi Teſtam. 84.

Gradus converſionis peccatoris, ſecundum Queſnellum. 494.

Gratia gratuita eſſe debet omni modo. 76. 83. Moraliter excitantes neceſſariæ. 209. Neceſſitantem invexit Queſnel. in Præfat. item. 164. 419. Parvæ ut vere ſufficientes dici poſſint. 196. Janſeniſticæ & Queſnell. tales non ſunt. 196. Aliæ præter efficacem admittendæ 241. Thomiſticas ſufficientes qui deriſerint 193 Poſſibilitatis non ſufficit Auguſtino. 187. Sufficiente Thomiſticè remota ut incurratur Janſeniſmus. 189. Sine efficaci nihil nos poſſe, Janſeniſmi fundamentum ibid.

Graveſon (Amat. Ignat. De) O.P. Theol. Caſanat. dicta confirmat. 189.

S. Gregorii verba exponuntur 204. Notanda ſententia 517. Mercedem aſſignat duplicem eidem operi 302. Ei imponit Theol. ſuppl. 402. Epiſtola ad Theodorum Medicum. 449.

Gregorius Nyſſenus male interpretatus a Theol. ſuppl. 417.

Gregorius IX. male allegatus 444.

H

HArlei (Franc. De) deleri juſſit Analyticam ſynopſin. 220.

Hæreſes veteres ſuſcitans, fruſtra quæritur ſe damnatum. 39. Hæreticorum agendi modus ex Herony. 102. Vera falſis miſcent. 107. Multum valent apud eos qui in fide non valent. 271. Eos ſibi devincire ſtu-

ſuduit Queſnel. 236. In putam Dei ideam impingunt. 379. Utuntur feminarum opera. 515.
Hieronymi verba contrà Theol. Suppl. 287. Laudat origenem ab eloquentia. 498. Quid reflexit circa hæreticos. 515.
Hiſt. de Auxiliis. 57.
Homo cur egeat habitibus. 108. Quod homo careat gratia ; non ex Deo, ſed ex homine eſt. 197. 200. Se determinat ut cauſa principalis ſecunda. 279.
Honoratur Deus per actus virtutum. 305.
Horatius magis chriſtianus quam Queſnel. 212. Prohibet ne aſſuatur pannus. 295. Verſus in Theolog. Suppl. 314.
Hormiſdas PP. non damnavit prop. Unus de Trinitate paſſus es &c. 22.
Huss (Joannes) redivivus. 413. 518.

I

JAnſenio quid ſit, Redemptionem dare. 120. Erravit contra regulas critices. 127. Doctrinæ Synopſis. 224. Reſuſcitatur. 389. Eo audacior Queſnellus. 176.
Idea libertatis catholicæ & Queſnell. 238.
Impoſſibilia Deus non præcipit. 380.
Indorum errorem Queſnel. approbat. 547.
Infantes non ſpectant ad Eccleſiam juxta Queſnell. 389. 415.
Infidelium opera quæ ſint peccata. 230. 323.
Joannes IV. PP. explicavit epiſtolas Honorii. 23.
Joannis Chryſ. locus exponitur. 439.
Joannis a Paltz O. E. S. A. fragmentum. 148.
Joviniani hæreſis ſuſcitata. 420.
Ironiam Deo qui tribuant. 380. 390.
Juramentum exigi poſſe. 433 Quale ab Huſſitis & Wicleffiſtis. ibidem.
Juſtitiæ amor Queſnello charitas. 36.
Juvenalis verſus in Merzenium & Theologiæ Suppl. auctorem. 314.

L

LEctio Scripturæ S. non neceſſaria. 437. Veteris Teſtam. diſſuaſit S. Baſilius Chiloni. 442. Ex novi abuſus. 457. Qualem hominem requirat. 443. ſpectat diſciplinam & fidem. 461.
Lemos (Thomas de) O P. calumniatus. 229. Damnat Bajum, Janſenium &c. 231.

S. Leo.

S. Leonis auctoritas exponitur. 328. Queſnellus affingit pravum ſenſum. 329.
Lex in bonum non in malum publicum. 384. Vim obligandi non habet per Queſnellum. 497. 501. Abrogari poteſt ſine legislatoris criminatione. 441. Legis veteris & novæ differentia. 382. Principalitas utriuſque. 367. 369. Vetus non ſine gratia. 381. 383.
Liber de fide contra Manichæos, Evodii, eſt. 380. Quæſtionum veteris & novi Teſtam. non eſt catholici. 84. Schala clauſtralium nec Auguſtini, nec Bernardi, ſed Guigonis. Vide Errata ad pag. 243.
Lovanienſis Univerſitas Mare Oceanum. 544. Theol. Facultas formulam edit contra Bajum. 330. Queſnello contrariam. ibidem. Probat gratiam nobis inhærere. 101.
Ludovici XIV. morte omnia turbantur in Gallia. 70.
Lutheri errorem ſuſcitat Queſnell. 106. 169. 342. 375. Ironiam Deo tribuit. 380. Judicium de Scripturæ Lectione. 466. Poſtulat explicationes. 18. Habetur hæreticus, etſi appellaverit ad Conciliũ. pag. ultima.

M

Mali poſſent bene vivere, ſed nolunt. 208.
Mandata Dei poſſibilia etiam in vet. Lege. 380.
Manichæi redivivi. 420. Marcus Antonius de Dominis. 427. 434. 537. Melancthon. 534.
Meritum duplex, condigni & congrui. 308. Primum charitatem ſtricte dictam, alterum late dictam exigit. 311. Meritum omne abſtulit Queſnel. 274. 332.
Metzenius (Carolus Gaſpar) vapulat. 314.
Miracula facere mali poſſunt. 286.
Miſſalia in vulgari edita. 474. Dominicanorum Armenice. 483. 485.
Mos S. Sedis damnare propp. reſpective. 39.
Mortuum peccato quid ſit. 417.
Moyſis nullum dedit Deo filium, juxta Queſnel. 385. 388. Magis obduravit Judæos. 387.
Mulieres hæreſis diſſeminatrices. 515.

N

Natalis Alexandri notanda doctrina. 45. Defenditur. 47. Retractat ſen-

ſententiam circa famoſum *comma*. 81. Putat corruptam Synodum Valentinam. 122.
Naufragantibus ſimiles ſunt errantes. 270.
Neceſſitatem phyſicam peccandi Lutherus, Calvinus, Janſenius, Queſnellus ſtatuunt. 225. Repugnat libertati, ſecus moralis. 223.
Nicolai (Joannis) O. P. diligentia. 212.
Noaillius [Card.] approbationem ſuam libro Queſnelli adimit. 68.
Nos, in nominativo, ego & ille, in accuſativo me, illum, iſtum &c. ſignificat. 136.
Notæ Eccleſiæ, veræ & falſæ. 467.
Novus Queſnelli error. 370.
Noxium, tam nocivum quam inutile ſignificat. 328.

O

Opus Queſnelli, errorum colluvies. 38. 422.
Opera doctrinam obſcuram explicant. 44. 496. Quæ fiunt in peccato, omnia vitioſa Queſnello. 283.
To *Oportet*, in Queſnello, idem quod neceſſe eſt. 183.
Orationis Fundamentum Fides Auguſtino, charitas Queſnello. 349.

P

Pallium Calviniſtis dat Queſnel. 494.
Pariſienſis Theol. Facul. damnavit Queſnel. in Eraſmo. 340. Docuit infallibilitatem Pontificiam ab antiquis. 526.
Patientiam commendat Sanctus Auguſt. ſalva doctrina veritatis. 424.
Patrum variæ ſententiæ de timore exponuntur. 350. 357. 365. SS. PP. qua reverentia receperint deciſiones Apoſtolicas. 17. Credebant Pontifices etiã cogi ad dicendam veritatem, a Deo. 18. Quomodo recurrebant ad S. Sedem. 33. Qui docuerint nos ſine gratia nihil poſſe boni. 190. Ut differunt a Queſnello. 191. Qualiter loquerentur ſi modo viverent. 192.
Paulus (S. Apoſtolus) timore incuſſo converſus. 372. Non pertinebat ad Eccleſiam juxta Queſnell. 415. Qualiter ſe geſſit circa S. Petrum. 525. Cum ipſo *ſeorſum* Evangelium contulit, non conciliariter. 527. 529.
Paulus IV. damnavit errorem

rem circa mortem Chriſti. 133.
Peccatoribus occultis publicam pœnitentiam imponi vult Queſnel. 487. Cuilibet deſunt omnia ſalutis media per Queſnell. 334. Eſt perplexus. 374.
Peccatum & mendacium ſola noſtra ſunt. 227. Poſitive a Deo cauſari ex Queſnello ſequitur. 393. Gravius circa hoc peccat Luthero & Calvino. 394.
Pelagii error ſuſcitatur a Queſnel. 392. 421. In quo differant. ibid.
Petro (Principi Apoſtolorum) omnes Apoſtoli & ſeniores acquieverũt. 529. Ipſi collatas claves vult Auguſtinus, dum *Unitati* Eccleſiæ collatas dicit. 509. Repræſentabat Eccleſiam ut Caput & Princeps; quid inde ſequatur. 510.
Plebs attenta eſſe poteſt licet non intelligat idioma Eccleſiaſticum. 475. Nunquam ubique cum Clero cantavit. 474.
Pontifex Romanus eſt Eccleſiæ unitas viſibilis. 509. Caput & naſus Eccleſiæ. 32. Spiritus S. ei promiſſe aſſiſtentiæ confidimus catholici præcipue. ibid. Major eſt poteſtas quam olim Imperatorum. 176. Pontificis vocem qui audiunt, ab omni laqueo ſe cito eripiunt. 292. Eſt immediatus Vicarius J. Ch. 505. A J. C. immediate habet ſuam poteſtatem: quod ſubtiliter docet Sanctus Auguſt. 509. Adverſarii propriis armis oppugnantur. ibidem. Primatus inimici, Regum inimici. 536. Ei & Epiſcopis injurioſus Queſnell. 503. Poſt Joan. Huzs, & M. A. de Dominis. 504. & ſeq. Primatum jure humano ipſi competere concedunt hæretici. 537.
Phraſis Auguſtini, *Non vult*, indicat potuiſſe. 367.
Pœna legis veteris conſtituta erat peccato externo. 365.
Prædeſtinatiani in Queſnello redivivi. 211. 422.
Praxis Queſnelli jungenda doctrinæ. 44. 514.
Principum diſcordiæ, ſubditos dividunt. 123.
Profeſſoris publici officium. 185.
Propoſitiones 29. & 59. non extare in Queſnello, calumnia 8. & 9. Ultima fuit poſtea alterata, ſed fruſtra. 8. Pravum involvens ſenſum, etſi inflecti poſſit, damnabilis eſt abſolute. 45. Reſp. Objectis contra. 47. Hæc prop. *Sine gratia efficaci nihil*

poſſumus, ſine addito, ineptiſſima eſt. 192. Eſt quinque propp. Janſ. fundamentum. 189.
S. Proſperi ſent. exponitur. 331. eſt contrarius Queſnello. 545.

Q

Quaekeros facit Queſnellus. 260.
Queſnellus varias hæreſes ſuſcitat 14. propp. ejus, etſi dubiæ in ſe, aliunde intelliguntur 15. 36. Cur aliqui fingant eſſe dubias ibid. Opus primo damnatum. 1708. 36. 66. Doctrinæ ovum. 49. imitatur Lutherum 50. 74. Non credidit Primatum Papæ ibid. Renuit ſubſcribere damnationi Janſenii 51. Formulam contra Janſ. ait, repugnare rationi & veritati. 52. Cur non fuerint communicatę propoſitt. damnandæ 67. Maluit deſerere patriam quã Bajum & Janſenium 53. capitur & ſequeſtratur 54 Fugit & citatus non comparet. 54. Articuli contra eum probati ibidem. Sententia 61. Queſtus fruſtra, ſe non fuiſſe auditum 73. Proteſtatio ante mortem 72. Eadem utilitas Eccleſiæ acceſſit, quę ex aliis hæreſibus 70. Audacior Bajo 79. 163. 327. Janſenio 176. Quid illos fefellerit 79. Peccavit defectu rectæ de Deo ideæ. 82. Ducit in Pelagianiſmum aut Lutheraniſmum 83. Negat gratiam inhærentem nobis. 94. 161. Gratiam ſufficientem 56. 161. 200. Merito interpretamur, ut Auguſtinus Pelagium 97. Calumniis non gravatur. 105. Qua occaſione faventes invenire potuerit. 123. Suſcitat tertiam Janſenii. 132. Audaciſſimus & temerarius. 133. Expungit articulum ſymboli. 136. Spem e medio tollit. 33. Notanda ejus ſententia. 151. Primam Janſenii reproducit. 167. 189. 207. Renovat 5. Janſen. propp. 189. Nullus ſapiens comparabit SS. Patribus. 191. Non eſt catholicus habendus, etſi dicat admittere gratiam ſufficientem Thomiſticam, cur? 195. 200. Peccat contra Dialecticam 218. Deſtruit libertatem. 221. 223. Renovat quintam ab Alex. VIII. damnatam 256. Magis damnabilis, quam ille auctor. 285. 334. Impugnat Tridentinum. 258. Damnatus cum Luthero. 260. Prohibuit ne benigne

gne

gne interpretaretur. 265. 266. Non habet conceptus vulgares, ſed peregrinos. 288. Indignum ſe reddidit auxilii. 315. S. Leonem male interpretatur. 329. Huzs propoſitionem renovat. 516. Inſolentiſſime inſanit. 434. Illuminatior Eccleſia videri voluit. 436. Eccleſiam illuſionis taxat 441. Incurrit anathema Trid. docendo omnia alta & intelligibili voce dicenda in Miſſa 476. Omnem ſubordinationē evertit. 498. Lutherū & Eraſmum ſequitur. 497. Aptatur ei cenſura Pariſienſis. 498. Docet, quo nihil abſurdius fingi poteſt. 511. Quod falſum, temerarium, ſcandaloſum eſſe Theol. ſuppl. fatetur. 513.

Queſnelliſmus eſt ſpecies Manichæiſmi. 238.

Queſnelliſtæ prudentiores pro conſervando corpore quam anima. 261. Non ſunt ſpirituales homines. 517. Sed carnales. 518. Cum Queſnellum accuſare deberent, accuſant Eccleſiam. 425. Queſnelliſmus deficit in incunabulis. 412.

R

Raynaldus [Odericus] male lectus a Theol. ſuppl. auctore. 455.

Ranſt [Franc. Van] Ord. Præd. ſcripſit contra Queſnell. XXVI. Non eſt auctor Synopſis vitæ editæ Venetiis 1720. cum alio ejus opuſculo. 51.

Regula juris, *ſemel malus*. 129. Regulæ pro eruendo propoſitionum ſenſu. 40. Ex eadem S. Fulgentius abſolvitur, Queſnellus damnatur. 118. Pro intelligenda Auctorum mēte. 265. Quarta indicis olim recepta in Germania 459. Quidquid ſit de Gallia, non juvat Theol. ſuppl. 461. Unicuique agendi, eſt bonum privatum, juxta Queſnell. 495.

Religioſos ſolos poſſe ſperare in Chriſti morte veroſimiliter non docuit Queſnell. 141.

To *Reprobandum* idem valet ac iterato probandum. 30.

Remuneratur Deus opera bona, licet non ex charitate ſtrictè dicta facta. 302.

Reſiſtendi gratiæ potentiam, quam Queſnelliani admittant. 177.

Rodericus Toletanus imponit

ait Benedicto II. PP. 11.
Romani cur a Deo orbis imperium conſequuti. 329.

S

SAlvator dicitur, non qui Lytrum dare poteſt, ſed qui dedit ſufficiens. 120.
Sacra Scriptura, varios actus virtutum recenſet, ſine charitate. 287. Ut vetitæ Lectionis librum non habet Eccleſia. 447. Vetita lectio Laicis a Sæculo IX. 448. Legere, ut diſciplinæ ſit. 440. Non eas intellexit Queſnell. 485. 488.
Sebille [Alexander] O. P. primus in Belgio contra Janſenium librum edit. 221.
Senſus allegoricus Scripturæ, nos excludit litteralem. 511.
Senſum contrarium affingit Theol. ſuppl. pr opp. 43.
Sententia Archiep. Mechlin. contra Queſnel. 61.
Sergius a femina Manichæa ſeductus. 448.
Serrarium (Nicolaum) male intellexit Theol. ſuppl. 459.
Signa iræ Dei in in filios ſuos 470.
Silentium clamori æquivalens 43. 114. Damnat Queſnellum 406.
Simplices in deſperationem præcipitat Queſnel. 375.
Tò *Solus* & *Niſi* vafre a Queſnello adjecta 363.
Soncini [Fauſti] hæreſim renovat Queſnel. 421.
Sorbonæ Doctores damnant Theol. Suppl. 410.
Spe ſublata quæ ſequantur. 292.
Spiritus Sancti duplex impulſus 311.
Steyartii (Martini) reflexio 450.
Stratagema Queſnelli ad introducendam gratiam neceſſitantem Janſenii 160.
Subtilitas vana Theol. Suppl. 409.

T

T*Alis* aſſutum fruſtra prop. quinquageſimæ nonæ 348.
Theodorus Medicus a Theo. Suppl. inepte inducitur. 449.
Tempus ab Apoſtolo prædictum advenit. 466.
Tertulliani notabile dictum. 271.
Theologiæ Supplicis Auctor ſimulat ſe Conſtitutionem Unigenitus admittere, ſed fruſtra 3. Truncat propp. quinquageſimam quartam. 314. & ſeptuagetertiam 11. Iiſdem tibiis

cantat, quibus mareidi Queſnelliſtæ 71. Male interpretatur prop. trigeſimam ſextam 95. Item trigeſimam ſeptimam 104. Male confundit compendiariam ſalutis viam, cum via abbreviata Queſnelli 136. Facit Queſnellum reum anathematis Trid. 144. Dubitat an Spiritus S. Eccleſiam deſeruerit, & ad Queſnellum acceſſerit. 177. Intolerabile dictum. 206. Truncat textum Auguſtini 207. 532. S. Thomam calumniatur 229. Miſerum rapſodium 263. Imponit Eccleſiæ & SS. Patribus 271. Mutilat capitulum Cæleſtini 277. Aſſerit certiſſimum, quod certiſſime falsū 282. Animatur ad monitum Auguſtini ſequendū 292. Truncat verba S. Thomæ 293. Damnat ſuum clientem. 295. Male interpretatur Apoſtolum 293. Operam perdit & oleum ibid. Confundit omnia 312. Auguſtinū tentat facere Queſnellianum 336. Male citat Auguſtinum 337. Graviter errat 426. 428. Fingit ſenſus ad libitum 443. Æthyopē lavat 441. Ineptit. Ibidem. Adducit verba Auguſtini Queſnellum damnantia 517. Voſcities 508.

Timorem inter & ſpem incedendum 157. Timor inducit ad dilectionem 304. Malus non eſt, licet compatiatur voluntatem peccandi 359. ſæpe accipitur pro trepidatione animi ob pœnas corporales imminentes, a SS. Patribus 361. Gehennæ, voluntatē peccandi excludere poteſt 362. Servilis malus eſt Queſnello 363. 373. Sicut ſeta linum, ita amorem ex S. Auguſt. ibidem. Quantū valeat Auguſtino. 377. Non duplex tantum, ſed quadruplex eſt. 378. Timore pœne ducti nō ſunt in Eccleſia Queſnello 407.

Traditio de meritis bonorum operum 273. Quæ divina & apoſtolica 473.

Tridentinum damnat Queſnellum 375. Item 105. cap. 5. & 6. de juſtificat. exponitur. 264. Anathema in Queſnellum 355. Item 272. 415. 477. Diminute refertur a quibuſdam 492

S. Thomæ injuria Theol. Suppl. 229. Admittit gratias ante fidem 251. Duplicem mactat errorem. 252. 262. Auctoritas exponitur 361. Simul Lutherum, Calvinum, Bajum, Queſnellum & Semipelagios conficit. 269. Ejus auctoritatem truncat Theol. Suppl. 339. Locus exponitur.

tur.439. Docet ſine gratia ſupernaturali nullum dari meritum 87. Notandus locus 153.
Thomiſticus ſenſus minime in Queſnello damnatus 15. Thomiſtæ quid reſpondere poſſint adverſariis 16. Thomiſticæ ſcholæ plurimum profuerunt adverſarii.7. Diſtinctiones non juvant Queſnellum 114. Thomiſtis ſufficit ſcholæ Doctrinam approbatam a Rom. Pontificibus 194. Sunt Catholiciſſimi adverſariorum confeſſione. 194. cur eorum gratiæ ſufficientes, ſint vere tales, non gratiæ parvæ Janſenii 196. Concordant pulchertime Tridentino 198. Quod hodie docent, olim docuerunt. 199.
Turelupinos imitatur Queſnellus 462.

V

VAnum non eſt quidquid a chatitate non eſt.304
Venenum prop. 63. non in diſparitate ſed paritate conſiſtit.367.
Virtutum opera extra charitatem facta 303.
Virtutis veræ actus, ſed non perfectæ 321.
Virtus vera & ſimpliciter dicta differunt 324. Virtutis moralis & intellectualis differentia 325.
Vita Clementis XI. Vide, Clemens.
P. Viva S. J. in Thomiſtas ſtratagema detegitur 158. Male accuſat omnes Armenos hæreſis 478.
Voluntas ſalvandi omnes homines 114. 125. 134. Dici poteſt conditionata. 118. Antecedens & conſequens declaratur aptiſſimis exemplis 115. 128.
Voluntarium in Adamo non ſufficit ad peccatum perſonale, ex Auguſtino 206.
Voluntas quomodo ſe moveat 239. Mere paſſivè ſe habet juxta Queſnel.257

W

WAldenſes ſequitur Queſnell.462. Item Wicleſſ. 313.

Z

ZEnonis Veronenſis ſententia.292.

ER-

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 35.lin.33. genuinus	geminus
45.lin.10. mmunis	munis
51.lin.21. 1620.	1720
57. lin. ultima Alex. VII.	VIII.
67. qu	qui
76.cit.Aug.de gen.ad lit l.6,c.16.	Cap. 25. num.36.
109. in margine 1.2. q.113.	q. 114. a. 2.
120. lin.26. *vldea,ur*	*videatur*
151. lin.28. turbas	ultimas turbas
175. lin.2. voluntatis	poteſtatis
185. lin.ultima quintam	tertiam
197. lin.13. ſauts	ſalutis
201. lin.13. Eſt Queſnel.	Eſt 4. Queſnel.
274. lin.9. conviceret	conv inceret
336. lin.27. ♀ us	opus
474. lin.24. 1552	1522
496. lin.12. ut tertium	ut primum

205. citatur lib. de fide contra Manichæos, ac ſi foret S.Auguſtini: ſed vide pag.38c.ubi aſſignatur Evodio.

243. citatur liber *de Scala clauſtralium*, qui in antiquis habetur inter opera S.Bernardi, ac etiam inter Auguſtini opera, ſub titulo *Scala paradiſi*. Nec unius nec alterius eſt, ut obſervatur Tom.VI.operum S. Auguſtini in App. p.196.: ſed eſt D.Guigonis Carthuſienſis.

Citavi aliquoties *Enchiridion* S. Auguſt. juxta veterem editionem, quæ ad manum erat; in qua capiti primo præmittitur *Prologus*. Sed poſtea obſervavi, quod in nova edit. ipſe *Prologus* ſit Caput I. Unde ſi verba adducta non reperiantur loc. cit. in nova edit. videatur Cap. ſequens.

VAI 1520382

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google